


GERARDI DE VRIES,
Professoris Philosophi Ultrajectini;

EXERCITATIONES RATIONALES

DE

DEO, DIVINISQUE PERFECTIONIBUS.


Accedunt Ejusdem

DISSERTATIONES

DE

Infinito; Nullibitate Spirituum; Homine Automatico; Contradictoriis Deo possibilibus; Sensuum in Philosophando Usu; Cogitatione ipsa Mente; Operationibus Brutorum.

In quibus passim quæ de hisce philosophatur CARTESIUS *cum rectæ Rationis dictamine conferuntur.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud { JOANNEM vande WATER, JOANNEM RIBBIUM, FRANCISCUM HALMA, } Bibliopol.

CIƆ IƆC LXXXV.

Nobilissimis & Amplissimis Dominis,

D. PAULO VOET
van WINSSEN, JC^to,

Supremi Fœderatorum Belgarum Senatus, qui Hagæ Comitis est, nuperrime membro,

D. GUILJELMO
van WEEDE,
CONSULIBUS;

Nec non

INCLYTO

SENATUI

Reipublicæ ULTRAJECTINÆ,

ACADEMIÆ CURATORIBUS.



Uod fiat cum Vestra venia, ad Vos itur, Amplissimi Viri. Vobis enim, post Deum, primam reddere decet rationem otiorum, quæ

 nobis

nobis facit Veſtra in Veſtram Academiam munificentia. Munificentia, cujus tanto illuſtrior laus eſt, quanto in Veſtri Ordinis Viris exempla ejus exiſtunt inſolentiora. Pariſienſem ſuam primogenitam filiam dici gaudent Galliarum Reges. Atqui ad tantæ Majeſtatis amplitudinem comparatum eximium id habet nihil. Rara magis hac parte Veſtra gloria, quando qui Urbis Rectores iidem ſalutamini Academiæ Curatores. Heroicus is abſque dubio Patrum fuit animus, quo tantæ molis operi excitando manum admovere auſi fuerunt. Nihilo tamen inferior Filiorum virtus, qui nullos difficillimorum temporum,

qui-

quibus ipſa tantum non oppreſſa jacuit Reſpublica, calamitatibus abſterreri potuerunt ab ejus fortiter tuendi conſtantia. Stetit, Statore Deo, providâ Incliti Senatûs Urbani curâ in mediis rerum omnium ruinis hoc Patriæque Eccleſiæque Seminarium. Quin tam egiſtis prolixe, ut nuperæ cladis quaſi immemor ad ſuas jam rediiſſe vires priſtinumque recuperaſſe decus videri poſſit. Ex qua recenti præteritorum memoria ſi ſpem futurorum animo concipere fas eſt, nihil unquam deſperandum fuerit Academiæ, donec Veſtra in illam voluntas fuerit eadem, perennaturæ. Ità hanc, Ampliſſimi Domini, Veſtræ Civitati à Patri-

bus partam, à Vobis auctam, ad seros Nepotes feliciter transmittite gloriam. Optimum Maximum Deum calidis votis veneror, esse Vos jubeat Reipublicæ, Ecclesiæ, Academiæ, Proceres, Nutricios, Curatores, Felices, Pios, Prudentes!

Dabam Trajecti ad Rhenum
Pridie Kalendari Februar.
A. CIↃ IↃC LXXXV.

NN. AA. VV.

Devotissimus

GERARDUS de VRIES.

AD



AD LECTOREM.

QUotquot fermè noſtrâ ætate ad Libros ſeu conſcribendos ſeu divulgandos animum adjiciunt ſuum, benè rem geſſiſſe ac juſtam inſtituti rationem ſe reddidiſſe arbitrantur, amicorum precibus eo ſe adductos fuiſſe ſi in ipſo limine Lectori, ut credat, perſuaſerint. Non amicorum ego, verùm omnibus illis chariorum mihi capitum, florentiſſimorum Juvenum quibus me quantus ſum debeo, repetita decies vota extorſiſſe mihi quicquid hujus eſt operis, ſi dicerem, dicerem ex vero. Non dicam tamen; qui omnem illam tenuem valdè habeo tanti conaminis excuſationem. Eant amicorum ſuaſu, quibus ità viſum eſt, in dubiam hanc publicæ laudis vel vituperii aleam! cujus infeliciter jactæ non illi ſuaſores, ſed ipſi qui in lucem prodeunt Auctores luunt imprudentiam. Et luunt jure meritiſſimo, qui plerique obſequioſi animi obtentu palliare nituntur quâ toti intus ardent ſcribendi libidinem. Epidemialis hic morbus eſt, cujus hodiè contagio adeò univerſum propè literatorum orbem infecit, ut qui vix ſatis eruditionis ſemina mente conceperunt parturiant illicò, nullam habituri doloris quietem, donec per calamum exierint fætus. Tametſi autem horum ne milleſimus quidem tam fauſto ſydere naſcitur, ut vel

vixiſſe

vixisse constet, properant nihilominus, tam est delirans ista febris, ad id promiscuè omnes, à quo longè plurimos, si saperent, absterrere debuissent vestigia. Et tu igitur, qui has edis Exercitationes, dicat quis, aliam ab ea, quam experitur pars maxima scripturientium, tibi promittere audes sortem? Fatuus equidem sim & stupidus nimium, si ulla talis meam mentem subierit unquam cogitatio. In hoc studii genere quid laudis consequi me posse si vel maximè persuasisset mihi philautia, haud tamen ità excæcasset, quin intellexissem facilis, non id intendenti seligendum fuisse scriptionis argumentum, quod ipso sui intuitu plerisque, qui subtiliores hodiè audire volunt, improbandum fore, non potui non jam dudum præsentiscere. Tanta nimirum existit hisce diebus nominis Cartesiani existimatio, ut famæ prodigus videri queat, neque prudenter satis suis rebus consulere, quisquis non satius habet mutam secum excolere Philosophiam, quam mutire quicquam Viri Nobilis meditationibus non consonum: prorsus ut Avorum ætate nemo salutatus erat Philosophus, cujus non omnis ad Aristotelis modulum composita erat sapientia. Sic, personis mutatis, eadem sæpe numero agitur fabula. Et profectò, si quantum habet compendiosæ viæ ad comparandam sibi eruditionis haud vulgaris gloriam, tantum id haberet integri animi ac generosæ mentis, ad serviendum scenæ in hoc orbe Cartesiano cum cæteris me componerem, qui non adeò forsan sum somnolenti ingenii, ut non facile mihi foret inter primos ad Galli cantum surgere. At verò antiquior mihi semper habita fuit candoris conscientia, quæ haud sinit virum bonum, publicum præcipuè Doctorem, illa ceu vera profiteri, quorum certitudinem non efficaciter animo persuasit immotum rectæ rationis dictamen; cui uni sacramentum dixit quiscunque Philosophus est verè liber. Quod itaquè de se alibi Cartesius, de me ipso hic dicam: „Cum ille homo (Aristotelem is innuit; Ipsum „ego)

-ego) tam felix extiterit, ut, quæcunque olim ſive cogitans „ſive incogitans ſcriptitavit, hodie à pleriſque pro oraculis „habeantur, nihil magis optarem, quam ut à veritate non „recedendo ejus veſtigia in omnibus ſequi poſſem. Certè à Viri decretis nuſpiam abſcedere intendi, niſi ſic ad veritatem propius accedere mihi viderer. Eâ per omnia uſus ſum philoſophandi libertate, ut quæ ab aliis verè dicta, non quia ab aliis dicta, ſed quia vera, ratione confirmare; quæ ab aliis falsò dicta, non quia ab aliis dicta, ſed quia falſa, ratione infirmare, laboraverim. Exulant mihi humana Nomina; qui ſolis Dei Oraculis hanc habeo reverentiam, ut mea iis ſubmittam philoſophemata. Iſtud Philoſophi, hoc Chriſtiani eſſe arbitror: quantoque digniorem hic præ illo ſuſtinet perſonam, tanto religioſius illi cavendum cenſeo, ne quid ſuis ideis unquam vel minimum detrahat Fidei ſimplicitati, quæ unica hujus exiſtit gloria. Si quid hac parte erro, lubens erro, qui ſic philoſophari laudi mihi duco. Ridebunt mea hæc, ſat ſcio, primi omnium illi quorum ſpinoſa meditamenta Sacram lucem refugiunt, quia ei inimica. Sed & iſti ſciant, tantum à me abeſſe, ut talium vel ſperem favorem vel metuam cenſuram, ut ſi meorum quicquam illis placiturum ſcirem, id vel ideo ſuſpectum haberem quam maximè; quippe qui abominor toto pectore impietatem, quæ in medio orbe Chriſtiano palam profiteri non veretur Philoſophiam gentilem planè atque omnis religionis expertem. Interim neque ignoro, munia toto cœlo diverſa eſſe demonſtrare, atque dictare; quorum illud Philoſophiæ, hoc Theologiæ eſt proprium. Indè quoties Fidei capita illuſtrandis Rationis concluſionibus adduxi, eâ adduxi cautelâ, ut ſui utrique diſciplinæ ſalvi maneant limites. Peperit olim infelix alterius hujus cum altera confuſio chimæram illam monſtrificam Philoſophiæ dicam, an Theologiæ, Scholaſticæ; in qua cum Ariſtotele diviſum habebat

imperium Divina Pagina. Explodunt eam jure merito qui ſapientiæ ſublimioris & non-vulgaris ſtudia præ ſeſe hodiè ferunt. Interim Scholaſticæ illi novam ipſi ſubſtituunt compoſituram Theologiæ, conditæ ubiquè idearum Carteſianarum condimento: ipſo licet Carteſio improbante, neque uno loco, confuſaneam doctrinam. Ità per hos Philoſopho licet in Chriſti ſcholam irrumpere impune, ejuſque tunicæ latè qui ſplendeat pannum aſſuere; docente verò Philoſopho, ne hiſcere quidem Chriſto fas eſt. Sed jam dudum immemor mei videri potero, qui apologiam quaſi parare incipio operi, quo nullius me venari velle applauſum, ab initio monui. Quo ergò tandem inſtituto id prelo commiſerim, roganti dicam, non penes me fuiſſe non-committere. Cum primùm, Academicæ Juventutis exercendæ gratiâ, has Exercitationes mente concepi, nihil ſanè minus cogitavi, quam eas omnium oculis aliquandò fore ſubjiciendas. Quæ Auditorum votis ſuos debebant natales officio functas putabam intra Academiæ noſtræ parietes, indeque omnem de eis cogitationem planè ſepoſueram. Neque etiam hodiè conſilium mutaſſem, niſi quoſdam, qui in impetranda à me earundem editione fruſtrà fuerant, id agitare intellexiſſem non ſemel, ut in unum collectæ alibì me inſcio typis excuderentur. Quando itaquè vidi prelo me amplius arcere non poſſe charras, quæ in plurium verſantes manibus ex mea exiverant poteſtate, lambere nonnihil ipſe volui meos fœtus, potius quam ut in conſpectum prodirent toti rubentes, quales olim diverſiſſimis occupationibus, quas benè multas poſtulat quotidiani muneris ratio, diſtracta mens variis temporibus pepererat. Sic mecum inibam conſilia: at quorum mox pœnituit vehementer. Fruſtrà enim ritè recenſendis cogitationibus, tumultuariâ operâ in chartam quondam conjectis, me accinxi, qui tantum pacis cum aliis negotiis habere non potui, ut ſæpè ſubito eas reſumere vix permi-

ſerit.

ſerit in tanta otii penuria feſtinans prelum. Hinc emendare minimè licuit diſparilem nonnihil conceptuum, diffuſorum modo, modo contractorum magis ſeriem; multo minus diſſimilem ſibi hic illic orationis atque verborum texturam. Succinctæ magis ſunt Cogitationes de Deo; quarum dedi duntaxat quoddam quaſi compendium: cui apud pium Lectorem nihil detrahent quidam mei, plerique aliorum verſiculi, quibus, pro eo quo ex divina contemplatione affectus erat modo, indulſit nonnunquam animus. Laxiores ferè ſunt ſubnexæ Diſſertationes, quarum totum argumentum quandoquidem eſt controverſioſum, in tractandis rebus litigioſis veniam facilè merebitur forma ſtyli diſputatrix. Non te pluribus morabor, Lector, ſi id unum me æquè ac te fuerim ſeriò obteſtatus, ut eâ ſemper animi pietate ac reverentiâ ad meditandas, quas nobis Deus manifeſtas fecit, Divinas perfectiones accedamus, ne unquam ἐν τοῖς διαλογισμοῖς hiſce noſtris evaneſcamus, inveniendi aliquando inexcuſabiles; quales inveniemur ſine dubio, niſi quod cognovimus glorificaverimus ſummum Numen. Hoc age, atque Vale!



EPOS

In Opus elegans

VIRI Clarissimi,

D. M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ in Academia Patria Doctoris
& Professoris Ordinarii.



Umine naturæ naturam Numinis optas
Nosse viâ facili plenè solidèque? Revolve,
Quæ tibi concedit FRISIUS, *Meletemata; multum,*
Quod juvat, invenies. Nam quævis linea spirat
Ingenium subtile Viri Mentemque subactam:
Seu monstret verum, damnosave falsa refutet
Dogmata, quæ Veteres docuére, Novique Sophistæ
Fortiter inculcant ac ore manuque tuentur.
Sæpius adspicies (reliquas si vertere Chartas
Expetis) ingenuæ Libertatisque decoræ
Signa. Probat reprobatque nihil, quod Nomina tantum
Æstimet. Hoc servum deceat pecus! Unica flectunt
Hunc Ratio, Divina Fides. His subdere Fasces
Judicii Sapientis erit, quem cana loquetur
Posteritas, quem Fama vehet super Ætheris Orbes.

Ita lusit Collegæ Philosopho,
Philosophus Collega

JOHANNES LUYTS.

In Messem Philosophicam
Clari Philosophi,
M. GERARDI de VRIES,
Prof. Publ.

Epidorpidum Ode.


Lba dies, rumpunt quando granaria messem,
Et grata tellus insitum cum fœnore
Reddit multijugo, conclamant Euge! coloni,
Redit labori præmium dignum Deo.
Non secus incoctum generoso pectus honesto
Divina concipit, ferunt quæ sæculum
Judiciumque Virûm limatum, fæce rejectâ
Vagæ, superbæ, turbidæ scientiæ.
Assiduis volvit curis, altumque revolvit,
Remotiora sensibus dictamina;
Donec parturiens in dias luminis auras
Laudanda promat pluribus Certamina.
Applaudunt Docti, Studiosaque densa corona
Plaudit, beatam se videns fœtu novo.
Ominor hoc fatum (nec sim tibi vanus Aruspex)
Elucubratæ & eruditæ paginæ.
Nec satis: in reliquum diffundet se labor orbem.
Spe vanidâ vel circuitionibus
Non avidum fallet Lectorem, sed melioris
Veri replebit corda succo, sanguine:
Doctior ut redeat, maturior Orbis Epoptes,
Dei, Sui, Soli, Poli Consultior.

Amico Veteri
L. M. Q. Accinuit
A. BOSCHMAN, V.D.M.



Respondentium vicibus functi fuerunt

IN

EXERCITAT. de DEO

Juvenes Ornatissimi.

Tobias Coorn, *Zirizeâ-Zelandus.* S. M. C.
M. Jacobus à Liender, *Ultrajectinus.* Ph. D. & V. D. M.
Jacobus Oyee, *Goesâ-Zelandus.* V. D. M.
Jacobus Fruytier, *Medioburgo-Zelandus.* V. D. M.
Simon Croonenburg, *Sardamo-Batavus.* V. D. M.
Cornelius Snouk, *Medioburgo-Zelandus.* V. D. M.
Abrahamus Ratel, *Goesâ-Zelandus.* V. D. M.
M. Petrus Lastdrager, *Tuskâ-West-Frisius.* Ph. D. & V. D. M.
Johannes Hulscher, *Rheno-Trajectinus.* V. D. M.
Henricus Wagardus, *Vroonhoviâ-Brabant.* V. D. M.
Jacobus Ravens, J. F. *Worcomio-Batavus.* V. D. M.
Henricus à Sypesteyn, *Ultrajectinus.* V. D. M.
Petrus vander Burgh, *Vesaliâ-Clivensis.* V. D. M.
Theodorus à Breen, *Ripâ-Batavus.*
Petrus Heyblom, *Amstelodamo-Batavus.*
Fredericus Bootshaak, *Harlingâ-Frisius.*
Andreas Cameron, *Scoto-Britannus.*

Nico-

Nicolaus vande Velde, *Ultrajectinus.* S. M. C.

Conradus van Galen, *Heerwaerdâ-Gelrus.* Piè defunctus.

Jacobus van Stryen, *Goesâ-Zelandus.* S. M. C.

Hemmo Hovius, *Sawerdano-Omlandus.* V. D. M.

Petrus à Wallendal, *Medenblico-West-Frisius.*

Rudolphus van Nellesteyn, *Ultrajectinus.*

Rolandus ab Aken, *Ultrajectinus.*

Georgius Flaminius, *Scoto-Britannus.*

Johannes Guiljelmus Dukerus, *Bredâ-Brabant.*

Petrus Bruynvisch, *Zirizeâ-Zelandus.* S. M. C.

Cornelius Verlucht, *Martini-Aggere-Zelandus.*

Hermannus Cocq, *Ultrajectinus.*

Samuel Best, *Schermerâ-Batavus.* S. M. C.

Nicolaus Winckel, *Nardâ-Batavus.*

IN EXERCITAT. MISCELLAN.

Albertus Buytendijck, *Dordraco-Batavus.* V. D. M.

Gosuinus Houtman, *Edâ-Gelrus.* V. D. M.

Johannes Best, *Ultrajectinus.* V. D. M.

Wilhelmus Munter, *Arenaco-Gelrus.* V. D. M.

Simon Croonenburg, *Sardamo-Batavus.* V. D. M.

Tobias Coorn, *Zirizeâ-Zelandus.* S. M. C.

Jacobus Oyee, *Goesâ-Zelandus.* V. D. M.

Jacobus Fruytier, *Medioburgo-Zelandus.* V. D. M.

Isaacus Ravensbergius, *Harlemo-Batavus.* V. D. M.

Johannes Vechovius, *Gorcomio-Batavus.* V. D. M.

Cornelius Demetrius, *Ravenstenio-Brabant.* V. D. M.

Petrus Westwoude, *Hornâ-West-Frisius.* V. D. M.

M. Lollius Lollides, *Frisius.* Ph. D. & V. D. M. Piè denatus.

M. Petrus Roldanus, *Enchusâ-West-Frisius.* Ph. D. & V. D. M.

Antonius Arleboutius, *Boemelâ-Gelrus.* V. D. M.

Cornelius ab Heycop, *Ultrajectinus.* V. D. M.

Wilhelmus Munter, *Arenaco-Gelrus.* V. D. M.

Nanningius Berckhout, *Hornâ-West-Frisius.* V. D. M.

M. Johannes Luyts, *Hornâ-West-Frisius.* Ph. D. & P. P.

Johannes Bonket, *Flissingâ-Zelandus.* J. U. D.

Antonius Yser, *Alcmariâ-Batavus.* V. D. M.

Casparus ab Heymenbergh, *Ultrajectinus.* V. D. M.

Petrus Bortzenius, *Heemstediâ-Batavus.* M. D.

Antonius Arleboutius, *Boemelâ-Gelrus.* V. D. M.

Hermannus van Zurck, *Ultrajectinus.* V. D. M.

Conradus van Galen, *Heerwaerdâ-Gelrus.* Piè defunctus.

Henricus de Laet, *Boemelâ-Gelrus.* J. U. D.

M. Gerardus Schalckenius, *Hornâ-West-Frisius.* Ph. D. &. V. D. M.



EXER-



EXERCITATIO PRIMA
PRÆLIMINARIS,
DE
THEOLOGIA NATURALI.

SUMMARIUM.

I. *Theologiæ Naturalis ſtudium præ aliis homine dignum.* II. *Menti humanæ in ſtatu unionis difficillimum.* III. *Periculi quoque plenum; ideoque tractandum reverenter.* IV. *Naturalis de Deo notitia maximè practica eſt.* V. *Minimè tamen ad æternam beatitatem ſufficiens.* VI. *Non confundenda cum Fidei revelatione.* VII. *Interim hujus illi habenda ratio.* VIII. *Naturalis Theologia Revelatæ utiliſſima.* IX. *Ejus certitudo ſumma, ſi ritè tradatur.*



Ti rebus omnibus, ita imprimis ratione gaudentibus, is quo feruntur ad conſequendam ſibi maximam quam poſſunt ſui perfectionem, congenitus eſt impetus. Partem ejus haud minimam abſolvit in homine quâ is *omnis naturâ ſcire deſiderat* cupiditas. Hanc itaque niſi pro viribus ſatiare laboret, quanto hac parte exiſtit negligentior, tanto magis indignis modis infra ſuam ſortem ſemet ipſum abjice- I. *Theologiæ Naturalis ſtudium præ aliis homine dignum.*

re habendus est. Summam nimirum humanæ mentis absolutionem optimo jure dixeris rerum scientiam; quando quo longius in ea animus progreditur, eo plus quasi rationis possidere videri quodammodo potest. Quod quamvis in omni cognitionis genere existat verissimum, verius tamen est nuspiam, quam ubi mens erigitur ad contemplationem earum rerum, quarum cognoscendarum illi uni concessa sunt adminicula. Excellit hac parte præ omni alia quæ de Summo Numine philosophatur sapientia: in qua si felici mediatione datum fuerit attingere verum, majus utique ex hac quam alia quavis philosophatione & operæ & temporis feremus pretium. Nulla etenim existit contemplatio & utilior, & sublimior pariter ac nobis ipsis dignior, quam quæ Dei, indèque etiam Nostri, nobis pandit cognitionem; quâ unâ supremum sapientiæ humanæ apicem absolvi, jure merito dictum passim fuit atque creditum. Corpora qualicunque modo cognoscere etiam brutis animantibus indulsit natura; at verò Spirituum, nominatim Summi Numinis, notitia rerum ratione pollentium peculium est. Istæ quippe solæ aptæ natæ sunt illam, cujus gestant imaginem, contemplari Divinitatem: quâ meditatione supra semet ipsam, & quicquid caducum est atque terrenum, elevata mens, aditum sibi parat (quousque cum naturæ viribus invenire mortalibus datum est) ad veram illam & minimè simulatam Philosophiam, quam *Mentis nostræ cum Deo assimilationem* scitè dixit Plato.

II. *Menti humanæ in statu unionis difficillimum.*

Interim, quum quod pulchrum est non soleat idem esse facile, nihil mirabimur, si arduum sit tantum negotium nobis homuncionibus, qui constamus mente non tantum, sed & corpore; atque illâ quidem tam arctè huic associatâ „ ut ipsa omnium „ difficillimè ad illa attendat, quæ nec sensibus, nec quidem „ imaginationi sunt præsentia: sive quia talem, ex eo quod „ corpori conjuncta sit, habeat naturam; sive quia in primis „ annis, cum tantum circa sensus & imaginationes occuparetur, „ majorem de ipsis, quam de cæteris rebus cogitandi usum & „ facilitatem acquisivit: uti alibi de hisce rectè philosophatur Cartesius. Tantum quas ipse disjunctivè narrat causas difficultatis cognoscendi res spirituales, ego conjungere malim utramque.

quæ. Quicquid ſit, experitur in ſeſe quilibet noſtrum, pertinacioris meditationis circa res tam immenſum à ſenſu remotas, in hoc rerum ſtatu, adeo parùm eſſe patientem hominis animum, ut meritò credendum ſit, claram diſtinctamque earundem ſcientiam iſti ſervari ſeculo, quo ipſe corporis vinculis ſolutus, & exiſtens ἰσάγγελος liberiori contemplatione iſta coram intuebitur, quæ nunc in ſpeculo duntaxat videt & quaſi in ænigmate. Quæ quiſquis ut oportet attenderit, cum Seneca, *non mirabitur, tam tarde eru, quæ tam altè jacent.* Ut ſæpè animum ſubeat mirari; quâ ratione quibuſdam hodiè rerum immaterialium, maximè Dei, contemplatio tantæ dicatur & facilitatis & evidentiæ. Certè quotquot ſic inſtituunt, eos meras cogitationes eſſe oportet: ſaltem non vulgares viros, quibus adeò facile ſit hominem exuere; iſti ſcilicet ſe aſſueſacere, quod & mentis cum corpore unioni, & tam longæ atque à teneris ſtabilitæ conſuetudini planè adverſatur.

III. *Periculi quoque plenum; ideoque tractandum reverenter.*

At parùm foret, ſi difficillima tantum, niſi ſimul ſolliciti timoris pleniſſima eſſet, hæc philoſophatio. Quæ enim mens creata tantùm ſibi tribuat, neque ſuæ ſibi imbecillitatis adeò hic exiſtat conſcia, ut non ſæpius metuat vertiginem pati ex altiſſimarum ac nimiùm ſupra ſe poſitarum rerum cogitatione? Atquì quicunque hic labitur, tanto graviore lapſu ruit, quanto faſtigium, ex quo decidit, eſt ſublimius. Non enim in maximis erratur, niſi maximè: neque ullus levis eſſe poteſt error *de Deo*, de quo *etiam vera dicere periculoſum eſt.* Quapropter qui nullis deviis plurimùm hic falli cupit, ante omnia hanc ſibi hic legem figat, ita reverenter *ſcrutandam Majeſtatem, ne opprimatur à gloria.* Præclarè in hanc rem Seneca „ Nunquam „ nos verecundiores eſſe debemus quam cum de Diis (Deo) agi- „ tur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſu- „ ri vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne ar- „ gumentum modeſtiæ fingimur; quanto hoc magis facere de- „ bemus, cum de Deorum (Dei) natura diſputamus, nequid „ temerè, nequid impudenter, aut ignorantes affirmemus aut „ ſcientes mentiamur.

IV. *Naturalis*

Neque tantum impingunt, qui indignas de Ente ſupremo ſuâ mente fovent cogitationes; etiam iſti devotionis rei exiſtunt

de Deo notitia maximè Practica est.

quam maximè, qui quem Deum Optimum intelligunt & Maximum, eundem tamen tanquam talem minimè sibi venerandum proponunt. Damnanda profectò hac parte est temeritas (quid ni impietas?) plurimorum Scholasticorum, nobilissimam hanc Philosophiæ partem suis profusissimæ audaciæ conceptibus non tantum fœdé polluentium, verum etiam illam totam re ipsâ enervantium; dum, cæterùm securi, satis habent aliquid otiosè de Deo speculari & garrire. Quasi de perfectissimo Numine quicquam cogitare fas sit, quod non singulari pietatis affectu animum commoveat! Gravissima certè Apostoli querela est de Gentilibus, quos *vanos factos* pronunciat *& infatuatos in suis ratiocinationibus*, quod, *quem noverant Deum*, *non tamen ut Deum glorificaverint*. Ut ipsâ suâ naturâ tota practica sit hæc notitia: adeò quidem, ut nisi sit talis, universa Philosophia Moralis re verâ nulla sit; quippe quæ omnis quanta est, unicè pendet à practica notitia Dei, tanquam independentis Monarchæ ac supremi Legislatoris, in Regno naturæ rationalibus, & rationaliter à se pendentibus, creaturis jura dantis. Ex quo uno omnia honesti ac turpis discrimina, nec non quævis morum præcepta, petenda sunt.

V. *Minimè tamen ad æternam beatitatem sufficiens.*

Non tamen ita practicam volumus, quasi simul salutaris sit & ad æternam beatitatem ducens hæc ex naturæ lumine hausta de Deo meditatio. Absit! Sic qui sentit, nondum gratiosam Euangelici Fœderis dispensationem intelligit, nec quantum Christiani debeamus gloriosissimi Servatoris meritis: quibus solis aditus patet ad Deum, tanquam benignum remuneratorem eorum qui ipsum quærunt; quibusque indignissimis modis nimium detrahunt, quotquot hac parte naturam gratiæ vel minimum æquare nituntur. Ad ἀναπολογησίαν saltem sufficiunt istæ, non quid possit, sed quid debeat officii præstare suo Creatori, hominem docentes rationis scintillæ: quarum tamen lumen, fateor, merito nullum ferè videbitur illis, quos longè lucidiores illustrarunt melioris Justitiæ Solis radii. Quos qui non satis attendit, ecquid mirum, illum, dum ducem sequi mavult corruptæ rationis ignes fatuos, à veri via aberrare, in transversum agi, atque illas sæpè nectere fallaci ratiocinio consequentias, quæ veritati Revelatæ existunt inimicæ, & periculosissimæ in rebus

fidei

fidei sequelæ. Pleræque certè quæ & nunc & quondam Christianam Ecclesiam infestarunt hæreses, non ex aliis seminibus ortum suum habuerunt, quam ex cœlestis doctrinæ cum pseudo-Theologiæ Naturalis dogmatibus mixtura: ob quam insipidam κρᾶσιν jam olim Ecclesiæ Doctores dixerunt Philosophos *Hæreticorum Patriarchas*, ipsamque Philosophiam *Hæresium quarumvis condimentum*.

Hos scopulos absque naufragio is solum prænavigabit incolumis, qui nec ab una parte confundit disciplinas distinctissimas, nec ab altera parte sic securus hic philosophatur, quasi nulla existat, cujus aliqua sit Philosopho habenda ratio, revelatæ religionis veritas. Dixi, non confundendas disciplinas; quippe quæ tantum distant, quantum à Ratione differt Revelatio, quantum à τοῦ *Scire* differt τὸ *Credere* Etenim (ut sileam hujus generis quæ alia huc adduci possent benè multa) nullas format Naturalis Theologia conclusiones, quam quæ ex principiis naturâ notis demonstrantur; nullas alias Theologia Revelata, quâ talis, quam quæ auctoritate Divinâ excipiendæ proponuntur piâ fidei simplicitate. Quæ quisquis cogitat, mirabitur, tantam differitatem non rectius observasse doctissimum Amesium, ut peritissimum Theologiæ Naturalis mystam, ita oppugnatorem ejusdem acerrimum. VI. *Non confundenda cum Fidei revelatione.*

Nos, fidem Christianam supponentes, ita quidem prudenti viro in hisce de Deo meditationibus versandum censemus, ut altero quidem oculo ducem sequatur rationem, altero interim semper respiciat & veneretur fidem. Neque frustrà Revelationem hic suspicit Philosophus: ea enim frequenter istas suppeditat pulcherrimos de Divinis perfectionibus conceptus formandi occasiones, absque quibus fuisset sæpè, ut nunquam fortè cogitassemus de elegantissimis veritatibus, quas nunc nostra ratio, fide elevata altius, in ipsis naturæ principiis latere, satis apertè videt. Ut, si uspiam, hic certè philosophandum fuerit, *Fide Magistra*, *Ratione Ministra*. Quam qui fastidiosè nimis improbant methodum, vera gloriæ animalia, nescio quam idearum innatarum supellectilem importunè crepantes, vix satis Christiani axiomate se præstant dignos; quatenus in cæcæ rationis tenebris palpare malunt, quam istis gradibus, quos divina mon- VII. *Interim hujus illi habenda ratio.*

 strat

ſtrat bonitas, eniti ad maximum noſtrorum de Deo philoſophematum perfectionem. Iſti ſunt, inter primos, qui ſe & alios abducunt διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης; quos cavendos, graviter adeò monet alibi gentium Doctor.

VIII. *Naturalis Theologia Revelatæ utiliſſima.*

Ex adverſo in eandem de rebus maximis veritatem conſentiens cum Chriſtiana Religione Naturalis Theologia, non tantum plurimos Chriſtianorum errores circa verum Dei cultum efficaciſſimè refutare apta nata eſt, verum etiam, ſi quà alià, hac imprimis vià inchoanda Gentilium ad ſaniorem de Deo ſenſum converſio; quatenus hæc reos convincens vanæ ſuperſtitionis, iſtis eos evolvit præjudiciis, quibus imbutiavitis erroribus mordicus adhærent, nec meliori ſapientiæ revelatæ faciunt locum. Ut jam nihil dicam de ſtabilimento, quod Chriſtianæ fidei accedit ex mirabili rationis & revelationis hac parte harmonia, alteriuſque cum altera conſenſu. Non quod iſtis fulcimentis ipſa indigeat cœleſtis doctrina, per ſe quâvis demonſtratione immenſum certior; ſed quod infirmos noſtros ac ſæpè fluctuantes, eheu! nimium animos, ipſum rectæ rationis ſuffragium haud parum confirmare queat in immoto veritatis cœlitùs patefactæ aſſenſu.

IX. *Ejus certitudo ſumma, ſi ritè tradatur.*

Iſtis legibus, non aliis, hic philoſophari decretum eſt nobis; qui deducere conabimur alias veritates ex aliis, tantum ut ipſa rerum ſeries, atque illis conveniens cogitationum connexio, poſtulabit. Quam methodum quia neglexerunt multi, omnia ad rigidiora ſyſtematis præcepta nimium cogentes, plurimum detraxerunt nobiliſſimæ diſciplinæ & ſplendoris, & certitudinis. Hanc equidem tantam hic promittere auſim, ut mathematicæ demonſtrationi nullâ parte quicquam cedat. Cujus rei daturus experimentum in animum primùm induxeram, more Geometrico, neceſſariis præmiſſis *Definitionibus*, *Poſtulatis*, atque *Axiomatibus*, continuâ ſerie per *Theoremata* omnia deducere. Verum mutavi conſilium, quando attendi, pleroſque, rebus geometricis minus aſſuetos, iſtius modi demonſtrandi fore impatientes. Non tamen, ſi cui id volupe fuerit, noſtra intelligenti arduum erit in iſtum ordinem hæc redigere. Sed jam dudum Præfaminis abundè eſt. Ad rem ipſam! Utinam verò Spirituum Pater adſpiret Spiritu ſuo noſtro huic de ſeſe, Spiritu primo ac perfectiſſimo, labori! Imo, *Da*,

Da, Pater, augustam menti conscendere sedem!
Da fontem lustrare boni! Da luce repertâ
In Te conspicuos animi defigere visus!
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis;
Atque Tuo splendore mica! Tu namque serenum:
Tu requies tranquilla piis: Te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

EXERCITATIO SECUNDA,

DE

DEI EXISTENTIA,
ejusque per naturæ lumen cognoscendæ modis.

SUMMARIUM.

I. *Arctissimus inter notitiam Dei & Nostri nexus.* II. *Non, An sit Deus, disputandum; Quod sit, tamen demonstrandum.* III. *Demonstratio pro Existentia Numinis à rerum obviarum dependentia sumpta.* IV. *Multiplex, quæ ex ea fluit pro eadem veritate, argumentandi ratio.* V. *Vis demonstrationis à gemina Cartesii exceptione vindicata.* VI. *Famosum Hujus ab Idea Dei petitum argumentum ad examen revocatum.* VII. *Alterum ab eadem Idea sumptum argumentum expensum.* VIII. *Tertia Cartesii demonstratio excussa.* IX. *Ex origine mentis humanæ, Deum esse, probatur.* X. *Solâ admiratione, in quam abripit*

abripit Universi contemplatio, idem animo insinuari, docetur. XI. *Innata menti de Existentia Dei persuasio explicatur.* XII. *Eam dari, ex Legis Naturalis conscientia evincitur.* XIII. *Demonstrationum omnium summa brevis & utilitas proponitur.*

I. *Arctissimus inter notitiam Dei & Nostri nexus.*



Am arcta Dei inter & Nostri notitiam intercedit cognatio, tamque nulla accurata alterius sine altero haberi potest scientia, ut quisquis ordine de Spiritu philosophari instituit, mox is in bivio dubius hæreat, utrum absolutissimam archetypi perfectionem, num admirandam ectypi pulchritudinem, prius meditari oporteat. Nemo enim in tantis ingenioli angustiis ritè Deum cogitet, nisi qui se satis diligenter cogitaverit antè; formaturus scilicet qualescunque pro modulo de incomprehensibili Numine notiones, ex analogia illorum quæ ipse in se ipso deprehendit. At neque ullus in distinctam sui notitiam devenerit, qui nesciverit principium sui; à quo res hæc omnis altius deducenda venit. Ut quidem ista contemplationis series creatæ mentis imbecillitati sit accommodatior; hæc verò & ipsi naturæ rei convenientior, & Ente primo dignior. Quamobrem & nos faciemus *à Jove principium*: ita tamen, ut nonnulla quandoque simus assumturi, ad instar Postulatorum, ut loquuntur Mathematici, quæ Mentis nostræ existentiam & quædam ejusdem attributa supponent, alibi demonstranda.

II. *Non, An sit Deus, disputandum; Quod sit, tamen demonstrandum.*

Non lubet in limine disquirere, *An sit Deus*? quæ in aliis thematibus primas tenere solet disceptatio. Nec enim fas esse arbitror, in Problema dialecticum convertere veritatis per se notæ Axioma; quod uti omni luce existit clarius, omni explicatione notius, ita creaturæ cuivis rationali non tam anxiè est probandum, quam nudè potius supponendum. Etenim quis neget pœnis potius compescendum esse, quam rationibus refellendum, si quis adeo nullam rationis rationem habeat, ut ipsam quoque primam rationem ejuret. Attamen ne hoc ipsum frustrà

fruſtrà nos dixiſſe grunniat Atheorum furor, ante omnia clarè detegenda erit ferrea ſpirituum iſtorum fortium contumacia; quâ, quam ipſi ſecum tremente animo ſentiunt atque exhorreſcunt veritatis vim, ore tenus nihilominus negare malunt, quam ſe agnoſcere tales, quales etiam inviti quotidie ſeſe deprehendunt, pendentes nimirum ex independenti ſupremæ cujuſdam cauſæ influxu & arbitrio. Hujus teterrimi hominum generis veſaniam ſi argumentis ex naturæ lumine ductis manifeſtam fecerimus, confutatum eâdem operâ dederimus Fauſtum Senenſem, alioſque qui cum illo omnem naturalem Dei notitiam ſolùm non penitus expungunt: quæ imprimis ferenda neutiquam eſt perverſa impietas in homine, qui ipſe nullam fermè aliam quam ex corruptæ rationis lumine hauſtam profitetur Theologiam.

III. *Demonſtratio pro Exiſtentia Numinis à rerum dependentia ſumpta.*

Iſtis, omnibuſque ſimul aliis τῇ ἀθεότητι quomodocunque litantibus, occurrimus nos unâ hac demonſtratione prorſus Achilleâ. Quodcunque exiſtit finitum & imperfectum (ſive ſenſibus id obvium ſit, ſive intellectui duntaxat: ipſum ſe v. c. cogitet Atheus, ſi detur) hoc omne vel à ſe eſt, vel ab alio. Illud ſi eligas, id vel erit à ſe, uti loquuntur, poſitivè, id eſt, tanquam à cauſa effectrice ſui ipſius; vel negativè, quatenus uſque adeo ad exiſtendum ſibi ſufficit, ut nullius planè cauſæ ſit indigum. Prius citra manifeſtam repugnantiam dici nequit, cum producere ſupponat fuiſſe, produci involvat non-fuiſſe. Quapropter ſi quid fuerit cauſa ſui, fuiſſet id, nec tamen fuiſſet; dependens foret, & independens; ſe ipſo prius ſimul eſſet, & poſterius: verbo, idem foret, & tamen multis modis à ſe diverſum. Quid? quod unumquodque tendat in ſui perfectionem quantum poteſt: ut, ſi quid ſibi ſuam dediſſet eſſentiam, non limitatam illam quam poſſidet ſed omnibus numeris abſolutam potius eam in ſe contuliſſet. At neque dici poteſt poſterius; quum, quod independens eſt, id finitæ perfectionis eſſe non poſſe, infrà firmiſſimè ſimus demonſtraturi. Nequit itaque res finita qualicunque modo à ſe eſſe: quapropter reſtat, ut ſit producta ab alio quo à ſe diſtincto. De iſto vero eadem redibit quæſtio. Si à ſe eſſe admittas, utique, ut dixi, imperfectum id eſſe non poteſt: ut jam re ipſa ſic pervenerimus

ad causam primam undiquaque perfectam; quæ ipsa Deus est. Sin & istud à superiori rursum principio fluxisse contendas, atque hoc itidem ab alio, licebit quidem seriem causarum concipere benè longam, infinitam autem statuere ratio neutiquam permittit. Etenim ubi una eademque res diverso respectu causa simul est & effectum, istic qualis est ordo in descensu per effecta, talis idem est in ascensu per causas. Jam verò effectorum seriem finitam esse, res ipsa clamat; ergò & causarum. Adde, augeri indies causarum numerum, quoties nova effecta procedunt à causis, quæ ipsæ nuper effecta ultima duntaxat erant, non causæ. Atquì id infinitati adversatur è diametro; quæ, uti est quid maximum, ita omne sui incrementum, non minus quam ipsos fines, prorsus respuit. Cogitur ergò, quisquis evidenti rationis lumini palam contradicere non vult, in omni rerum ab aliis pendentium subordinatione subsistere tandem in aliquo principio, quod quemadmodum est causa causarum, ita à nullo pendens sibi sufficit plenissimè ad existendum. Ast hoc ipsum Deus est; cujus existentia erat demonstranda.

IV. *Multiplex, quæ ex ea fluit pro eadem veritate argumentandi ratio.*

Atque hoc unum argumentum nobis hìc erit instar omnium: tum, quod per se sit longè efficacissimum, nullam relinquens evasionis rimam; tum, quod quæ aliæ adferuntur pro adstruenda summi Numinis existentia rationes, huic ferè debeant certitudinis suæ fundamenta. Cæterùm, intelligenti minimè arduum erit ex hac pharetra complures depromere sagittas Atheismum confodientes. V. G. Occurrat res quæpiam contingens; ea, cum ex se & per se non magis apta nata sit existere quam non-existere, utique à causa quadam processit, per quam sit potius, quam non-sit: eaque vel necessaria erit, vel contingens. Si hoc, redit eadem difficultas. Quumque, per antè dicta, nullarum causarum, adeoque nec contingentium, ordo infinitus dari queat, nunquam quis se hic expediet, qui non velit subsistere in causa absolutæ necessitatis in existendo; quæ Deus solus est, ut infrà docebitur. Pari modo, ex rebus possibilibus inferre licebit primam aliquam potentiam; ex mutabilibus, principium quodpiam immutabile; ex finitis, causam quandam infinitam; ex temporariis ens aliquod quod ante tempus fuit sine tempore. Verum ista jam tractare pro meritis non

finit præfixa brevitas: quæ eadem vetat urgere pulcherrimas rationes, quæ pro confirmanda eadem hac prima veritate peti possunt ab admiranda dispositione, ordine, ac varietate rerum naturalium; nec non ab earundem constanti tendentia, & quidem citra ullam ejus in se conscientiam, in suos fines; item ab appetitu summi boni voluntati finitæ ingenito; aliaque id genus plura, de quibus videndi scriptores, qui toti de hisce disseruerunt fusius.

V. *Vis demonstrationis à gemina Cartesii exceptione vindicatur.*

Et ista quidem arma sunt, quibus victrix religio felicissimè hactenus Atheismum triumphavit: ut eorum, qui illis, etiam Scripturarum calculo probatis, qualicunque modo quicquam detrahere nituntur, meritò prudentioribus suspecta sint consilia, nec admittenda quibus causa Dei ut sarta tecta maneat cordi est. Quapropter minimè ferenda hac parte prævaricatio quorundam, mirâ temeritate istæc omnia amoventium, quo solidioribus, scilicet! suis ab Idea quapiam Dei petitis demonstrationibus faciant locum. Neque enim censent hi, „ desumendum esse argumentum ex eô, quod videamus in sensibilibus esse ordinem, sive successionem quandam causarum „ efficientium: tum, quia Deum existere multo evidentius esse „ putant, quam ullas res sensibiles; tum etiam, quia per istam „ causarum successionem non videntur aliò posse devenire, quam „ ad imperfectionem sui intellectus agnoscendam, quod nempe non possint comprehendere, quomodo infinitæ tales cau„ sæ sibi mutuo ab æterno ità successerunt, ut nulla fuerit pri„ ma. Nam certè ex eo quod istud non possunt comprehen„ dere, non sequitur, aliquam primam esse debere, &c. Sileo nunc quæ ista involvunt Scepticismi fundamenta; gravius est, quod causam Atheismi immane quantum juvent. Frustrà tamen. Nam, ut verbo dicam, non ideo infinitam causarum successionem negamus, quod eam non possimus comprehendere (quamvis & ideò neganda foret iis, qui, cum Cartesio, *nullam aliam normam habent eorum quæ affirmare & negare debent, quam propriam perceptionem*); sed quod illam à parte rei manifestam, nec unam, involvere contradictionem firmissimè doceat recta ratio: uti ostendimus. Sic quidem longè falsissimum est posterius. At simul & experientiæ adversum, & miris modis in auctoritatem Sacram contumeliosum, existit prius.

prius. Si namque Deum existere multò evidentius sit, quam ullas res sensibiles, mirum profectò est, adeo hanc subtilitatem vel nescivisse, vel neglexisse, Apostolum gentium, quando tanta cum emphasi urget & inculcat, *invisibilia Dei, æternam videlicet potentiam & NB. Divinitatem, mente perpensa pervideri jam inde à mundo condito ex iis quæ fecit.* An verò qui sic instituit etiam habendus est putasse, *Deum existere multò evidentius esse, quam ullas res sensibiles*? Ita qui putat, eum simul putare necessum est, Spiritum S. in hisce similibusque ratiociniis usum fuisse termino medio, qui multò minus erat evidens quam ipsa conclusio demonstranda. Quod uti palam arguit defectum judicii, & modum argumentandi absurdissimum, ita quam istiusmodi cogitata benè conveniant cum debita Scripturarum reverentia, viderint isti qui neminem ante Agamemnona fortem vixisse sibi persuadere audent.

VI. *Famosum Hujus ab Idea Dei petitum argumentum ad examen revocatur.*

Imprimis verò non possunt non displicere conatus ejusmodi, quibus argumentorum ab omni ævo receptorum vim eludere conantur, si quinam hic nobis pro auro substituantur carbones, diligentius attendamus. Expendi volunt ante omnia Ideam quandam entis summè perfecti, quam sibi innatam ajunt; tum etiam causam quærunt, non à qua olim sint producti tanquam homines mente constantes & corpore, sed à qua tempore præsenti tanquam meræ mentes conserventur. Ita opinantur se longè felicius, absque ulla aut rerum sensibilium existentia, aut causarum subordinatione, demonstrationes pro existentia summi Numinis instruere posse. Operæ pretium erit, ob rei momentum, atque agitatas hodiè de ea controversias, ista excutere; sed paucis, ne ab instituto nimium digrediamur. Sic ferè ex idea inferunt: Quæcunque attributa in clara alicujus rei idea continentur, ea ex vero ipsi illi rei à parte sui tribui possunt. Pergunt: At verò in entis summè perfecti clara idea inter cæteras perfectiones continetur necessaria existentia. Ex quibus concludunt: Potest ergò hæc illi ex vero tribui; consequenter, Deus quoque reipsa existit necessariò. Præterea quæ de innatis rerum Ideis hic supponuntur; item, de Dei idea in nobis clara & distincta; quæ saltem Atheo concessa non sunt. Sed de illis alibi. Nunc id in quo cardo rei vertitur quanti

mo-

momenti ſit in re præſenti, examinaſſe tribus verbis ſufficit. Quæcunque, ajunt, in clara idea alicujus rei continentur, ea ex vero rei illi à parte ſui poſſunt tribui. Claudicat verò iſta propoſitio; quippe quæ tunc demum vera eſt, quando conſtat ideam, quam de re quapiam habemus, ipſi rei extra mentem exiſtenti per omnia eſſe ſimilem. Neque ad iſtam conformitatem evincendam quicquam juvat quæ ideæ illi ab his auctoribus tribuitur claritas; quamdiu enim certi non ſunt, & Deum exiſtere, & eum minimè fallacem eſſe, ne quidem ſecundum propriam methodum iis conſtare poteſt, omnia quæ clarè percipiuntur eſſe vera. Itaque totum quod hîc inferri poterat tantum hoc eſt: In cujus idea involvitur neceſſaria exiſtentia, etiam, ſi quæ res iſti ideæ ſimilis exiſtat extra mentem, de ea ex vero neceſſaria exiſtentia poteſt affirmari. Quod ſi ſubſumas: Aſt in idea Dei involvitur neceſſaria exiſtentia; manifeſtum eſt nihil aliud legitimâ ſequelâ inferri poſſe, quam hoc: Ergo, ſi quæ res ideæ Dei ſimilis exiſtat extra mentem, de ea ex vero neceſſaria exiſtentia poteſt affirmari. Vides? Non jam categoricè doces, Deum exiſtere, quod negat Atheus; ſed tantum concludis hypotheticè, Deum, ſi exiſtat ideæ ſimilis, exiſtere neceſſariò. Verum hoc totum utrâque manu lubens dabit Atheus, nec quicquam ideò à ſua opinione recedere neceſſe habebit, quatenus conditio, nondum demonſtrata, nihil ponit in eſſe, ut vulgò dicunt. En argumentum apodicticum; quod ne leviter quidem adverſarium ferit!

VII. *Alterum ab eadem Idea ſumptum argumentum expenditur.*

Verùm demonſtrationum fertilior eſt iſta Dei Idea, quam ut hac unâ omnis ejus latitudo ſit exhauſta. Audiamus alium, quo ex illa inferunt, modum! Quælibet, ajunt, ex noſtris ideis requirit cauſam, in qua vel formaliter vel eminenter contineantur perfectiones, quæ in idea repræſentantur. Habemus autem ideam Dei, tanquam entis infinitè perfecti. Ergò aliqua ejus cauſa erit, in ſe vel formaliter vel eminenter perfectiones illas continens, quæ in idea tali repræſentantur. In nullo verò finito infinitæ perfectiones exiſtunt. Ergò datur aliquod infinitè perfectum, in quo omnes illæ perfectiones continentur, quodque ſit illius ideæ cauſa: proindè exiſtit Deus. Ad quæ notandum verbo, vim noſtram concipiendi non poſſe eſſe ipsâ

mente majorem; quare, cum hæc finita ſit, etiam illa talis erit. Undè conficitur, non poſſe mentem noſtram finitam clarâ aliquâ ideâ ſibi poſitivè repræſentare perfectiones infinitas, tanquam tales. Cognoſci tamen, fateor, pro modulo infinitè perfectum; verum non aliter, quam perfectiones finitas multiplicando, iiſque omnes limites ac imperfectiones detrahendo, ac denique judicando, id majus eſſe, quam quod à finita mente comprehendi queat. Quæ omnia cum à mente noſtra ſatis commodè fieri poſſint, ideæ infiniti entis cauſam aliquam extra mentem quærere nil eſt neceſſe; nedum ut ea ſtatuatur infinita. Hæc nunc paucis: de quibus deindè ſuis locis plura. Quicquid ſit, planè ac plenè negabit Atheus, quemquam habere infinitarum perfectionum poſitivè menti repræſentatarum tanquam talium claram ideam. Quod ſufficiet illi, ad declinandam omnem, ſi quæ ſit, hujus ratiocinii vim. Ut nec hæc ex idea illatio efficax ſit ad Atheum convincendum.

VIII. *Tertia Carteſii Demonſtratio excutitur.*

Deniquè, ut oſtendat Carteſius, ſe in demonſtranda exiſtentia primi Entis cauſarum ſubordinatione nil indigere, ipſe, miſſâ causâ ſui efficiente, conſervantem duntaxat hîc attendi vult. Undè hanc inſtituit argumentationem. Non poſſum exiſtere, quin conſerver, quamdiu exiſto. At me ipſum conſervandi vim non habeo; quapropter ab alio conſervor. Is verò à quo conſervor, neceſſariò in ſe habet id omne quod in me eſt; quumque in me exiſtat infinitarum perfectionum perceptio, utique eadem quoque erit in cauſa me conſervante. Verum hæc habere nequit perceptionem perfectionum quas in ſe non continet: quapropter cum talem perceptionem omninò habeat, etiam ea in ſe continebit perfectiones ipſas, quarum habet perceptionem, id eſt, infinitas: atque ita Deus erit. Verum, quid ſi quis regerat, illum qui te conſervat, ipſum iterum ab alio conſervari, non tamen infinitè perfecto: atque hunc alium iterum conſervari ab alio, tertio, quarto, quinto, &c. neque adeo unquam perveniendum eſſe ad primam cauſam in iſta conſervantium ſucceſſione. Certè de conſervantibus cauſis idem dici poteſt, quod de producentibus: cumque in harum ſerie primam aliquam neceſſariò admittendam non eſſe, putes tu, cur magis alter credat, in conſervantium ordine

ne dari aliquod primum ? Tenue est, quod admiſcetur de infinitarum perfectionum perceptione, quæ in nulla cauſa nos conſervante eſſe queat, niſi in ea quæ illas perfectiones actu poſſideat; jam enim ex antè dictis intelligitur, hanc qualemcunque infinitarum perfectionum perceptionem, prout in mente noſtra exiſtit, eſſe poſſe ab ipſa mente finita, atque ita etiam potuiſſe exiſtere in cauſa nos conſervante; ſive hæc illam ideam ipſa confecerit, ſive à ſui cauſa conſervante iterum acceperit. Ut nullum re verâ etiam hujus argumenti robur ſit ad Atheum feliciter refellendum. Itaque, ut abſolvam, quandoquidem liquet, & nullas juſtas rationes adferre Recentiores quibus doceatur, recedendum eſſe ab antiqua Divinæ exiſtentiæ demonſtratione ex cauſarum ſubordinatione neceſſariò finita, & eos loco illius alia haud adducere, quibus Atheiſmus ſolidè queat debellari, meritò methodus talis cuilibet, univerſum rei pondus ritè expendenti, erit ſuſpecta; eique præferetur longiſſimè via hactenus tutò trita, quam qui ſequitur non facilè errat, uti frequenter ſolent, qui, calcati tramitis faſtidio, per avia & derupta novos ſibi ad ſapientiam aditus parare laborant: quorum profectò conatus dubii magis ſunt eventûs, quam ut illi tantarum rerum momenta committat vir prudens.

Sic paucis, quantum fieri potuit, inſtruximus, ac ſimul vindicavimus, palmarium pro demonſtranda & facilè, & evidenter, & firmiter, primi Entis exiſtentia argumentum. Inquam, pro ea firmiter demonſtranda, ſic ut pertinaci Atheorum impietati os obturetur. Cæterùm enim piæ menti, & quæ rationi cedere paratior eſt quam ſunt iſta hominum portenta, nec aliæ deſunt viæ ac modi, quibus de prima hac veritate reddatur certior certo. Ipſa ſe ſolam in ſe ipſa ſi ſatis diligenter attendat, inveniet, quæcunque non planè præfracta eſſe cupit, quo convincatur efficaciſſimè. Aliquam ſe ſui agnoſcere debere originem, docent eam abunde ſuæ imperfectiones & multiplex ſufficientiæ defectus. At qualem illam? Non certe formari potuit à cauſa corporea ex corporeis elementis: talia reſpuit prorſus nobiliſſimæ ſubſtantiæ longiſſima à re omni materiali diſtantia. At ſimul indiviſibilis rerum rationalium natura, ex ſubſtantia rei cujuſpiam ſpiritualis deciſam eſſe

IX.
Ex origine mentis humanæ, Deum eſſe, probatur.

& pro-

& progenitam, evidenter negat. Itaquè quid superest aliud, quam ut ipse spiritus noster ex se, per saltum quasi & immediatè, nos ducat ad illum agnoscendum spirituum Patrem, qui potentiæ suæ vi ex nihilo existere jusserit rem tantis ornatam naturæ dotibus, quantis nulla alia contemplationi nostræ obvia? Id verò stupendum Creationis opus, transitumque rei pulcherrimæ ex nihilo ad istum perfectionis statum quem possidet, nemo ritè cogitaverit, qui non ilicò simul intellexerit, nullam virtutis finitæ causam tanto negotio sufficere: atque adeò animæ rationalis originem altiùs deducendam esse, à causa quadam spirituali infinitis modis & gradibus spiritu quovis finito potentiore, atque ideò perfectiore; qualis id ipsum Numen est, cujus existentiam adstruebamus. Quamvis autem hæc per se satis solida sit cogitatio, atque æquo animo satisfacere abundè apta, quando tamen cum homine res est, qui agitur studio contradicendi, quique nihil metuit quasvis veritates in dubium vocare in falsissimæ suæ hypotheseôs gratiam, non eam habet convictionis vim, ut illâ contra Atheum primò utendum videatur. Is quippe haud pauca excipiet, & circa animæ nostræ naturam immaterialem; & circa opus creationis incomprehensibile, quæ non minùs illi negabuntur, quam ipsa Dei existentia. Dum itaque per ista nos latius diffundere cogemur, à proposita demonstratione nimium abducemur; nobisque ipsis assumptorum postulatorum satis ardua erit contra negantem probatio, quamdiu & mentis nostræ naturam, & originem ejusdem, non rectius ex ipsa Dei cognitione habemus perspectam. Quapropter etiamnum inhærendum arbitror nostræ demonstrationi, petitæ à causarum subordinatione; cui & idcirco primas meritò dedimus.

X. *Solâ admiratione, in quam abripit Universi contemplatio, idem animo insinuari, docetur.*

Verùm non disputando tantùm elucescit hæc veritas. Certè quisquis longâ impietatis consuetudine non penitus animum obfirmavit, si vel leviter inspicere voluerit tantum opus, quantum se oculis ubique manifestat, sentiet, si quod res est fateri velit, admiratione se convictum de eo, quod rationibus sibi persuaderi non sinebat; esse videlicet Numen, quod modis imperscrutabilibus fecerit hæc omnia pondere, mensurâ, numero. Quis Cœlum suspiciat, fornicatum illud mundi tectum, latissimè simul & æqualissimè huic terræ puncto circumvolutatum, mira-

mirâque actionis acrimoniâ defluviis suis intima telluris adyta penetrans? Quis scintillantes cœlorum oculos Sydera, illustrissima mundi luminaria, tot miraculis quot radiis plena, immenso campo indiga, propter tot suas ambitiones & varia, certa nihilominus suisque definita periodis, itinera? Quis Terræ sine pondere molem, & bases seipsis stabilitas, ac libratas quasi ad funiculi mensuram? Quis Elementa, disparia illa surgentis mundi primordia, atque ultima omnis naturæ sublunaris, post variam metamorphosin, pugnam, ac cladem, diverticula? Quis Meteora, admiranda illa mundi spectacula, quæ in orbe terrarum perpetuam dant tempestatum vicissitudinem? Quis speciosum mundi antiquarium, Gemmas, pretiosa naturæ cimelia, & sparsa quasi per terrenum globum sydera? Quis nata ad innumera hominis commoda Metalla, collectum gremio terræ atque reconditum ærarium mundi opulentissimum. Quis terram, ceu tessellatum pavimentum, picturatam Plantis, amænissimo mundi viridario, tam innumerâ sobole, nullisque aëris injuriis interruptâ serie, tot seculis propagato? Quis Bruta, prolificum mundi vivarium, tam diverso partu, pastu opere, nullis artificum industriis imitando, varium? Quis deniquè, qui quasi universis hisce præest, Hominem, illud pulchritudinis passim sparsæ compendium, usuarium mundi colonum & incolam locupletissimum? Quis sexcenta maxima minimarum etiam naturarum miracula; quæ quia videmus quotidiè, attendimus minùs. Quis, inquam, qui ad ista, uti oportet, altiùs introspicienda animum adjicit, quique, quod sapientis est, non tam insolita quam magna potius mirari consuevit, non tanto obruatur de tantis rebus admirationis stupore, ut nuspiam exitum inveniat, nisi in sapientissimo Numine, provido hujus Universi structore simul & custode. Ut re verâ nemo tanti operis elaboratissimum artificium, mirissimam structuram, venustissimum ornatum, sapientissimum ordinem, satis intelligat, qui non intelligat pariter, hanc publicam naturæ domum sanctissimè consecratam esse in visibile invisibilis Majestatis monumentum, divinâ omnipræsentiâ, undiquaque se obviam exhibente, sanctificatum in Templum basilicum; cui pro ara, humanus animus; pro dedicandis muneribus, naturæ

opes, pro perpetuo liturgo, ipſe homo, qui non tantum in ipſius Templi ſpecie externa hæreat, ſed ad interiora penetrando immortale Numen in tanta rerum utilitate Optimum, in tanta amplitudine Maximum, in tanto decore Pulcherrimum, in tanta varietate Ditiſſimum, in tanta earundem perpetuitate Conſtantiſſimum, inveſtiget, miretur, agnoſcat, colat, & adoret. Ut inter tot mira mirorum omnium miriſſimum ſit, reperiri poſſe homines, qui eo uſque infra ſenſum omnem & rationem ſe abjiciunt, ut auguſtiſſimum hoc Dei Optimi Maximi opificium, nullo artificis captu perveſtigabile, neſcio cui ſpontaneo corpuſculorum concurſui, & fortuitæ particularum minimarum cohærentiæ, tribuere auſint. Quam ridiculæ ſuæ ſtultitiæ hæreditatem magna ex parte Epicurus reliquiſſe videtur quibuſdam noſtræ ætatis Philoſophis, mundum verticoſum ſolo mechanico materiæ motu formatum ita introducentibus, ut in tota ejus adornatione nulla fermè, ſaltem oppidò rara, Creatoris mentio. At verò ſi *ſcelus ſit de creaturis agere, & opificem omittere*, ut Socrates jam olim cenſuit, & meritò, nulla Atheiſmo porta latior aperiri poteſt, quam hac philoſophandi ratione; quâ imprimis mens à meditatione opificis ſic abducitur, ut in contemplando opificio evaneſcat. Magis placet iſta Regii Vatis altius animum elevans pia admiratio: *Jehova, Domine noſter, quam magnificum nomen tuum in univerſa terra! Quando aſpicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum; Lunam & ſtellas quas ſtatuiſti: Quid mortalis, quod memor ſis ejus; aut filius hominis, quod viſites eum? Præfeciſti eum operibus manuum tuarum; omnia poſuiſti ſub pedibus ejus, &c. Iehova, Domine noſter, quam magnificum nomen tuum in univerſa terra!*

XI. *Innata menti de Exiſtentia Dei perſuaſio explicatur.*

Quod ſi nihilominus quis ferreus nec demonſtrationis efficaciâ victum, nec admirationis ſtupore motum ſe fateatur, tamen etiam clauſos cœco furore oculos ſic perſtringit ſplendidiſſimum hoc veritatis jubar, ut ſuâ coruſcatione totam repleat animam, atque invitam quoque ſentire faciat, quam inique laborat opprimere, Numinis notitiam: adeo quovis probationis genere efficaciora hac parte ad manum ſunt rerum teſtimonia. Non enim dianoëtica duntaxat habetur Primi Entis cognitio, ex contemplatione & macrocoſmi & microcoſmi *Acquiſita*

quisita; sed & unicuique *Insita* existit supremi Dei conscientia, & noëtica certitudo: quæ animis hominum tam penitus infixa hæret, inque iis tam altùm est radicata ut in congressu cum homine sanæ mentis, cui hanc veritatem persuasam cupimus, non tam opus sit multâ ratiocinatione, quam solâ potius obtestatione; quâ si id impetres, ut proprias mentis suæ tabulas seriò tantum inspicere dignetur, salva res est: adeò inveniet id, quod quidam cupiunt controversum, naturâ suâ esse per se notissimum. Quod, ne quis erret, non sic accipi velim, quasi vocum, quibus profertur hoc effatum, *Deus existit*, ac significationis earundem, notitia nobis citra ullam institutionem ab ipsa natura ingenita sit: neque etiam, quasi Entis perfectissimi necessariò existentis actualis idea quæpiam aut repræsentamen menti hominis jam inde à primo nativitatis momento obversetur, & de facto percipiatur. Minime! Istud ipsi signorum vocalium quibus res & conceptus nobis exprimuntur naturæ adversatur; quatenus vocabula ex solo instituto significant res, quibus denotandis sunt imposita, ut eorundem nulla possit esse naturalis notitia, verum ea omnis necessariò sit acquisita; postquam videlicet adultiori constat de arbitrio & usu hominum, qui in eadem societate viventes, hac significatione, non aliâ, voces inter sese valere voluerunt. Hoc verò nimium adversatur statui isti, in quo anima embryonis existit, tum in ipso utero materno, tum etiam mox à nativitate, quippe qui minimè actualis cogitationis, quapropter nec cognitionis istiusmodi aut repræsentaminis, existit capax: quód alibi, in *Animadversionibus nostris in Narrationem de controversiis in Academia Ultrajectina motis*, fusé demonstravimus. Non etiam dixisse sufficit, innatam Dei notitiam esse facultatem quandam in nobis, quâ demonstrationis pro existentia Dei veritatem, & conclusionis istius certitudinem, levi negotio percipere, facilemque ei assensum præbere, apti nati sumus: quamvis enim hoc minimè sit negandum, non tamen, ut dixi, sufficit; quoniam, quantumvis facilis, re verâ tamen acquisita est talis notitia & discursiva, non ingenita & per se nota. Quid ergo? Id volumus, ut verbo dicam, hujus propositionis *Deus existit*, in ordine ad cognitionem nostram, eandem

esse conditionem, quæ est V. C. istius, *Totum est majus suâ parte*; aut similium veritatum, quæ principiorum per se notorum, ac propositionum immediatarum nomine vulgò nobis venire solent. Videlicet, nemo sanæ mentis, cui facta est occasio intelligendi res vocibus *Totius*, *Partis*, *Majoris*, significatas, ambigit amplius, utrum Totum sit suâ parte majus, sed è vestigio hoc ipsum per sese verissimum esse ita certò percipit, ut mox sponte, nullâ exspectatâ demonstratione, ruat in assensum. Pari modo contendimus, animum cujusvis hominis mentis compotis, oblatâ hac propositione, ac ritè intellectâ prævià verborum explicatione, *Deus existit*, adeo per se in ejus assensum esse pronum, ut nullam, ad ejus certitudinem menti ingenerandam, necesse habeat quærere demonstrationem; dum majorem in hac ipsa veritate reperit convictionis vim, quam ab ullis argumentationibus queat exspectare: ut non minus facilis & inclinata mens sit ad assentiendum huic effato sine ulla probatione, quam ad amplectendam cujusvis firmissimæ demonstrationis conclusionem.

XII. *Eam dari, ex Legis Naturalis conscientia evincitur.*

Talem aliquam πρόληψιν sive anticipationem de Deo homini à natura esse insitam, firmissimè demonstrat innata conscientia turpis & honesti. Nimirum, attendamus practica principia, qualia sunt, *Unicuique suum tribuendum*; *Alius non est lædendus*; *&c.* concessa quibusvis, qui rationalitatem, id est, humanitatem ipsam non planè exuerunt. Has veritates per se notas existere, earundemque sensum ab ipsa natura animis omnium esse insculptum, docet illarum maxima universalitas, & unanimis quarumvis gentium in hæc placita consensus. Etenim in tanta ingeniorum varietate fieri nequaquam potest, ut omnes idem prorsus sentiant de iis rebus, quarum cognitionem ipsi nobis investigamus & aliundè acquirimus: earum imprimis quarum in vita nostra observatio ardua adeò est & molesta. Adde, quæ has veritates comitatur, vim obligatoriam, suâ sponte efficacissimè se exerentem in animis mortalium; ita ut homines etiam indomiti, nullumque quem metuant in terris agnoscentes, scelerum, quamvis occultissimorum, furiis agitati, in mortis quoque articulo ista patiantur animi tormina, quæ clarè monstrant, harum veritatum transgressores hominum irâ majus aliquid meruisse.

ruisse. Ex quibus conficitur ingenitam esse horum principiorum notitiam: nec simpliciter tantum ingenitam, sed & naturâ notas esse has veritates sub forma legis, munitæ reverâ sanctione pœnali; cui subjecta sit omnis creatura rationalis cum obligatione ad pœnam, si sese ejus constituerit violatorem. Jam verò si sit à natura innata notitia Legis, utique etiam Legislatoris, à qua lex illa lata sit tanta cum obligandi potestate. Antecedentis membri veritas ex dictis manifesta est. De sequelæ necessitate nulli potest esse dubium, quandoquidem Lex & Legislator relata sunt, quorum natura est talis, ut cognitione existant simul, quatenus in notione unius per se includitur respectus ad aliud, atque adeo etiam ipsa notio illius alterius, ad quod hoc prius relationem dicit. Hunc autem Legislatorem cujus insitam notitiam arguit innatus Legis Naturalis sensus, esse Numen de quo nobis hic disquiritur, nullo negotio patescit. Etenim qui innotescit tanquam potestatem legislatoriam habens in conscientiam hominis, creaturæ omnium nobilissimæ, is simul cognoscitur tanquam supremus rerum Dominus, cui jus convenit suâ naturâ αὐτοκρατορικὸν & independens; imprimis cum simul is menti occurrat tanquam occultæ quoque impietatis testis καρδιογνώστης & omniscius, ejusdemque etiam post hanc vitam vindex justissimus & quâvis creaturâ potentior: quæ ipsa prædicata Deitatem digito quasi monstrant clarissimè. Atque hæc ipsa illa ratiocinatio est, quâ alibi utitur tanta cum emphasi infallibilis Gentium Doctor Paulus, urgens vehementer τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *Opus Legis scriptum in cordibus suis*; quod & *ostendant* Gentes, quoque impelluntur sic, ut φύσει, NATURA, *ea faciant quæ legis sunt*; cuique, pro benè vel malè factis, *per excusatrices aut accusatrices cogitationes attestatur conscientia.*

XIII. *Demonstrationum omnium summa brevis & utilitas proponitur.*

Atque ita supremi Numinis Existentiam, simul & Naturalem ejusdem Notitiam, veritatem omnium quæ in universa Philosophia occurrunt primam facilè ac longè præcipuam, suis adstruximus quantùm satis est argumentis: quibus docuimus cognosci Deum, & argumentando, tum etiam admirando, tanquam Ens entium, à quo, ceu alterius cujusvis entitatis fonte & scaturigine, fluit & pendet quicquid ab eo diversum existit

in tota hac rerum natura; & immediato quoque conscientiæ testimonio, quo idem universi primum principium etiam invitis sese manifestat Regem & Dominum supremum, suo arbitrio jura ferentem, eisque suas creaturas auctoritate cui nemo refragari potest adstringentem, tum etiam secundum illa plenissimum in easdem imperium exercentem. Quibus duobus capitibus, quatenus ea arguunt creaturarum, speciatim rationalium, ab opifice suo absolutissimam dependentiam, non realem duntaxat, sed & moralem, comprehenduntur fundamenta omnis religionis ac cultûs naturalis Deo debiti. Plurima eaque pulcherrima subjici possent hujus Demonstrationis Consectaria; atqui suis quæque locis rectius deinceps ea tradentur, quando istuc invitabit occasio, quam abundè ipsa rerum tradendarum series suppeditabit.

EXERCITATIO TERTIA

DE

ATHEISMO SPECULATIVO.

SUMMARIUM.

I. *Atheismi summa & perniciosa absurditas.* II. *Controversiæ de Atheis Speculativis sensus aperitur.* III. *Ejus negativa compluribus adstruitur.* IV. *Pro affirmativa adductæ rationes diluuntur.* V. *Dubitatio de Dei Existentia, ut à Cartesio tradita & pallia-*

palliata, proponitur. VI. *Ejus cum ſummo periculo conjuncta abſurditas detegitur.*



Ppoſita juxta ſe poſita uſque eò eluceſcere, ut eadem ſit illorum ſcientia, non fruſtrà docent Logicorum filii. Quam ob rem, quum proximè diſſeruerimus de prima veritate, nimirum de Exiſtentiæ Divinæ naturali notitia, & certitudinis illius fundamentis, ex ordinis lege tranſeundem nunc foret ad excutiendam contrariam ei falſitatem, Atheiſmum. Ejus num ſit abſurditas major, num impietas, merito dubites. Nullum profectò commentum æquè ac hoc exiſtit ſui everſivum: quando qui agnoſcere nolunt, abſque quo tamen eſſe nequeunt, Deum, eò tandem abire coguntur, ut quam ſummo Numini detrahunt independentiam ac divinitatem, reclamante omni rationis & experientiæ ſenſu, ridiculâ non minus quam monſtrificâ apotheoſi, in hoc ipſum Univerſum tranſcribant. Quumque prima veritas eadem ſit ſumma bonitas, quid mirum, ſi tanta, quâ tam protervè ab illa receditur, ſtultitia exiſtat unica cujuſvis in humano genere impietatis cauſa & origo. Quod adeo verum, ut etiam optimus quiſque quoties in via virtutis deficit ac labitur, ſi ſe ſatis attendat, alium nullum inveniat erroris fontem, quam animi ab intima ſupremi Numinis conſcientia receſſum. Scitè in hanc rem ille:

I. Atheiſmi ſumma & pernicioſa abſurditas.

> *Quilibet, ut peccet, (aliàs peccare timeret)*
> *Eſſe ſibi nullum fingit in orbe Deum.*

Deterrimam hanc peſtem diligentius aliquanto retegere hujus loci foret: verum in ea quâ noſtras has Exercitationes circumſcripſimus brevitate nefarii dogmatis profunda anxiè ſcrutari non licet. Atquì neque lubet; nec multum quoque attinet: dum ſatis huic monſtro inciſi ſunt nervi, quamdiu ſtant adductæ à nobis pro Primi Entis exiſtentia rationes. Neque opus eſt Iliada ſcribere poſt Homerum: adeo, pro more ſuo, plenè ac ſolidè quicquid hùc pertinet pertractavit, venerandæ nobis memoriæ Præceptor & Collega, Celeberrimus Giſbertus Voetius, *Part.* 1. *Select. Diſp. de Atheiſmo.* Paucis unum duntaxat atque

que alterum attingemus, quod hodiè magis controverſum præcipuam præ aliis cum Theologia Naturali habet affinitatem.

II. *Controverſiæ de Atheis Speculativis ſenſus aperitur.*

Eò præprimis ſpectat agitatiſſima quæſtio, de Atheis Speculativis, utrum dentur? Sunt qui affirmant; etiam, quod meritò mireris, ex eorum numero, qui quibuſvis innatam Dei ideam, eamque omnium quæ in mente noſtra exiſtunt clariſſimam ac diſtinctiſſimam, ſimul tradunt: quæ quì cohæreant dogmata, non ſatis me intelligere, lubens fateor. Sentiunt noſtro judicio ſanius, atque apti ſunt Atheiſmum redarguere efficacius, qui negant. Loquimur autem, ne quis ex perperam intellecto quæſtionis ſtatu hallucinetur, de ſubjecto actualis de Deo cognitionis capaci, id eſt, de homine ſanæ mentis, quique in aliis veritatibus cognoſcendis ratione ſuâ rectè utitur: nè quis nobis infantes objiciat, aut mente captos, aut ſimiles, quos ignorare poſſe veritatem, quam nondum actu queunt percipere, vel etiam fortè negare, quam non intelligunt, minimè eſt inficiandum. Neque quæritur, an ſint, qui ſic procul ab omni Numinis reverentia vivunt, quaſi nullus exiſtat Deus, qui ſit ſcelerum teſtis ſimul & judex? Non etiam, utrum reperiantur, qui, negando Dei Unitatem, Omniſcientiam, Immutabilitatem, Providentiam, ſimileſque perfectiones, re ipſâ per legitimam ſequelam è medio tollant Divinitatem? Neque tandem, num quis ore tenus negare queat primæ cauſæ exiſtentiam, atque affirmantibus quoad verba contradicere? Clamat, proh dolor: triſtis experientia, omne hoc Atheorum genus exiſtere abundè, ac nimium indies accreſcere numerum eorum, qui variis modis veritatem injuſtè detinent, ac malitiâ ſuâ tantum non opprimunt. Id ergò τὸ κρινόμενον eſt, An quis detur mortalium, uti ratione potens, qui ipſam Dei exiſtentiam directè ſic neget, ut ex interiori animi ſententia ſecurus acquieſcat in falſiſſima hac falſitate, *Non exiſtit Deus*, tanquam in theoremate, de cujus veritate certò ſe perſuaſum putet? Atque hunc talem Atheum non dari, neque etiam dari poſſe, nos credimus.

III. *Ejus negativa compluribus adſtruitur.*

Fidem huic ſententiæ facit totum quod de naturali Dei notitia, tum acquiſita, tum innata, hactenus docuimus. Non tantum facili adeò diligentiâ ſupremi Entis exiſtentiam in unaquaque creatura nobis obvia elucere, ut vix aliquo diſcurſu indigea-

digeamus, evicimus; verum etiam, ſi quoque ratiocinari hic lubeat, oſtendimus, nullâ longâ ac operoſâ demonſtrationis ſerie hìc opus eſſe, ſed totum hoc confici proximâ conſequentiâ ex immotis principiis, tantâ certitudinis evidentiâ, ut nulla alia dianoëtica notitia ſit facilior. Quapropter quicunque aliarum veritatum vim percipere aptus eſt, hujus etiam efficaciam non ſentire non poteſt. Verùm magis attendi velim, de qua antè diximus, noëticam atque omnibus ingenitam Dei notitiam. Certè, quæ ſecundum ſe ſimpliciter naturalia ſunt, ea exui nequeunt, niſi exutâ pariter naturâ ipſâ; adeo quod congenitum eſt recurrit uſque. Quid? quod ipſum rationis lumen (quo neminem ratione utentem deſtitui clarum eſt) non in alio conſiſtat, quam in primarum & per ſe notarum veritatum cognitione; juncta cum facultate, eliciendi indè legitimâ ſequelâ quæ in eis latent concluſiones. Jam verò anticipationibus iſtis inſitis annumerandam quoque eſſe hanc propoſitionem, *Deus exiſtit*, antè planum fecimus. Quumque primarum veritatum ratione neceſſitatis & certitudinis æqualis inter ſe ſit conditio, utique, ſi nihil obſtat quo minus unam quis ex animo ejicere queat, etiam omnes exſtirpare poterit: quod qui concedendum arbitratur, hominem re verâ ponit non-hominem; à quo ſcilicet id maximè alienum erit, quod ipſum hominem facit rationalem, id eſt, hominem. Adde, quod demonſtravimus quoque, innatum hoc rationis dictamen, in quantum actiones noſtras ſpectat, vim legis habere. Atqui omnem naturalis legis notitiam (cum qua pari paſſu ambulat notitia Legiſlatoris) ita radicitùs exſcindi poſſe, ut nullus omnino ejus maneat ſenſus, nemo, niſi ipſe ab omni rationis lege remotus, dixerit. Saltem haud parum Gentium ἀναπολογησία diminuitur, ſi tam debile ac parum efficax in iis ſtatuatur opus Legis, ut quis ſuâ reſiſtentiâ obligationis ejus ſenſum ſuffocare penitus queat. Quin characterem hujus legis vivum & indelebilem poſcit inprimis glorioſa Legiſlatoris Majeſtas, quæ in hoc potiſſimum omni finitâ poteſtate apparet major, quod jura dicat iſta cum imperii plenitudine atque efficacia, ut ſubditi conſcientiam moralis, atque adeo omnigenæ, dependentiæ à ſuo Rege exuere, etiamſi quam maximè velint, non tamen poſſint, ſed quam ſuâ malitiâ nolunt.

sunt, cogantur nihilominus tremente animo agnoscere Judicis auctoritatem. Hunc demum in modum plenè victrix est Dei potestas: cui & ipsi in malo confirmati Dæmones testimonium dicunt, quando quod exhorrescunt, existere tamen non credere non possunt, Numen. Atque indè factum arbitror (quod silentio prætermittere nequeo, cum maximi sit hoc loco momenti) egregium atque infallibilem Naturalis Theologiæ doctorem & assertorem Paulum, quando alienatum à verò Dei cultu Gentilium statum, ac deploratam eorum malitiam fusè describit, vanos quidem factos narrare in ratiocinationibus ac stultos per obtenebratum intelligentiâ carens cor, eo usque ut debitâ gratiarum actione non tantum Deum non glorificaverint, sed & crassâ idololatriâ incorruptibilis Dei gloriam adeo obscuraverint, ut veritatem Dei in mendacium transformaverint; nusquam tamen in isto scelerum catalogo quem subtexit quicquam hujus Atheismi, qui procul dubio inexcusabilis *ἀσυνέτως* existit argumentum, meminisse. *Osores Dei* inter alios numerat Apostolus; non existentiæ Divinæ abnegatores: minimè præteriturus crimen, quod, si detur, omnium cæterorum fastigium est ac quasi compendium. Quin ex adverso passim inculcat, in tanta malitia homines & *novisse Deum*, & *agnovisse* *δικαίωμα* *τοῦ Θεοῦ*, & conscientiæ ac cogitationum testimonio *ostendisse opus legis scriptum in cordibus suis*. Tam nullus tradi potest *εἰς ἀδόκιμον νοῦν*, ut desinat in eo *manifestum* esse *quod de Deo cognoscitur*, quatenus id unicuique mortalium *Deus manifestavit*.

IV. *Pro affirmativa adductæ rationes diluuntur.* Et hæc quidem præcipua sunt nostræ sententiæ firmamenta; quibuscum conferendum minimè censemus quicquid à quibusdam pro Atheismo Speculativo movetur. Adducunt ex Psalmo *Stultum, qui in corde dicat, non esse Deum*. Verum de Practico potius Atheo istic sermonem esse, ex textûs totius compagine, ejusque cum parallelis collatione, jam dudùm monstrârunt Theologi; quibus eum curatius expendendum relinquimus. Levius est, quod, testimonio Plutarchi ac Ciceronis, referunt de Diagora, Theodoro Cyrenensi, Evemero Tegeate, Euripide Tragico, pluribusque; qui Deos esse negaverint. Etenim quis est qui ignorat, apud Gentiles Atheos passim vocatos fuisse, non qui nullum credebant Deum, sed qui

qui non eadem quæ ipsi admittebant Numina. Socratem ipsum, virum certè sapientissimum, & omni vitæ instituto etiam à suspicione tanti criminis remotissimum, istius quoque impietatis narrant accusatum à quadruplatoribus Athenienfibus; tantùm quod non eosdem, quos concives, coleret Deos. Quicquid sit, istos enumeratos fuisse Speculativos Atheos, quales antè descripsimus, nondum ullâ rationis specie demonstratum vidi. Gravius urget, quem adferunt in medium, Atheismi Apostolus & pro eo Martyr Julius Cæsar Vaninus, qui præfractè Deum negans, postquam per pestilentissimos libros, Æternæ providentiæ Divinæ theatrum, item Dialogos, virus nefarii dogmatis tectè in animos hominum insinuare conatus fuerat, tandem convictus debitum pertinaci impietati supplicium Tholosæ igne exsolvit, etiam ad extremum usque nequicquam à blasphemia remittens. Non vacat disquirere, quibus modis & artibus in casses suos tam profundè trahere potuerit hominem diabolus? Theologici id fori est. Hæc aliaque prætermittens, id unum ajo, tot & tantis rationibus scelestam unius hominis vocem nihil detrahere: qui enim primam veritatem negare audet, quid non ausit? Quare, sic animo re verâ sensisse, uti verbis præ se tulit, prudentis non est credere ex solo impii ac mendacis oris testimonio. Tandem gentes integras in aciem educunt, quæ ex innata feritate nullum Numen agnoscant. Verum testimonium hoc negativum est; quatenus, si qui sunt qui sic narrant, potissimum narrant nihil cultûs religiosi per istud tempus quo inter eas commorati fuerunt, se observare potuisse. Quod si tamen qui ista de gentibus quibusdam testantur scriptores, longiori ac familiariori convictu populorum de quibus loquuntur & linguam & mores perspectos satis & cognitos habuissent, longè aliud, quàm quod de iis tradiderunt, fuissent experti: uti & experti fuerunt alii, qui propriori indagine edocti contrarium de iisdem illis testati sunt; & communi consensu confirmarunt illud Ciceronis, quæ eadem nostra conclusio erit, *Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, quem non imbuerit Deorum* (Dei) *opinio.*

Verum ab aperta Atheismi professione (propter ipsam horridi dogmatis cruditatem, cui digerendæ ferreus paucorum tantum V. *Dubitatio*

de Dei Existentia, ut à Cartesio tradita & palliata, proponitur.

ſpirituum fortium ventriculus par eſt) non tam eſt metuendum veritati & pietati, quam potius ab iſtis artibus, quibus nonnulli, ſive ſcientes, ſive ignorantes, ſub ſpecioſô veritatis inquirendæ prætextu, latam blaſphemiæ portam aperiunt. Has inter (aliis nunc miſſis) primo loco collocandam cenſeo methodum illam, quâ Philoſophaturo præcipitur, in acquirenda cognitione, uti aliarum rerum, ita quoque ipſius Dei, initium faciendum eſſe a dubitatione. Ergò pauca etiam de hac controverſia, *Utrum de Dei Exiſtentia naturaliter dubitare liceat?* Ita quæſtionem proponit Carteſius, *Epiſt.* x. *Part.* II. ubi & de ea diſſerit pluribus; quorum ſumma hùc redit. Contendit, eos omnes, *qui exiſtentiam Dei evidenter demonſtrare nequeunt, poſſe (ſeparatâ fide) naturali ratione examinare, an ſit Deus aliquis? atque ita intellectu ſuo de Deo dubitare.* Quotquot autem ſic de Deo dubitant, ſi ſibi pro ſcopo non habeant in re tanti momenti velle pendere in dubio, ſed hanc ſibi *dubitationem proponant tanquam medium* ad clariorem veritatis cognitionem acquirendam, *rem facere omninò piam & honeſtam*; ut non peccet, qui propter hunc finem *totam quam de Deo habere poteſt cognitionem ad tempus ex animo ſummovet.* Quod niſi lubitum fuerit in re ſeria nugari, abutendo nimium voce dubitationis, ſique quod res eſt dicere licet, nihil iſta volunt aliud, quam omnes illos rem piam facere & honeſtam, qui ad tempus Athei fieri intendunt, ut deinceps Athei eſſe deſinant. Nec enim video, quid re verâ differitatis intercedat inter Atheum, atque illum qui *totam quam de Deo habere poteſt cognitionem ex animo ſummovet.* Quod enim ſubjicit Auctor, etiam nos, quotieſcunque dormimus, aut aliud quicquam agimus, ſeponere in id tempus totam cognitionem quam de Divinitate habere poſſumus, id uti falſum, ita oppidò ridiculum eſt, & merum κρησφύγετον, ad horridam ſententiam, ſi quo colore fieri poſſit, palliandam. Certè, quicunque pius, aliud agens, de Deo non cogitat, is quidem actualem de Divina exiſtentia cogitationem negative non elicit, quatenus plures diverſarum rerum notiones in eadem mentis actione ſimul non ſubſiſtunt; attamen ſervat conſtantem animi propenſionem ac habitualem aliquem aſſenſum in hanc propoſitionem, *Deus exiſtit*, tanquam veriſſi-

verissimam ac certissimam; ut talis nequaquam omnem quàm de Deo habere potest cognitionem ex animo summoveat, nec positivo actu mentis circa ejus existentiam assensum suspendat; quod ad dubitationem Cartesianam omninò pertinet. Nisi dicendum sit, Cartesium, quando in mundo suo vorticoso digerendo laborabat, de Meditationibus suis earumque veritate dubitasse, quòd tum temporis de illis fortè non cogitaverit? Pinguis ista profectò subtilitas est, & mysterium sapientiæ non vulgaris! Verum tanti est ea cudere dogmata, quorum, dum candidum patrocinium apertè suscipere pudet, turpem nuditatem fictis tegere nugamentis tutius habetur. Et quis vel fando audivit, unquam fuisse controversum, an teneamur indesinenter cogitare, quod existat Deus? Aliud ergò planè est, dubitare de re quapiam, id est, pendere in dubio (ut ipse hoc loco Auctor) aliud, de ea non cogitare: nisi velit nova methodus, quando jubet dubitare de omnibus, de iis tantum non esse cogitandum. Plura sunt in paucis illis lineis paris acuminis, aliàs fortè ex professo excutienda. Nunc quæ præ manibus est quæstio tribus verbis absolvenda.

Licitum est procul dubio argumenta quærere ad thesin hanc, *Existit Deus*, variis modis magis magisque stabiliendam: ità tamen ut conclusionis inferendæ veritas, tanquam dubia, ab argumentis adhuc investigandis minimè suspendatur, sed inquirenti argumenta supponatur tanquam certa, tantùm aliis rationibus confirmanda. Itaque, sicuti in vita nostra quotidiè res millenæ nobis occurrunt, quas ipsi certissimas atque indubias esse sumus persuasissimi, quasque nihilominus, si quis fortè negaverit, sine ulla certitudinis in mente nostra diminutione, alteri persuadere nitimur rationibus hunc in finem inquirendis; ita quoque inquirantur argumenta ad confutandum Atheum, nobis tamen ipsis indubia interim semper sit & maneat, veritas hæc, *Existit Deus*. Etenim quicunque ab ejus certa persuasione quicquam remittit (uti remittit omnis qui dubitat; quatenus certum & dubium in mente nostra opposita sunt, quorum alterum alterius contagione imminui necesse est) tanto propius ad Atheismum accedit, quanto à certitudine hujus theseôs recedit longius. Horret certè animus ac meminisse refugit, tanto conatu

VI. *Ejus cum summo periculo conjuncta absurditas detegitur.*

natu commendari hodiè methodum, quâ inter Existentiæ Divinæ certam notitiam & ipsum Atheismum homo in isto ponitur bivio, in quo dubiam trahit sententia mentem, an sit aliquis Deus? Quid? quod qui de Deo dubitat, necesse habeat unà dubitare de sua ab ipso dependentia, suaque ad legis naturalis dictamen obligatione; cujus diminutâ reverentiâ nulla rectior ad Atheismum datur via. Ad hæc, si de Dei existentia dubitare licuerit, etiam dubitationi subducenda non erunt quævis alia principia per se nota, quæ in eodem cum illa stant ordine. Quod si sic, invenit, de quo sibi gratuletur, Atheismus & Scepticismus propugnaculum inexpugnabile; quatenus hi non nisi beneficiò quarundam immediatarum veritatum certò supponendarum everti queunt. Et quid ipsi Cartesianæ Philosophiæ eveniet, quæ hoc pacto omni nudatur certitudinis spe? Cum enim per ejus placita nihil cuiquam possit esse certum, nisi præcognitâ Dei minimè fallacis existentiâ, hac dubiâ datâ, nihil unquam in ea erit indubium: si enim omnia, cum Deo, dubia, quâ obsecro ratione, & ex quo principio, primùm de Deo, mox etiam de rebus aliis, evademus certi? Adde & innatam esse hanc veritatem, quod antè docui: ut nec satis possibilis sit, nec utilis, de ea dubitatio; quatenus suæ certitudinis vi omnem eam sic excludit, ut antè se sentiri faciat, quam de dubitatione consilium capescere alicui licet. Quod si qui nihilominus ejus fulgentem certitudinem affectatâ dubitatione obscurare, & sic re verâ injustè detinere erumpentem veritatem nitantur, viderint tales, ne incidant in judicium gentium, quas, *quia visum non fuit eis Deum in notitia retinere, tradidit Ipse in mentem omnis judicii expertem.* Utinam nulli isti dubitatores id sint experti, nec existant inter eos, qui istis SPINIS suffocati, non possint non parùm reverenter habere deinceps Numen, de quo præfractè primùm dubitare voluerunt!

EXER-

EXERCITATIO QUARTA

DE

DEO INDEPENDENTE.

SUMMARIUM.

I. *Primi alicujus & fundamentalis quasi conceptûs de Deo formandi necessitas.* II. *Perperam ratione Independentiæ Deum Cartesio dici esse à se positivè.* III. *Quid tamen positivi Independentia Divina includat?* IV. *Independentiam Deo competere, & hujus conceptum aliis omnibus in Deo esse præmittendum, ostenditur.* V. *Illi juncta Spiritualitas descriptionem quasi Dei conficit.* VI. *An, & quo sensu, ex natura Verus Deus cognosci dicendus sit?* VII. *Omnimodæ Dei Independentiæ agnitio præcipua veræ Religionis basis.* VIII. *Ex notione Independentiæ perperam concludi, unam tantum dari substantiam.* IX. *Sententiæ hujus Atheismus paucis detegitur.*



I. *Primi alicujus & fundamentalis quasi conceptûs de Deo formandi necessitas.*

AD formandum distinctiorem rei cujussibet conceptum, tum etiam ad notitiam ejus acquirendam & certiorem & pleniorem, rectè præcipiunt Philosophi, inter omnia quæ menti occurrunt prædicata, unum aliquod esse investigandum ante alia, quod rei præ cæteris sit intrinsecum, ac rationem ejus formalem sive essentiam quasi constituat; in quo, ceu immoto fundamento, pedem figere liceat, atque undè, tanquam ex fonte aliquo, continuatâ demonstrationis serie quævis alia ejusdem attributa deriventur. Quapropter, postquàm summi Numinis *Existentiam* naturali rationis lumine non uno modo innotescere proximè evicimus, non rectius, quantum capiunt ingenioli nostri angustiæ, & *Quid*

sive

sive *Quis*, & *Qualis* Deus sit, intelligemus, quam si omnibus nostris de Deo cogitationibus primum aliquem &, ut ita dicam, essentialem conceptum substernamus. Id quotquot negligunt præsenti gravissimorum errorum periculo sese exponunt, ista sæpiusculè Deo tribuentes, quæ à summæ perfectionis statu non tantum sunt alienissima, sed & quæ altius introspecta ipsam naturam Divinam penitus evertunt. Neque hîc satis juvat notio Dei confusè tantùm concepti tanquam Entis *infinitè perfecti* (in quam facile, quotquot Deum existere credunt, consentiunt) nisi ad manum sit manifestum indicium, quo id quod re verâ perfectionem notat discriminetur ab eo quod imperfectum est; quodque adeo conceptibus quibusvis de Deo formandis normam ponat ac mensuram primam & prorsus infallibilem. Tale prædicatum, nostro judicio, INDEPENDENTIA est: quæ cum ipsa natura Divina, in quantum ea sub captum nostrum cadit, unum idemque notare videtur; & quam qui unicè sequitur tanquam cynosuram in formandis quibuslibet de Deo cogitatis, certus is esse poterit, se non falli, hanc quamdiu servat sartam tectamque.

II. *Perperam ratione Independentiæ Deum Cartesio dici esse à se positivè.*

Independentiam cum appello, aliquid significatum volo tum negativi, tum etiam positivi. In mera negatione subsistendum, in quantum excluditur qualiscunque dependentia, sive passiva emanatio ab influxu cujuscunque causæ. Removetur ergò omnis omninò ratio causalitatis, sive intrinsecam eam quis cogitet, ratione Dei ipsius; sive extrinsecam, ratione alicujus principii extra Deum. Et hanc quidem manifestè excludit primitas in causarum subordinatarum serie, respuens omne superius, atque inferens principium sine principio. Illam verò ipsa notio causalitatis arguit contradictionis atque absurditatis; quatenus si quid sui ipsius causa foret, sibi id dedisset quod jam habuisset, nec tamen habuisset quod dedisset. Quæ cum sint evidentia, mirum, quid in mentem venerit Cartesio, quando iterùm iterùmque inculcat, Deum *à se esse, non negativè, sed quam maximè positivè*; sic ut, *quia ille ipse est, qui se re verâ conservat, videatur non nimis impropriè dici posse sui causa*: quatenus *ejus potentiam tam exsuperantem agnoscit, ut planè sit causa, cur ille esse perseveret*; quippe qui, dum in eo *tantum est potentia*

tentiæ, ut rem extra se positam conservet, omninò tanto magis seipsum suâ propriâ potentiâ conservat. Ut *nobis omninò liceat cogitare, illum quodammodo idem præstare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus*: nec videat, *cur nomen causæ tantopere sit fugiendum*, cum potius *illo uti perutile ac propemodum necessarium esse videatur.* Quod si Viro placuisset paulò clarius ac distinctius philosophari, saltem, quid assereret diligentius attendere, videre facilè potuisset, nihil istis inconcinnius dici posse. Quandoquidem enim notiones causæ ac causati indivisam ac reciprocam involvunt relationem eorum, quorum alterum naturâ prius est altero, utique nullus eis in hac materia relinquitur locus. Nisi concipere liceat *quodammodo*, ac dicere *non nimis impropriè*, sed *perutiliter ac propemodum necessariò*, essentiam Divinam naturâ priorem esse se ipsâ; id est, eam id sibi dedisse, quod jam possidebat. Ut jam sileam istud longè crudius, quo ita Deum vult sui ipsius causam, ut eum se conservare dicat per eandem potentiam, per quam res extra se positas conservat. Quæ, si *non nimis impropriè* accipiantur, *quodammodo*, quin planè *necessariò*, inferunt, conceptum potentiæ Divinæ, uti aliarum rerum creatarum essentiis, ita quoque existentiæ Dei, esse præmittendum: quod, qui potest, capiat! Quin, cum conservatio sit quædam continuata creatio, per ista jam allegata cogitandum erit ac pronunciandum, *nec nimis impropriè*, sed *perutiliter ac propemodum necessariò*, Deum statuendum esse creatorem sui ipsius, uti est suarum creaturarum; quarum esse, ut primum, sic quoque continuatum, ad potentiæ divinæ exsuperantem causalitatem est referendum. Quæ omnia cùm sint quam maximè absurda & in Divinam perfectionem contumeliosa, certè ferendi sunt conceptus istiusmodi ac phraseologiæ *nullo modo*, nec *propriè* nec *impropriè*, nedum *perutiliter* aut *necessariò*, sed planè ac plenè ab hoc negotio removendi. Eoque sensu optimè hactenus dictum (quatenus respectus habetur alicujus, qualiscunque ea fuerit, causalitatis) Deum nullo modo esse à se positivè, sed tantum merè negativè, omne sui principium excludendo.

Interim, semoto omni omninò causalitatis conceptu, haud gravatim admittimus, Independentiam à parte rei esse aliquid quam III. *Quid tamen*

E quam

positivi Divina Independentia includat?

quam maximè positivum: quam ob rem quidam eam *Aseitatis* nomine exprimere maluerunt. Etenim, cum ne vilissimæ atque imperfectissimæ quidem rei essentia in prædicato negativo consistat, imprimis cogitandum est, meram negationem debiliorem esse quam ut sufficiat ad ponendum primum & radicale prædicatum illius Entis, quod præ omni alio summè positivum est. Quid? quod etiam ipsum purum putum nihil dici possit suo sensu negativè independens; quatenus nullius causæ influxui debet suum esse, quod nullum habet. Itaque, cum Deum Independentem asserimus, id volumus, illi ex se & per se convenire perfectissimam *Sufficientiam ad existendum*; adeo ut se ipso, modo eminentissimo & ab omni causalitate longè diverso, existentiam possideat, quam suam alia quævis entia suis debent causis. Attamen cum ista ratio existendi consummatissima, & à parte rei procul dubio maximè realis & positiva, à nobis tanquam positiva concipi non possit, nisi mox in alicujus causalitatis ideam incidamus (quæ tamen, uti docuimus, præprimis hic arcenda est) jure merito ac longè tutissimè mens nostra, suæ imperfectionis sibi conscia, ne quid cogitet Deo indignum, acquiescit in negativa Independentiæ notione, quatenus ea offert Dei essentiam nullius ad existendum indigam.

IV. *Independentiam Deo competere, & hujus conceptum aliis omnibus in Deo esse præmittendum, ostenditur.*

Non jam laborabo in demonstranda Dei Independentia, quum de ea ex antè dictis abundè constet. Quod enim in omni causarum ordine primum est (quale Deum esse evicimus antè, cùm à finita causarum subordinatarum serie pro ejus existentia argumentabamur) id ab alterius influxu nihil planè accepisse potuit: quumque tamen existat, utique per se atque ex se id existere, est necesse. Cæterùm, uti ab omni causa, ita quoque alio quovis modo Independentem esse Deum, eâdem demonstratione conficitur. Quandoquidem enim omne aliud dependentiæ genus eam quæ à causa est supponere & involvere constat, utique in quod Ens hanc cadere non posse ostendimus, ab eodem omnem alterius ordinis dependentiam esse removendam, per sese manifestum est. Id ergò potius inquirendum, de quo lis moveri posset, utrùm conceptus Independentiæ, pro modo cogitandi nostro, cæteris omnibus in Deo occurrentibus prædicatis præmittendus sit, tanquam maximè essentialis & intrinse-

trinsecus? Nobis quidem sic omninò videtur: &, quia Independentia ex nullo priori deduci, sed duntaxat à posteriori de Deo probari, potest; &, quia quævis aliæ in Deo obviæ perfectiones ex ipsa Independentia, tanquam ex fonte, à priori quasi queunt demonstrari: uti de singulis docebit sequens noster tractatus. Cui verò prædicato duo ista requisita conveniunt, id rectè habetur pro ratione rei formali, distinguenda ab attributis, tanquam prædicatis illius, uti vulgò loquuntur, consecutivis. Nec obscurè Deus ipse nobis in hoc conceptu præiisse videtur, quando sese manifestavit nomine יהוה tanquam *Memoriali* suo. Videlicet, id uti derivatur ab הוה *fuit*, ita in nativa significatione notat aliquid quod *est absolutissimè ex se ipso*: quapropter & illud Deo *essentiale* esse ac proprium, nec ulli alteri communicabile, docent Theologi & Philologi; ex quibus consuli potest facillimus harum rerum explanator, Præceptor ac Collega honorandus, Cl. Johannes Leusden, *Philolog. Hebr. Dissert.* XXVII.

V. *Illi juncta Spiritualitas descriptionem quasi Dei conficit.*

Quamvis autem omnia quæ Deo conveniunt, ipsa etiam ejus *Spiritualitas*, sive Vita rationalis, essentiam notans ab omni materia remotam, & intelligendo ac volendo actuosam, facilè ex Independentia deduci queant, atque ideo solius hujus conceptus, ad Dei essentiam pro modulo repræsentandam, sufficere videatur; attamen, quoniam Rationalitas ista Dei sive Spiritualitas fermè pari passu cum Independentia ex creaturarum contemplatione, ut suprà vidimus, nobis innotescit, quumque etiam nos assueti simus in concipienda aliarum rerum natura duo prædicata essentialia distinctè notare, quorum prius magis est commune, posterius rei magis proprium ac specificum; facilè admittimus, ne nimium à communi concipiendi modo recedamus, analogico quodam modo (excludendum enim omne imperfectionis fundamentum) conceptum nostrum de natura Divina comprehendi posse duabus notionibus, quarum altera ejus *Spiritualitatem* (cujus etiam suo modo participes existunt rationales creaturæ) altera conjunctam, quin identificatam cum illa, *Independentiam* offerat. Ut supremi Numinis brevis, & ad captum nostrum accommodata, talis esse queat descriptio: *Deus est Spiritus Independens.* Aliæ, quæcunque circumferuntur definitio-

finitiones, vel verbis tantum ab hac differunt, re ipsâ conveniunt, ut cum Deus dicitur, v. c. *Essentia spiritualis se ipsâ vivens*; aut, *Ens entium*; *&c.* vel minus existunt accuratæ, quòd non primum prædicatum, sed attributum aliquod, essentiâ divina pro modo concipiendi posterius, assumant; quales sunt quæ Deum describunt, v. c. *Ens necessariò existens*; aut, *Ens infinitè perfectum*; *&c.* Sed harum examen, servamus illis locis, quibus de Necessitate existendi, Infinitate perfectionum, &c. sumus acturi. Imprimis verò silenter hîc prætermittere non deberem præposteram philosophationem Neotericorum, omnem Divinam essentiam frigidâ solius *Cogitationis* ideâ circumscribentium; nisi ejus absurditatem pluribus detexissem, peculiari *Exercitatione de Cogitatione*, *quæ sit mens humana*. Quapropter & istud nunc missum facio.

VI. *An, & quo sensu, ex natura Verus Deus cognosci dicendus sit?*

Cæterum, ex dictis de Independentia, quæ eadem sit cum Essentia Divina, liquet, ni fallor, quid respondendum sit ad quæstionem, An ex natura cognoscatur verus Deus? Rationem dubitandi fecit quibusdam, cùm S. Trinitatis per naturalis rationis lumen nescientia, tùm profunda Gentilium idololatria; quarum illa veri Dei ignorantiam, hæc ejusdem quoque abnegationem inferre videtur. Nemo tamen, qui ἀκριβῶς ratiocinari ac loqui hîc cupit, id simpliciter negaverit, nisi qui pariter neget, Ens Independens, aut verum Deum esse, aut ex rationis lumine innotescere: quorum utrumlibet esse certissimum, jam demonstravimus. An verò *quod de Deo cognosci potest*, quodque *Deus* ipse Gentibus *manifestum fecit*, *æterna videlicet* DIVINITAS *& potentia*, non solius veri Dei characteres sunt, sed ficti quoque idoli elogia? Quasi *Jus Dei*, ac *opus Legis Gentium cordibus insculptum*, Deum aliquem *non-verum*, per cujus notitiam *redditæ sint inexcusabiles*, conscientiis earundem manifestaverit! Verbo, cum *non-verus* Deus re verâ sit *nullus* Deus, utique vel verus Deus ex natura cognosci potest, vel nullus planè cognoscitur. Id qui admittere non vult, hoc concedere cogitur: quo ipso omnis naturalis Dei notitia unâ liturâ expungitur. Fateor, Gentiles ex *obtenebrati cordis* cœcitate turpissimè erraſse, dum illum veri Dei conceptum, quem opus conscientiæ æquè ac creationis abundè suppeditabat, mirâ fatuitate

tate applicuerunt iſtis rebus quæ naturâ Deus non erant, ſicque inciderunt in craſſiſſimam idololatriam; at indè non rectius conficitur, eos verum Deum non cognoviſſe, quam inferre licet, aurifabrum v. c. quempiam non cognoſcere naturam veri auri, quia fortè in dubia luce per aliquam viſûs fallaciam oblatum aurichalcum verum aurum putat. Imò verò in hoc præcipuè ſunt gentes inexcuſabiles, quòd, cum verum Deum cognoverint, non tamen ut talem glorificaverint, ſed ejus gloriam in fœdum idolum transformaverint. Etiam SS. Trinitatem ignoraſſe, largior; at non ideo ignorarunt verum illum Deum, qui re ipſâ Triunus eſt, etſi hos in ipſo ſubſiſtendi modos, atque indè pendentem totam ſalutis œconomiam, per ignorantiam puræ negationis neſciverint. Aliud enim eſt, notitiam, quam quis de Deo habet, imperfectam eſſe, nec ſalutarem; aliud, objectum imperfectæ talis cognitionis non eſſe verum Deum. Quapropter, ſi accurato loquendi modo ſit inhærendum, nequaquam poteſt categoricè negari, verum Deum ex natura cognoſci poſſe, niſi quis periculoſâ phraſi in extremum diſcrimen adducere velit univerſam Theologiam Naturalem; quippe quæ, niſi pro objecto habeat verum Deum, in merum phantaſma chimærici alicujus idoli re verâ convertitur. Hoc cum nolint quotquot contra Socinianos iſtam tuentur rectè ſentientes, crediderim facilè, hanc, quatenus inter illos agitatur, de nomine præcipuè eſſe controverſiam: quamobrem nec latius eam proſequor.

VII. *Omnimodæ Dei Independentiæ agnitio præcipua veræ Religionis baſis.*

Porrò, hæc Dei, cujus eſſentia ſit ipſa Independentia, notio, plurimas ſuppeditat ac pulcherrimas obſervationes, quarum ampliſſimus in Theologia univerſa, tam Naturali quam Revelata, uſus conceptûs hujus elegantiam mirè commendat. Per omnes ac ſingulas ire curta pagina non permittit. Conabor hoc uno, quo abſolvam, totum comprehendere: *Nihil quicquam tribuendum Deo, quod non ſit omni ratione Independens; quodque abſolutè Independens eſt, Illi ſoli id adſcribendum.* Novâ demonſtratione non indiget hæc veritas. Quandoquidem enim attributa quævis & operationes ſequuntur conditionem rei à qua fluunt, utique etiam res iſta, cujus ſolius tota natura eſt ipſa Independentia, ſibi ſoli vindicat prædicata quæcunque Independentiam involventia, & alia quævis aliquid dependentiæ connotantia,

tantia, tanquam è diametro sibi adversa, prorsus respuit. Ex hoc uno canone neglecto, uti nati sunt omnes de Dei natura & perfectionibus errores, omnisque adeo idololatria ac hæresis; ita contrà hic idem unus accuratè observatus securam reddit omnem nostram de Deo ac Creatura cogitationem. Tribue Deo intrepidè quicquid visum est, dummodo salvas independentiam, ex vero tribuis: De creatura in ordine ad Deum ut lubet philosophare, tantum si per omnia agnoscas dependentem, rectè philosophaberis. Ex adverso: Detrahe Deo quicquam quod spirat Independentiam; aut tribue creaturæ vel minimam Independentiæ speciem, mox blasphemus es simul ac sacrilegus. Atque hæc prima ac præcipua illa Reformatæ nostræ Religionis laus est & gloria, quòd una præ cæteris tota sit in eo, ut per omnia Deo sua constet Independentia, sua creaturis dependentia. Ut, si quid erret, in hoc solo erret, quod Deum nimium Deum, Creaturam nimium Creaturam agnoscat. Hîc verò cum errari neutiquam possit, nequit etiam ullo pacto fieri, ut hæc de Deo doctrina existat falsa. Ita Reformatæ nostræ fidei, atque uni nostræ, plaudit ac testimonium efficacissimum dicit ipsa recta ratio; dum circa Deum ac res divinas modis indignissimis sine ratione, ac contra rationem, delirat universa secùs sentientium cohors; quorum omnis error fundamentalis, ac perpetuum πρῶτον ψεῦδος existit, Deum solum non agnoscere omnimodè Independentem. Cujus contrarium quoniam religiosè observant orthodoxi, illis per solam supremi Numinis Independentiam stat victrix Dei Gratia, cadit inimicus illi corruptæ naturæ typhus.

VIII. *Ex notione Independentiæ perperam concludi, unam tantum dari substantiam.*

Etsi verò soli Deo Independentiæ omnimodæ gloriam sic asseruerimus, nihil tamen commune nostram philosophationem habere volumus cum conceptibus eorum, qui, longè alio modo instituentes, in rerum natura neque dari neque dari posse contendunt plures substantias quam unam, quæ necessariò existat, & essentiam habeat infinitè perfectam atque inexhaustam, quæque constet infinitis attributis, quorum quodlibet infinitam essentiam infinitè exprimat. Ut per Mundum intellectum velint *modum qui Dei attributum aliquod certo ac determinato modo exprimit*: per partes autem mundi, quas ipsi vocant *res particulares,*

res, *nihil aliud nisi Dei attributorum affectiones sive modos, quibus Dei attributa certò atque determinatò exprimuntur*: adeo ut quælibet res particularis sit *modificatio Dei*, utque, quatenus una res particularis ab alia re particulari differt, ita Deus aliter atque aliter modificetur. Quæ profecto verba, in quamcunque flectantur formam, si quem habent sensum, alium nullum dare possunt, quam, unam duntaxat esse substantiam, quæ sit solus Deus; multiplices interim esse unius illius substantiæ modos, qui sint res quælibet particulares in hoc universo nobis obviæ, v. c. cogitantes, extensæ, &c. quæ omnes in una illa substantia subsistentes cum ea faciant complexum quoddam, puta substantiam unam modis variis modificatam. Ut ex hac hypothesi eadem res, si consideretur ratione substantiæ, omnes modos sustinentis, Deus dicatur, quæ eadem, spectata ratione modorum particularium, omnium simul ad absolvendum hoc Universum concurrentium, Natura vulgò appellari consuevit. Id est, ut verbo dicam, Mundi nullam esse substantiam præterquam quæ Dei ipsius est: ut Mundus & Deus non nisi considerandi modo differre videantur. Hùc planè aurigantur, quæ de partis unius universi ab alia dependentia tradunt, nullà factâ mentione Dei. Nempe statuunt „quamlibet rem particularem quæ finita est & „determinatam habet existentiam, non posse existere nec ad o„perandum determinari, nisi ad existendum & operandum de„terminetur ab alia re quæ etiam finita est & determinatam ha„bet existentiam, & hæc rursus ab alia, quæ etiam finita est & „determinatam habet existentiam; & sic in infinitum. Num quid clarius pro Naturæ apotheosi dici potest?

IX. *Sententiæ hujus Atheismus paucis detegitur.*

Re ipsâ itaque universa hæc philosophatio aliud nihil est, quam recoctus quidam Atheismus Plinii aliorumque, præter hunc nostrum mundum nullum Numen agnoscentium, hoc est, re vera planè nullum. Tam enim nemo rationis compos sibi persuadere potest Deum esse quodcunque videmus, ut nulla in hoc universo res oculis obvia existat, quæ non, undecunque eam intueamur, omnibus atque singulis prædicatis suis reclamet, testeturque suâ dependentiâ, finitudine, mutabilitate, contingentiâ, insufficientiâ, &c. nihil sibi divinum inesse. Vide *Exercitat.* III. §. I. Quumque jam centies confutata sit ista impietas, miror,

miror, Philosophiam, totam his fundamentis superstructam, eâ subtilitatis specie se hodiè posse commendare tanquam unicè masculam: miror, desiderari toties viris etiam minimè indoctis & malis, ut prodeat tandem aliquis, qui accuratam det stupidi commenti refutationem; cum detexisse tantum rem hîc verè sit refutasse. Quod ipsum neque ignoravit sectæ princeps, quando tam ambiguis, obscuris, tortis phrasibus mentem involvit, ut religiosissimi quoque horum arcanorum interpretes fateantur, *obscurè & durè se* virum illum *explicuisse*, *per verba durissima*, *& primo aspectu incomprehensibilia.* Nimirum aliam evasionis rimam non inveniunt, ad declinandam hanc Atheismi notam; quâ notâ omnem ei perituram gratiam norunt. Interim ipsi cavent quoque sedulò, ne, missis verbis durissimis & incomprehensibilibus, ideoque merito hactenus rejectis, per phrases claras ac distinctas mentem suam hîc faciant planam; quod facere decebat omninò tantorum mysteriorum Sacerdotes, ut desinant tandem (quod conqueruntur passim) à paucissimis intelligi tam profundæ sapientiæ cogitationes. Has interim cui debeamus primo auctori vel inventori, forsan percipietur inspicienti Cartesii *Princ. Part.* I. *Art.* LI. ubi sic ille: „Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quæ ita „existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum. Et quidem „substantia quæ nullâ planè re indigeat, unica tantum potest „intelligi, nempe Deus. Alias verò omnes non nisi ope con„cursus Dei existere posse percipimus. Atque ideo nomen sub„stantiæ non convenit Deo & illis univocè, ut dici solet in „scholis; hoc est, nulla ejus nominis significatio potest distin„ctè intelligi, quæ Deo & creaturis sit communis. Conferre hæc cum istis prioribus possunt queis vacat. Nos ad ea revertimur quæ ad institutam nostræ Meditationis seriem pertinent.

EXER-

EXERCITATIO QUINTA

DE

DEI ATTRIBUTIS,

in communi.

SUMMARIUM.

I. *Pluribus & inadæquatis conceptibus Divinæ perfectiones nobis apprehendendæ.* II. *Absurdè statuuntur duo tantum Attributa Dei Interna, Intellectus & Voluntas.* III. *Attributorum Divinorum cum Accidentibus creaturarum collatio.* IV. *Objectionibus eorum, qui Accidentia esse contendunt, occurritur.* V. *Qualis inter essentiam & Attributa Dei intercedat distinctio, pressius exponitur.* VI. *Attributa Dei alia Independentiam, alia Spiritualitatem ejusdem, sequuntur.*



Rudentis Philosophi est, quoties cognoscenda occurrit res perfectionibus suis captum nimiùm excedens, eam, ne planè non intelligat, intelligere ut potest; atque adeo notiones de ea formare, si non re ipsâ dignas, menti saltem suæ approportionatas. Sicubì, certè hîc, ubi de Deo sermo est, id locum habet: is enim tanto perfectionum splendore mentis finitæ aciem perstringit, ut pulchrè dixerit ille, habere se intellectum nostrum ad contemplationem primi Entis, ut se habet oculus noctuæ ad intuitum Solis. Quapropter, quicunque non cupit, quanto diutius considerat, tanto sibi Deum videri obscuriorem (quæ desperantis

I. *Pluribus & inadæquatis conceptibus Divinæ perfectiones nobis apprehendendæ.*

in hoc negotio Simonidis vox est, apud Ciceronem) suæ imperfectioni ante omnia hic est consulendum; ut, quod uno mentis actu adæquatè comprehendere nequit, uti in se est, id pluribus conceptibus inadæquatè apprehendat saltem, uti ipse potest. Indè factum, ut, quamvis nihil existat in Deo quod non sit ipsissimum ejus Esse, nos tamen pro modulo Eum cogitaturi necesse habeamus, & plura in eo concipere prædicata, & illorum alia supponere quasi essentialia constitutiva, ut loquuntur, alia ex illis deducere, quasi sint essentialia consecutiva. Atque ista quidem esse diximus *Spiritualitatem Independentem*, vel si mavis, *Independentiam Spiritualem*. Verùm, quantæ sit sufficientiæ & amplitudinis iste conceptus, tum demum intelligemus rectius, quando suo ordine ex fonte illo scaturientes Perfectiones lustraverimus; quippe quæ instar radiorum totidem manifestius nobis manifestabunt, *Quale* sit hoc Ens exsuperantissimum. Solent istæc omnia vulgò venire generali nomine ATTRIBUTORUM Divinorum: per quæ intelligimus, quaslibet perfectiones, quæ conceptum Essentiæ Divinæ, ceu Spiritûs Independentis, necessariò sequuntur, quatenus de essentia illa, per ipsam essentiam, quasi à priori possunt demonstrari.

II. *Absurdè duo tantum statuuntur Attributa Dei interna, Intellectus & Voluntas.*

Dicebam, Attributa esse *Perfectiones*; quatenus non tantum imperfectionem aliquam à Deo removent, sed & in ipso notant prædicata positiva ac realia; etsi sæpè, ex conceptuum nostrorum & vocabulorum penuria, negativâ notione repræsententur, negativâ voce exprimantur. Ut minimè rei hic satisfaciat tenuis illa philosophatio quorundam, qui contendunt duo duntaxat, propriè loquendo, esse Attributa Dei interna, Intellectum & Voluntatem; reliqua tantum denominationes externas esse, aut relationes, aut negationes, ad essentiam Dei internam propriè non spectantes, sed illi tantum tributas in ordine ad homines, aut alias quasdam res externas. Id quidem minimè negandum est, fateor, in concipiendis pro modulo Attributis Divinis mentem nostram frequenter de Deo cogitare cum relatione ad res quæ sunt extra ejus essentiam, uti id experimur, quoties nobis repræsentamus Æternitatem, Immensitatem, &c.: verum, quamvis hinc conficiatur, istiusmodi respectus ad res extra Deum juvare intellectum

tellectum nostrum in formandis notionibus Divinarum perfectionum, nullâ tamen legitimæ sequelæ specie hinc inferre liçet, Attributa ista secundum suum formale in ipsa natura Divina purâ relatione aut negatione absolvi. Quasi quæ Deo simpliciter tanquam Spiritui conveniunt prædicata, magis illi sint interna, & plus dicant realitatis, quam quæ eidem quà Independenti competunt! Cum tamen natura Spiritualis Deo & creaturis rationalibus analogico modo sit communis; Independentia verò imprimis propria illi existat atque essentialis, uti demonstravimus. Ex quibus sicuti conficitur, Deum maximè ratione suæ Independentiæ à creaturis distare, ita ex mente eorum qui sic philosophantur pariter sequi necesse est, Eundem à creaturis potissimùm differre quibusdam relationibus, aut negationibus, aut denominationibus; id est, aliquibus non-entibus. An verò credendum, non existentibus creaturis, atque adeò cessantibus ejuscemodi relationibus, denominationibus, negationibus, plerisque suis attributis exui naturam Divinam? Quin, cum Independentia prædicatum sit à parte sui non minus positivum, quam ipsa Spiritualitas, idque ipsum ante alios imprimis velint hi auctores, nescio quam ob causam illa Deo magis interna sint Attributa ac positiva, quæ Spiritualitatem comitantur, quam quæ fluunt ex Independentia. Scio, illos contendere, omnia quæ sunt in Deo esse meram cogitationem; cui per se nihil volunt esse intrinsecum, præter intellectum & voluntatem: verum de hypotheseôs hujus falsitate alibi nobis actum est. Cæterùm instantias hic adderem desumptas ab existendi Necessitate, Simplicitate, Immutabilitate, Æternitate, Immensitate, similibusque Perfectionibus, quas nec merum Intellectum esse aut Voluntatem, nec tamen meras negationes, aut denominationes, aut relationes, docerem, nisi id intelligendum foret rectius ex singularum explicatione, quæ infrà tradenda erit suis locis. Conferatur interim Exercitatio nostra *de Cogitatione quæ sit ipsa mens humana*; ubi & alia in hanc rem adduximus, assertionem istam confodientia.

Quandò dicimus, Perfectiones hasce *sequi conceptum essentiæ Divinæ*, cave sis, ne idcirco vera Accidentia esse cogites, aut dispositiones quasdam ab essentia verè distinctas, eandemque accessu

III. *Attributorum divino-*

 accessu

rum cum Accidentibus creaturarum collatio.

accessu sui modificantes; uti id obtinet in creaturis, quæ recipiendo adjuncta quædam in sese, eo ipso majorem quasi perfectionis gradum consequuntur, dum acquirunt quod naturâ suâ in se ipsis non possidebant. Omnem istiusmodi pluralitatem, atque indè fluentem compositionem, respuit tum Independentia Dei, jam demonstrata, tum perfectionum in ipso Infinitas proximè demonstranda: de quibus quoniam agendum erit pluribus, ubi erit dicendum de Simplicitate Dei, nihil attinet ista hìc loci antevertere. Interim hanc ipsam ob causam cautelæ ergò dicebam, Perfectiones hasce sequi, non ipsam Dei essentiam, sed potius essentiæ Divinæ conceptum: ut omnis tum pluralitas, tum prioritas ac posterioritas hic intelligenda duntaxat sit, uti loquuntur, in signo rationis, ac pro modo concipiendi nostro; quatenus mens nostra ex pluribus prædicatis, quæ sese in Deo pro nostro captu offerunt, notionem unius alicujus præmittit, ex qua cætera à priori quasi demonstret: ad instar scilicet accidentium, quæ de creaturis, à quibus realiter distinguuntur, ex suis veris causis demonstrantur. Scitè hunc in sensum alibi priscæ Ecclesiæ Doctor: „Sapienter dici„tur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa per„fecta est: sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, „etiamsi non omninò accidant Deo, hæc dicere, & mente „accidentium modo concipere.

IV. *Objectionibus eorum, qui Accidentia esse contendunt, occurritur.*

Neque objici potest, omnia rei alicujus Attributa esse debere ejusdem accidentia ab essentia distincta; in quantum nihil de se ipso potest demonstrari. Quamvis enim idem, cogitatum quatenus prorsus idem, de se ipso demonstretur; nihil tamen obstat, cur non idem de eodem queat demonstrari, si tantum sufficienti fundamento idem bis diversimodè concipiatur. Multæ profectò Disciplinæ instituunt demonstrationes affectionum à subjecto re ipsa non distinctarum. Pneumatica de Anima hominis demonstrat Intellectum ac Voluntatem; cum tamen nec hæc facultas ab illa, nec alterutra à suo subjecto, realiter differre videatur. Quis asserat, Impenetrabilitatem, Divisibilitatem, Figurabilitatem, Mensurabilitatem, &c. à materia distincta accidentia esse; demonstrat tamen hæc de eadem Physica. Ipsa Mathesis, speciatim Geometria, quæ methodum

thodum demonstrativam peculiari quodam quasi jure suam fecit, demonstrat v. c. de triangulo rectangulo, potentiam rectum angulum subtendentis cæterorum duorum laterum potentiæ esse æqualem; item, cujusvis trianguli rectilinei duo latera tertio esse majora; tres angulos internos æquivalere duobus rectis; &c. At quis, nisi ineptus nimium, ista trianguli prædicata totidem ejus accidentia, re vera ab essentia distincta, dixerit? Urgent quidam regulam Philosophi: *Quod in uno est accidens, id non est substantia in alio.* Quasi indè sequatur, ex. gr. Sapientiam, Justitiam, Misericordiam, aut in Deo non esse ipsam ejus substantiam; aut eadem illa in nobis non esse accidentia: quorum posterius esse falsissimum, est manifestum. Verum nulla hæc difficultas est, si cogitaverimus, effatum hoc verissimum esse de illis prædicatis, quæ in pluribus rebus sese habent eodem prorsus modo. Ergò, si Sapientia Dei & nostra in idem genus univocum, ut vocant, convenirent, stringeret, fateor, argumentatio: at nunc, cum non nisi ad similitudinem qualemcunque & modum valdè analogicum eadem Sapientia Deo tribuatur atque creaturis (ut deinceps videbimus) nihil utique obstat, cur non quæ Deo inest Sapientia sit ipsa ejus essentia, quippe quæ sine illa non esset talis; nostra verò sit accidens, utpote quæ nobis inest planè contingenter.

V. *Qualis inter Attributa & essentiam Dei intercedat distinctio, pressius exponitur.*

Ut autem ista percipiantur melius, videamus paucis, quâ ratione, quo modo & fundamento, Attributa Dei ab ejus essentia distinguantur? Realem inter illa intercedere diversitatem, quâ sint verè plura, jam negavimus. Nec tamen à sola mente nostra unicè pendet discrimen, quasi ea pro mero lubitu de eadem re conceptus variet & multiplicet: sic enim Attributa hæc non tam aliquid quod fluit ex ipsa Divina natura, sed meri potius conceptus (quidni ingenii nostri lusus?) essent. Ergò ab intellectu nostro quidem est quod inter essentiam Dei & Attributa ejusdem intercedit discrimen; ita tamen, ut notiones illæ, quibus idem ens simplicissimum ac quam maximè indivisum pluribus dissimilibus atque inadæquatis concipiendi modis pro captu nostro à nobis apprehenditur, fundamentum suum habeant in re; quod distinctionis genus vulgò in scholis vocant rationis ratiocinatæ. Fundamentum verò, cujus memini, aliud

nullum esse videtur, quam ipsa infinita Divinæ naturæ excellentia; quâ dum intellectûs omnis creati angustias longissimè excedit, apta tamen est, pro vario ad res varias respectu, in eodem terminare varios ac multiplices concipiendi modos. Ut re verâ sit ipsa Divina in ordine ad nostras cogitationes Incomprehensibilitas (de qua latius suo loco); quâ fit, ut quod unicâ notione simul ac semel menti nostræ præsens sistere non possumus, accommodatè ad captum nostrum id nobis repræsentemus iteratis mentis actibus, ac notionibus plurimùm differentibus. Qui concipiendi modus in nobis, uti nullam ponit in Deo imperfectionem, verùm potius supremam quandam ac verè Deo dignam perfectionis eminentiam; ita quoque idem, licet arguat mentis nostræ ad tantam rem cogitandam disproportionem, nullam infert in istiusmodi conceptibus falsitatem: & quia omnis abest notionum unio, quæ sola falsitati subest; & quia talium conceptuum, uti dixi, sufficiens datur in re fundamentum & necessitas, quibus prorsus destituitur falsitas qua talis. Tantùm id hic attendendum est, ut imperfecti istius atque analogici concipiendi modi probè nos semper nobis simus conscii, nec unquam qualescunque illas nostras de Deo cogitationes normam constituamus eorum, quæ de Deo ipso sint judicanda. Ex quo uno neglecto fermè profluxit, quicquid plurimi circa Dei Attributa errant graviter; à quo periculo aberimus longissimè, si accurato semper judicio imbecilli nostræ perceptioni subveniamus.

VI. *Attributa Dei alia Independentiam, alia Spiritualitatem ejusdem sequuntur.*

Deniquè de Attributorum Divinorum ordine ac divisione multi multùm solliciti sunt. Nobis ea tractâsse sufficiet eâ serie, quâ quælibet eorum tum ex ipsa Dei natura, tum alia ex aliis, optimè deduci queunt. Non tamen displicet, si quis universa revocaverit ad duas classes; quarum altera sub se comprehendat perfectiones illas, quæ ex Independentia Dei qua tali fluunt; altera illas, quæ ex Spiritualitate ejusdem qua tali demonstrantur. Etenim quùm jam antè ad ista duo capita ipsum Essentiæ Divinæ conceptum reduxerimus, ut Attributa (quæ essentiæ suæ conditionem sequi solent) pariter ad illa duo referantur, rectæ methodo consentaneum videtur. Quamvis autem istic conceptui Independentiæ eum qui est Spiritualitatis quasi

quasi communiorem substraverimus, hic tamen visum est præmittere tractationem Attributorum quæ sequuntur Independentiam qua talem, eis quæ comitantur Spiritualitatem. Etiamsi enim & hoc verum sit, in Attributis Independentiæ concipiendis, etiam Spiritualitatis, in iis omnibus dominantis, accuratam semper habendam esse rationem, placet nihilominus inversus ordo: tum quia Spiritualitas sub ipsius Independentiæ conceptu quodammodo comprehenditur, non verò conceptus Independentiæ sub eo qui Spiritualitatis est; tum etiam, quia, quemadmodum solius Spiritualitatis notio, non Deum qua talem, sed abstractam potius rei cujusvis spiritualis naturam offert, ita quoque attributa Spiritualitatis per se nimiùm in communi subsistunt, nec satis tanquam Divina agnoscuntur, nisi per Attributa quæ fluunt ex Independentia pro modo concipiendi nostro exaltentur quasi, donec Deo dignè cogitentur. Et hæc eadem ratio est, ob quam hactenus Theologi & Philosophi duas statuerunt Attributorum Divinorum series, quarum altera Incommunicabilium sit, Communicabilium altera. Rectè quidem: quatenus ut ipsius Spiritualitatis, ita perfectionum indè resultantium, expressio quædam analogica relucet in rationalibus creaturis; quo nomine etiam Dei imaginem gerere in Sacris dicuntur: at verò Independentiæ cum annexis nullum in eis vestigium; in quantum sufficientiæ talis ad existendum ex se citra cujuscunque causæ influxum, eorumque quæ ex illa fluunt prædicatorum, nulla creata natura quocunque modo existit capax. Non nescio, obstrigillare hisce quosdam, claris suis ac distinctis ideis in omni scirpo nodum quærentes, ne quid scilicet existat in Theologia aut Philosophia, quod non sit Novæ sapientiæ lumine collustratum; verum tales sunt quas adferunt objectiunculæ, ut ex dictis eis satisfiat facillimè, neque necesse videatur in præsentiarum pluribus super hac re cum illis congredi.

EXER-

EXERCITATIO SEXTA

DE

DEO INFINITE PERFECTO.

SUMMARIUM.

I. *Infinitatis Perfectionis explicatio cæteris Dei Attributis cur præmittenda?* II. *Eam esse Attributum, Essentiam Dei consequens, ostenditur.* III. *Perfectio generatim spectata quid, & quotuplex.* IV. *Triplex modus Perfectiones continendi Deo applicatus.* V. *Perfectiones Divinas cognosci, non ex Ideæ innatæ intuitu, sed ex creaturarum contemplatione, probatur.* VI. *Quo pacto huic negotio subserviat triplex via, Causalitatis, Negationis, & Eminentiæ.* VII. *Perfectionis Infinitatem Deo, & quidem soli, convenire, demonstratur.* VIII. *Perfectionis Divinæ ritè cogitatæ in studio pietatis utilitas.*

I. *Infinitatis Perfectionis explicatio cæteris Dei Attributis cur præmittenda?*



Nter omnia prædicata, quæ ex natura Dei deducenda intellectui nostro sese offerunt, primum locum merito sibi vindicat INFINITA ejus PERFECTIO. Ea enim non tam est Attributum, quam potius quædam Attributorum omnium complexio; quâ mens nostra brevi quasi compendio, conceptu interim minus distincto ac satis obscuro, apprehendere nititur quicquid de Deo cogitandum venit. Cui accedit, quòd, quamvis ingens sit sententiarum divortium in concipiendis & Deo tribuendis his aut illis Attributis, in hoc unum tamen conveniant omnes, quotquot planè Athei non existunt, Dei nomine intelligi ens infinitè perfectum; quo

quo scilicet majus atque excellentius existit nihil: undè trita ac recepta quibusvis elogia, quibus Deus agnoscitur ac prædicatur, *Optimus*, *Maximus*. Id quidem hominum errore contingit, ut ista quandoque à quibusdam Enti summo adscribantur, quæ re ipsâ imperfectionem arguunt; nemo tamen Illi tribuit quicquam, quod non ipse perfectionem notare saltem putet. Adeò ut, quandò deinceps erit disputandum, nùm hoc vel illud prædicatum Deo conveniat, nec ne? tantum fermè sit inquirendum, utrum id dicat perfectionem? Si notare evieceris, quin in Deo locum habet, nemo ambiget.

Ajebam, omnimodam hanc Perfectionem esse quasi compagem omnium Attributorum, quippe quæ universa uno hoc titulo comprehenduntur. Quare minùs placet conceptus; quo Perfectionum Infinitas statuitur primum ac radicale ipsius essentiæ Divinæ prædicatum; quia scilicet ipsa quoque Independentia, ceu Perfectio quædam, sub Infinita Perfectione contineatur, & sic hæc illâ pro modo concipiendi sit prior. Verum tamen eam Divinis Attributis rectius accenseri, facilè intelligemus, si attendamus, Perfectionis nomine, ex accurato loquendi modo, non rei illius, cujus esse dicitur perfectio, indicari essentiam ipsam, sed illa ejusdem prædicata, quæ addita essentiæ nihil illi deesse faciunt eorum, quorum ipsa est capax; ut omnis Perfectio supponat naturam cujus perfectio dicitur. Imprimis hìc observandum venit, intellectum nostrum, quando existentiam summi Numinis demonstrat ex finita causarum subordinatarum serie, per eam primò ac directè duci ad Deum agnoscendum simpliciter tanquam causam primam, seu Ens Independens. Simul quidem innotescit, fateor, tanquam rerum quarumvis à se pendentium perfectiones continens; at non ilicò nobis hoc ipso offertur tanquam ens absolutè atque omni modo perfectum: quæ notio ex Independentia demùm quasi a priori eruitur, ut ex iis quæ mox sequentur manifestum fiet. At verò quodcunque ex alio priori demonstratur, id ipsam rei essentiam non constituere, evidens est. Si quis nihilominus malit voce Perfectionis intelligere omne prædicatum quod rei quomodocunque inest, sive essentiam constituat, sive sequatur (quo sensu liquet nomine Infinitæ Perfectionis etiam Independentiam comprehendi)

II. *Eam esse Attributum, essentiam Dei consequens, ostenditur.*

G cum

cum tali, etsi minus accuratè philosophari videatur, multum litigandum non erit, quoniam nominalem controversiam hactenùs facere videtur.

III. *Perfectio generatim spectata quid, & quotuplex.*

Per ipsam autem *Perfectionis Infinitatem* tale Dei prædicatum intelligimus, cujus ratione Essentia Divina omnes omninò Perfectiones possidet, modo sibi conveniente, id est, infinito ac consummatissimo. *Perfectionem* in genere vocant id omne quo secluditur aliquis defectus: undè Perfectum vulgò describunt, id cui nihil deest. Aliquid verò alicui deesse dicitur vel negativè, vel privativè. Negativè deest, quod quidem secundum se perfectionem notat, cujus tamen hoc aut illud subjectum non est capax: quo sensu lapidi v. c. deest perfectio intelligendi, loquendi, &c. Privativè alicui aliquid deest, quando abest aliquod prædicatum, cujus subjectum omninò erat capax: hoc pacto homini idiotæ deest perfectio eruditionis, aut muto loquela, &c. Saltem Perfectio propriè sic dicta semper notat aliquod positivum; ut hactenus non malè definiatur: *Perfectio est quæ in unoquoque est melior ipsa, quam non ipsa.* Videlicet, ex duobus terminis contradictoriis ille perfectionem notat, qui exprimit aliquid quod à parte rei est reale ac positivum; ille autem imperfectionem, qui reale ac positivum prædicatum removet ac tollit. Adeo ut, quantum unaquæque res habet Entitatis, tantundem quoque habeat Perfectionis; cum Perfectio parum aut nihil differat ab ipsissima rei Bonitate, quam cum ente reciprocari, rectè docent Metaphysici. Cavendum interim, ne nostris conceptibus ac vocibus examinemus, utrùm aliquid positiva perfectio sit, nec ne? Frequenter enim mentis imbecillitas ac vocabulorum penuria, istic negativis notionibus ac signis uti cogit, ubi res ipsa est quam maximè positiva. Conferri possunt quæ hanc in rem antè diximus, occasione Independentiæ, *Exercit.* IV. §. III. Prætereà, neque hìc negligenda est non inutilis distinctio Perfectionum, quà aliæ earum dicuntur esse simpliciter simplices, sive absolutæ; aliæ tales tantùm secundum quid, sive limitatæ. Illæ sunt, quæ, qua tales, in essentiali suo conceptu nullam supponunt, includunt, aut inferunt imperfectionem, sed ubicunque reperiuntur notant puram putam perfectionem, quales v. c. sunt, Scientia, Voluntas, Simplicitas, &c.

Hæ

Hæ sunt, quæ quidem prout in certo subjecto existunt, perfectionem notant, in quantum illi subjecto tali prædicato gaudere conducibilius est, quam non gaudere; attamen vel adjunctum habent, vel supponunt saltem aliquid imperfectionis, in cujus remedium & levamen sint concessæ. Sic facultas discurrendi ex. gr. est Perfectio; sed in homine, quatenus is plurima ejus beneficio cognoscit, quæ absque ejus usu prorsus ignoraret. Nutritio pari modo perfectio est; sed in vivente corporeo, in quantum absque ejus ope, ob continuam partium dissipationem, diu in suo esse perseverare non posset.

IV. *Triplex modus continendi Perfectiones, Deo applicatur.*

Et ista quidem si generatim benè percepta fuerint, rei quæ præ manibus est lumen affundent haud exiguum. Nimirum, quando diximus, Essentiam Divinam *omnes omninò Perfectiones* possidere, universas intelligimus conceptibiles & possibiles; qualescunque eæ fuerint, seu absolutæ, seu limitatæ. Quod tamen rectè intelligendum; neque enim eodem modo has possidet, quo illas. Id innuebamus, cum addebamus, Deum illas continere *modo sibi conveniente*; qui qualis sit? videndum jam est aliquanto propius. Tribus modis res quæpiam Perfectiones aliquas continere vulgò dicitur; quos suo more exprimunt Scholastici, cùm ajunt rem aliquid in se habere Formaliter, Eminenter, Virtualiter. Scilicet, cui aliqua Perfectio inest simpliciter secundum propriam suam definitionem, illi ea inesse dicitur *Formaliter*; quasi dicas inesse secundum intrinsecam suam formam sive essentiam: quo modo intellectui humano inest v. c. facultas judicandi, aut discurrendi. Quod si Perfectio quædam, prout existit in hoc vel isto subjecto, adjunctam habeat aliquam imperfectionem, quæ tamen eadem, remotâ omnis imperfectionis notâ, gradu ac modo longè eminentiori, in alia re continetur, dicitur ea ab hac re contineri *Eminenter* (quamvis non eodem modo omnes hæc explicent): quo sensu v. c. Intellectus Divinus intellectum humanum in se continet. Denique, quæcunque Perfectio ab alio quo produci potest, etsi fortè nec formaliter nec eminenter in eo contineatur, dicitur in illo esse *Virtualiter*; quia scilicet virtute istius causæ actuari potest: atque ita v. c. Pictor perfectiones picturæ suæ, Architectus perfectiones domûs à se fabricatæ, in se continet. Quæ si

transferantur ad Deum, atque ejus omnimodam Perfectionem, sic paucis statuendum est. I. Quæ Perfectiones simpliciter & absolutè tales sunt, neque quicquam imperfectionis habent admixtum, eæ quoque simpliciter secundum definitionem suam, sive formaliter, Deo tribuendæ sunt. Sic Deus formaliter est Æternus, Simplex, Intelligens, Volens, &c. II. Quæcunque prædicata notant Perfectionem aliquam limitatam & secundum quid, ea, in quantum separatis imperfectionibus manent aliquid perfectionis, eminenter in Deo locum habent, quatenus, præcisâ omni imperfectione, gradu ac modo excellentissimo, ei tantum tribuuntur. Ita Deo competit v. c. Ubi, Quando, Intellectus, Voluntas, &c. rerum creatarum; quatenus ab eis removetur omnis dependentia, finitudo, successio, divisio, mutabilitas, &c. III. Denique, quæcunque Perfectiones secundum quid ab omni adhærente imperfectione ita ut concipi possint θεοπρεπῶς separari nequeunt, eæ duntaxat in Deo contineri dicuntur virtualiter, tanquam in causa prima, quæ eas uti sunt in creaturis extra se potest producere. Atque hoc modo in Deo sunt v. c. Visus, Loquela, Motus, Figura, & quælibet alia rerum corporearum attributa.

V. *Perfectiones divinas cognosci, non ex Ideæ innatæ intuitu, sed ex creaturarum contemplatione, probatur.*

Ex quibus liquet, hos modos, quibus Deus Perfectiones quasvis possidere concipitur, relationem involvere ad perfectiones rerum creatarum, ex quarum contemplatione Dei perfectiones cogitare discimus. Rident, sat scio, albis dentibus hanc omnem philosophationem hodierni quidam magistri, qui, explosis istis, scilicet! nugis, jam dudum se reperisse sibi imaginantur viam longè magis compendiosam, ad Infinitas Dei Perfectiones secundum sese cognoscendas, absque creaturarum ope, ex solo intuitu Entis infinitè perfecti ideæ, quam se mente sua circumgestare innatam jactitant claram & distinctam. Verum μεγαλοῤῥήματα ista vel id abundè refellit, quod nihil illi attributorum Divinorum ex ista idea hactenus deprompserint, quod non jam olim de Deo demonstrarunt alii, qui ex creaturarum contemplatione occasiones sumpserunt philosophandi de primi entis Perfectionibus. Quin utinam illi, qui à trita via hic recesserunt, ideæ istius figmento non ita corrupissent plerarumque Divinarum perfectionum conceptus, ut, nisi tandem licen-

tiæ fiat finis, brevi Deus aliquis orbi hactenus ignotus sit introducendus! Absit, quod ominantur prudentiores! Neque ominari immeritò, docebunt errores quos isti committunt circa plurimas perfectiones divinas, suis locis inferiùs notandi: uti quoque plenius de hac entis infiniti clara idea agendum erit, cum Incomprehensibilitatem sumus tractaturi. Nobis religio est, etiam hoc loco quicquam recedere ab ista methodo, quâ hactenus ad Divinarum perfectionum conceptum ex creaturarum perpensione ascenderunt viri maximi. Atque illas in hisce, tanquam in speculo, relucere, nemo, nisi Atheismo nimium velificans, negaverit. Ut nesciam, quid sibi velint, qui Attributorum Divinorum notitiam ex creaturarum consideratione hauriri neque posse, neque debere, hodiè contendunt. Alia profectò mens Regio Vati, cui hæ *enarrabant gloriam Dei fortis*, ac *magnificum per universam terram nomen.* Alia item Apostolo, qui ex τοῖς ποιήμασι *æternam Divinitatem & potentiam intelligi*, inculcat; Deumque beneficiis suis se οὐκ ἀμάρτυρον reliquisse, testatur. Cui veritati ratio quoque suffragatur & experientia; quippe quæ docet, nullas Dei perfectiones à nobis cognosci, quarum sciendarum occasio aliqua non sit facta ex contemplatione creaturarum: quod petenti per inductionem demonstrari posset facili negotio. Quin, ex illis Dei attributis quæ lumine naturæ cognoscimus, ea concipimus facilius & magis positivè, quorum præ aliis vestigium in creaturis exstat expressum. Nihil est, quod objiciunt, inter Perfectiones Infinitas Creatoris & finitas creaturæ nullam dari proportionem, atque ideò notitiam harum non posse suppeditare conceptum illarum. Hoc, inquam, nihil est, quandoquidem conceptum hunc analogicum duntaxat esse fatemur, non directè repræsentantem Perfectiones Dei prout in Deo sunt, sed tantum pro modulo, quo earum capax est mens creata: at verò ad talem conceptum fundandum, intercedente rationis usu, sufficiunt ipsæ etiam creaturarum rerum imperfectiones; cum nuspiam magis verum sit quam hic illud Logicorum, oppositorum eandem esse scientiam.

VI. *Quo pacto huic negotio*

Ut hæc capiantur melius, non est hoc loco prætereunda via, quâ ex perceptis entium finitorum attributis, ad cognitionem perfectionum in infinito Deo assurgimus. Triplex illa est,

 Diony-

subserviat triplex via, Causalitatis, Negationis, & Eminentiæ.

Dionysio Areopagitæ vulgò adscripta: puta, Causalitatis, Negationis, & Eminentiæ. Nimirum, quoties rem creatam tanquam dependentem cogito, nihil in ea invenio perfectionis, quin statim per viam Causalitatis mens ducatur ad cogitationem, easdem saltem perfectiones contineri in causa ejusdem prima; cum perspicuum sit, nihil esse in effectu, quod idem non fuerit in causa. Inquirens porrò, quo modo id sit in Creatore, quod suo modo video inesse creaturæ, mox percipio, in creatura id multâs annexas habere imperfectiones, quæ cum Creatoris independentia prorsus pugnant: succurrit ergò via Negationis, id omne removens, ob quod tale prædicatum enti Independenti tribui propriè non poterat. Verum cum ex imperfectionis remotione sequatur oppositæ perfectionis positio, mox conatur mens nostra viâ Eminentiæ eo usque amplificare istius perfectionis conceptum, donec aliquid cogitare videatur Deo dignum, quodque ei absque independentiæ præjudicio tribui queat. Observo (ut totum exemplo illustrem) *durare* creaturam: indè colligo per viam Causalitatis, etiam ergò durare Creatorem. Sed duratio creaturæ dependens est, finita, contingens: non ita, cogito per viam Negationis, durat independens Creator. Quâ ergò ratione durat hic? Modo infinities perfectiore, quam qui à me concipi potest, addit via Eminentiæ. Undè tandem perfectionis Divinæ, quæ Æternitas appellatur, resultat, qualis in mentem nostram cadit, conceptus. Ita mutuas sibi operas præstant hæ viæ; quas quò quis accuratius in suis de Dei perfectione cogitationibus formandis observat, eò puriores de ipsa habebit notiones.

VII. *Perfectionis Infinitatem Deo, & quidem soli, convenire, demonstratur.*

Cæterùm, explicatâ sic omnimodâ Dei Perfectione, id superest, ut accedamus ad ejus demonstrationem, quæ facili negotio ex ipsius Independentia adstruitur hoc modo. Quod est independens, tam perfectum est quam esse potest. Quod tam perfectum est, quam esse potest, infinitè perfectum est. Ergò, quod independens est, infinitè perfectum est. Propositio certa est: nam quodcunque non tam perfectum est quam esse potest, id à perfectione possibili, quæ sibi addi potest, dependet; atque hactenus non absolutè independens est. Assumtio indubia existit; quoniam ideo aliquid finitè perfectum est, quia aliquid

aliquid majus ei addi potest: at quod tam perfectum est quam esse potest, ei quicquam addi nequit; necessariò itaque, quod tam perfectum est quam esse potest, id infinitè perfectum est. Manet ergò Deum, quia Independens est, esse infinitè perfectum: quod demonstrandum erat. Iterùm: Omnis omninò perfectio possibilis vel dependens est, vel independens. Quæcunque independens est perfectio, ea, hoc ipso quia esse potest, etiam est: mera enim possibilitas, existentiam actualem excludens, est pura denominatio facta à potentia rei, in cujus sinu latet, & à qua produci potest; quod ipsum independentiæ è diametro adversatur. Jam verò si omnis independens perfectio ipso actu existat, non alibi quærenda erit quam in independenti essentia: ea enim quæ dependens est independentis perfectionis non est capax; cum nullum attributum excedat conditionem sui subjecti. Possidet ergò ens independens ipso facto in sese omnes omninò perfectiones independentes. Quod ad dependentes attinet, eæ vel ab aliquo dependenti dependent, vel ab independenti. Si hoc, ergò à Deo ipso, qui solus est independens, dependent; consequenter is easdem, tanquam causa, virtualiter in se continet. Sed & omnes illæ perfectiones quæ à dependenti principio pendent, per subordinationem rerum dependentium finitam (de qua antè) tandem reducendæ sunt ad omnis rei dependentis principium primum independens, quod ipse Deus est. Continet ergò Deus, quia Independens est, ipso facto omnes omninò perfectiones possibiles; atque hoc ipso existit infinitè perfectus: quod demonstrandum erat. Plura addere nihil attinet. Uti nec opus est, multis probare, hanc perfectionis infinitatem soli Deo convenire; nec ullam dari posse creaturam perfectissimam, de quo latè Scholastici. Constat de utroque abundè ex eo, quod demonstratum jam sit, Perfectionis Infinitatem indissolubilem nexum habere cum Independentia Divina; cujus nullam speciem alteri esse communicabilem, retrò docuimus.

VIII. *Perfectionis Divinæ ritè cogita-*

Ex iis quæ de Perfectione Dei infinita hactenus disputavimus, hanc nobis figamus regulam, Nihil unquam præcipitanter de Deo esse effutiendum, sed diligenter prius & seriò attendendum, num quod de Deo affirmamus aut negamus, infini-

tæ in studio pietatis utilitas.

tâ perfectione sit satis dignum, ne unquam deprehendamur in eam injurii. At non id sufficit. Etiam in illam injurii erimus, nisi quasvis rerum creatarum perfectiones finitas semper cogitemus ac dependentes; rivulos scilicet, uti deductos ex immenso divinarum perfectionum oceano, sic in eundem reducendos. Ita qui sublimare assuevit suas de perfectionibus rerum finitarum cogitationes, semper & ubique is Creatorem inveniet manifestatum in creaturis; quarum quot notat perfectiones, tot observat reflexos ab iis Divinæ bonitatis ac perfectionis radios. Hac dulci meditatione verè nobis

Præsentem referet qualibet herba Deum;

&, secundum illud Senecæ, *Deus erit id quod videmus, & id quod non videmus.* Hac vilescet vel totius Universi imperfecta quævis perfectio; quæ sine Deo nulla, absque qua etiam Deus Perfectissimus.

O hominum Rector! quam latè nominis exit
Fama Tui; & terras Virtus Tua sparsa per omnes
In mutis etiam loquitur de Numine rebus!

EXERCITATIO SEPTIMA,

DE

DEO NECESSARIO EXISTENTE.

SUMMARIUM.

I. *Inter Dei Attributa primum est Necessitas existendi.* II. *Eam perfectionem, Contingentiam imperfectionem esse, ostenditur.* III. *Deum esse Necessarium*

rium in existendo, demonstratur. IV. *An pariter sit Necessarius in operando, & quo sensu, explicatur.* V. *Præter Deum nil esse in existendo absolutè Necessarium, probatur.*



Ta quoque in compendio quasi, *Qualis* sit Deus, pro ingenioli nostri captu & modulo vidimus, Ens videlicet *Infinitè perfectum*. Verum cum hic conceptus tantum sit confusa notio alicujus aggregati, puta collectionis cujuspiam quarumcunque quæ dari aut concipi possunt perfectionum, ad distinctiorem hujus rei notitiam acquirendam omninò pertinet, lustrare sigillatim saltem aliquas earum Perfectionum, quæ pro modo concipiendi nostro istum immensæ perfectionis cumulum conficiunt. Dico, saltem aliquas earum nobis esse considerandas: omnes enim atque singulas enumerare, nedum explicare, sphæram finiti & creati intellectûs excedit longissimè, ac solius infinitæ mentis, se incomprehensibilem comprehendentis, prærogativa est, sicuti suo loco videbimus. Inter eas quarum notitiam naturali rationis lumine manifestare nobis voluit Creator, numerandam primo loco censemus jure merito Existendi Necessitatem. Ut enim primum cujuslibet rei prædicatum, quod in omnia alia ejusdem perfectione supponitur atque includitur, est ipsa Existentia, absque qua unumquodque nihil eorum est quæ est; ita ex cæteris Dei Attributis illa præmittenda videntur, quæ præ aliis Existentiam ejus proximè comitantur & sequuntur: qualis sine dubio est Existentiæ Necessitas. Atque hac ratione moti quidam hanc existendi Necessitatem numerarunt, non inter Attributa, sed inter illa prædicata, quæ sunt Essentiæ Divinæ constitutiva: ast perperàm, quandoquidem ea ex Independentia Divina quasi à priori potest demonstrari; uti ex dicendis intelligetur. I. *Inter Dei Attributa primum est Necessitas existendi.*

Est verò Necessitas existendi in Deo, tale Ejus Attributum cujus ratione naturæ Divinæ absolutè repugnat non-existere. Nimirum Necessitati opposita est Contingentia; quæ notat, rem existen- II. *Eam perfectionem,*

Contingentiam imperfectionem esse, ostenditur.

existentem citra contradictionem posse non-esse. Ut quidem Contingens omne existat, atque hactenus sit aliquid reale (si enim existentiam non haberet, non jam Contingens propriè foret, sed merum duntaxat possibile, & non-ens) interim tamen eo usque sit affine nihilo, ut saltem repugnantiam non dicat ad id, ut nihil fieri possit. Hinc, quemadmodum citra controversiam perfectius est esse, quam non-esse (quum rectè notent Metaphysici, unumquamque rem tantum habere bonitatis & perfectionis, quantum habet entitatis) ita etiam procul dubio perfectius est non posse non-esse, quam posse non-esse: quo quid enim ab imperfecto longius distat, quòque illi magis adversatur, eo etiam perfectius id est habendum. Quum itaque τὸ *Aliquid* perfectius sit τοῦ *Nihilo*, perfectior quoque erit ille existendi modus quo res quæpiam sic est Aliquid, ut Nihil esse planè non possit, quam si sic sit Aliquid; ut fieri interim possit purum Nihil; cujus uti nullæ sunt affectiones, ita nec ullæ perfectiones.

III. *Deum esse Necessarium in existendo, demonstratur.*

Quibus perceptis, dubium esse nequit, quin Deus, propter Infinitatem suæ Perfectionis, sit Ens necessariò existens. Quum enim existendi Necessitatem esse simplicem & absolutam perfectionem, jam demonstraverimus, utique ex ipsis terminis & per se nota est hæc propositio, *Quod existit infinitè perfectum, existit necessariò*: quoniam prædicatum hujus enunciationis in subjecto ejusdem includitur & continetur. Quod enim infinitas perfectiones possidet, ei unam earum, puta existendi Necessitatem, negari non posse, res ipsa clamat. Non istis tamen probamus methodum Recentiorum, concludentium necessariam Dei existentiam (non, uti nos, ex supposita vel demonstrata jam antè simplici ejusdem existentia) sed ex idea quapiam entis infinitè perfecti, quam se in sua mente reperire ajunt: de qua re vide *Exercit*. II. §. VI. Cæterùm, etiam cum Dei Independentia immediatè cohæret ejusdem in existendo Necessitas. Etenim omne Contingens secundum se indifferens est ad hoc, ut vel sit, vel non-sit. Si namque in se ipso aliquid contineret, quod faceret potius id esse, quam non-esse, utique, eo ipso quod aliquam talem existendi rationem in sua essentia contineret, Necessarium, non Contingens, foret. Itaque quando Con-

Contingens existit, semper extra illud aliquid quæri potest, quod causa sit, cujus influxu res, ex sese indifferens ad utrumlibet, determinata sit ad existendum potius, quam non-existendum. Quam dependentiam à cujuscunque causæ influxu quum Independentia Divina prorsus respuat, respuit quoque eadem omnem pariter Contingentiam, dependentiam istiusmodi involventem: consequenter, oppositam illi Necessitatem existendi eam includere, manifestum est. Nec tantùm omnimoda Dei Independentia & Perfectio Necessitatem ejusdem in existendo inferunt; sed & eam arguit efficaciter ipsa rerum creatarum Contingentia. Utì enim plurimæ res contingentes nobis passim obviæ sunt, ita in earum causam, per quam existant, inquirere licet; cum, uti demonstratum, eæ ex se & per se existere non possint. Illam si contingentem assignaveris, & ipsa, per jam dicta, suam iterum habebit causam. Hæc si rursus detur contingens, eadem denuo redibit quæstio: quæ cum in infinitum (propter causarum subordinatarum seriem necessariò finitam, de qua antè) repeti non possit; utique oportet illud, in quo tanquam in prima rerum contingentium causa subsistimus, esse ens Necessarium in existendo. Ast hoc ipsum demonstrandum fuit.

IV. *An pariter Deus Necessarius sit in operando, & quo sensu explicatur.*

Juvat hoc loco tribus verbis expedire huic materiæ affinem controversiam à variis variè definitam, An Deus, uti est ens absolutè Necessarium in existendo, ita pariter absolutè necessarius sit in operando? Facilis erit dubii solutio, si observemus, duobus modis à nobis spectari posse Dei actionem; vel absolutè, prout se habet à parte Dei & secundum sese, nullâ habitâ ratione objectorum, effectorum, aut modi operandi; vel relativè, quatenus includit respectum ad has vel istas res hac vel ista ratione existentes, in quibus actionem Dei terminari concipimus. Isto modo si consideretur, jubet Dei Simplicitas (infrà demonstranda) credere, actionem Dei ab essentia ejus actuosa nullâ parte distingui. Quapropter etiam tantùm abest ut essentia sine actione hic esse queat, ut quæ essentiæ, eadem quoque actioni cum essentia identificatæ conveniat absolutissima Necessitas. At verò, si spectemus Dei actionem cum relatione ad has aut istas creaturas, hoc vel istoc modo ab actuosa Dei essentia fluentes, certum est, eam omnem esse non-necessariam, sed indifferenter liberam, sive

objectum actionis spectes, sive modum operandi. Talis enim agendi modus cum sit perfectissimus, ut maximè etiam congruus tum Independentiæ Creatoris, tum dependentiæ omnimodæ creaturarum, enti perfectissimo & independenti planè tribuendus est. Atque ita verissimum illud tritum Theologorum: *Actiones Dei ad extra sunt indifferenter liberæ*. Sed de hisce alibi plura.

V.

Præter Deum nil esse in existendo absolutè Necessarium, probatur.

Nunc ex dictis abundè intelligitur, absolutam talem existendi Necessitatem solius Dei attributum esse, nec ulli communicabile. Nam ut Ipsi uni convenit Independentia, absque qua Necessitas ejuscemodi non consistit, ita omne quod existit præter Deum ab influxu ipsius procreante & conservante pendet; qui cum sit, ut dixi, in egressu suo indifferenter liber, etiam res quæcunque ab eo procedentes suâ naturâ indifferentes erunt ad existendum vel non existendum; id est, erunt prorsus contingentes. Convenit quidem suo modo quibusdam creaturis aliqua Necessitas, vel potius Immutabilitas quædam, ratione quorundam prædicatorum; sed non ideò illa prædicata absolutè & secundum se necessariò existunt, cum quod sint, id vel fluat indè, quod aliquod aliud prædicatum Deus in rebus posuerit, quod illa sibi habet connexa tanquam non realiter à se distincta; quo sensu substantia aliqua necessariò est divisibilis, figurabilis, &c. posito Deum eam creasse extensam: vel fluit à lege quapiam naturæ, quam Deus rebus tulit, ut secundum eam innato impetu agant; quo pacto Sol necessariò movetur: vel denique indè procedit, quod Deus certitudinem connexionis fecerit inter duas res, ut si earum una sit, altera sequatur; quâ ratione, positâ corporis humani totali indispositione, necesse est animam à corpore separari. Itaque cum omnis ejusmodi Necessitatis ratio derivanda veniat ab aliquo extrinseco, puta à Deo, qui tales naturas creare, tales leges ferre, talem antecedentis cum suo consequente concatenationem facere, liberrimè voluit, cum, si placuisset, eorum omnium nihil planè ponere potuisset, facilè liquet, ab omnibus istis qualiscunque Necessitatis speciebus toto cœlo distare illam, quam Deo asseruimus, absolutam existendi Necessitatem. Verùm de istis quoque uberius dicendi alibi locus est.

EXER-

EXERCITATIO OCTAVA,

DE

DEO ÆTERNO.

SUMMARIUM.

I. *Inter Necessitatem existendi & Æternitatem quæ sit respectu durationis distinctio.* II. *Æternitatis à Tempore, ratione carentiæ terminorum, discrimen.* III. *Altera Æternitatis, ratione carentiæ successionis, à Tempore differentia.* VI. *Dei Æternitatem esse interminabilem, docetur.* V. *Eandem esse successionis expertem, demonstratur.* VI. *Neque obstat ejus cum nostris temporibus successivis coëxistentia.* VII. *Relatio ad temporalia spatia, seu vera, seu possibilia, qui juvet nostrum Æternitatis conceptum?* VIII. *Æternitatem esse Dei solius prærogativam, ex demonstratis conficitur.*



Ic, Deum existere necessariò, ostensum satis. Porrò videndum, an, & quâ ratione existat *Alicubi* & *Aliquando*? Nam etiam hæc duo Attributa cum ipsa rei cujusvis Existentia immediatè cohærere videntur. Istud nobis explicabit conceptus *Immensitatis*; hoc, ÆTERNITATIS. Quibusdam quidem Æternitas confunditur cum ipsa Necessitate existendi, quasi hæc idem sonent; rectius tamen ista duo distinguuntur. Non quidem nego, quemadmodum contingens, hoc ipso quod tale est, est temporarium, ita quoque omne absolutè Necessarium in existendo,

I. *Inter Necessitatem existendi & Æternitatem quæ sit respectu durationis distinctio.*

do, ideo quod tale est, esse Æternum: attamen conceptus Necessariæ existentiæ competit Deo simpliciter tanquam existenti; Æternitas verò eidem potius tribuitur tanquam duranti, seu permanenti in ista sua existentia. Indè & hæc à quibusdam definitur, Infinita Dei duratio. Non est autem quod quem in hoc negotio offendat vox *durationis*, quasi hìc minus accurata sit. Id enim uti lubens concedo, si per eam præcisè indigitetur continuatio alicujus existentiæ successivæ, qualis est nostra duratio, per lapsum annorum, mensium, &c. ita ex adverso nil video, ob quod vocem hanc fugere hìc debeamus, si abstractè sumatur, eâque simpliciter intelligatur qualiscunque rei in existendo perseverantia. Hoc sensu, quatenus τὸ *durare* opponitur τῷ *cessare in existendo*, non capio, quomodo quis durationem de Deo negare possit, qui non oppositum ejus, defectum puta in existendo, de eodem absurdissimè affirmet.

II. *Æternitatis à Tempore, ratione carentiæ terminorum, discrimen.* Describunt alii Æternitatem negativè, Durationem principio, fine, & successione carentem; alii positivè, durationem quæ tota & perfecta sit simul. Nobis non displicet nota omnibus ac celebris definitio Boëtii, utramque explicationem miscentis, quando ait: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Minutatim eam non jam excutiam. Nostro instituto faciet satis duo in ea observasse, per quæ Æternitas à spatiis nostris temporalibus longissimè distat. Primò, *Interminabilis* dicitur Æternitas; non tantùm quia re ipsâ terminos quoscunque, sive principium & finem, excludit ac removet, sed & quia illos omnes conceptibiles sic excedit, ut ne quidem terminos istiusmodi pati possit, quatenus ens Æternum sic Sempiternum est, ut nunquam cogitari queat posse aliquando vel non-fuisse, vel non-fore. Aliter res temporariæ, quæ, quia suos ortus habent & interitus, duratione gaudent certis terminis circumscriptâ. Dantur quidem earum quædam (v. c. animæ rationales) quarum existentia nunquam deficiet; quo sensu Ævum, tempori strictè dicto oppositum, à quibusdam eis adscribitur: attamen eæ, quamvis durationem de facto terminatam non habeant, habent saltem citra contradictionem terminabilem, in quantum ex natura rei præsens durationis momentum cum futura adeo nullam connexionem habet,

ut

ut quovis temporis articulo finem ei imponere, si velit, possit Deus. Quin, si paulò diligentius hæc introspicere lubet, deprehendemus, etiam has ipsas res in suo esse permanere duratione quovis existentiæ momento ipso facto terminatâ; quatenus per fluxum instabilis suæ existentiæ, ac labentem quandam sui innovationem, perpetuò amittunt illum durationis articulum, quem modò possidebant; acquirunt alium, quo modò carebant: atque ita, tametsi duratio earundem in infinitum sit producenda, ea tamen quam actu habent, vel habuerunt unquam, præsenti momento in quo jam versantur ipso facto finitur, dum quas adhuc in futuro habituræ sunt durationis partes, necdum eis in præsenti gaudent.

Sed & secundò, durationem suam omnem *simul totam ac perfectam possidet* quod est Æternum: id est, durat invariabili quâdam existentiæ perseveratione, absque ulla minutorum sibi succedentium lapsu. Aliter res temporariæ, quæ singulis momentis novum quasi incipiunt esse; quippe quæ tempori subjectæ, quemadmodum ipsa tempora, cum temporibus mutantur, nec unquam omnem illam habent durationem, quam habere possunt. Sequitur hîc quod elapsum est præteritum præsens, sed non nisi istud fuerit elapsum; hoc excipiet mox futurum, at non nisi eo ipso evanescat præsens. Neque, quia res olim fuit, ideo jam est; aut non, quia jam est, aliquanto post erit; dum hic fuisse esse potest sine esse, esse stare potest sine fore. Quod verò absolutâ Æternitate gaudet, dum perfectissimâ existit duratione, gaudet necessariò eâ tantâ, quantâ gaudere potest: quæ durationis perfectio cum in nullum successivum cadat, utique ab Æternitate secundum se penitus removendum omne *fuisse*, omne *fore*, quod non sit ipsum *esse*. Ut per Æternitatem res durans ponatur in momento eodem & perpetuo, quod quasi semper stat, partibus caret, in fluxum nunquam progreditur, in se ipso manet: undè quidam non ineleganter eam dixerunt, *Nunc semper stans*. Scitè hanc temporis strictè dicti ab Æternitate propriè sumpta differentiam (cujus accurata observatio unica ad Æternitatem ritè concipiendam via est) paucis expressit magnus Augustinus, cujus hæc verba ex Enarrat. in Psalm. CI. huc transscribere non pigebit. Ita com-

III. *Altera Æternitatis, ratione carentiæ successionis, à Tempore differentia.*

commentatur Doctor in verba hæc Vatis: *In generatione generationum anni tui.* „Sed qui anni tui? Qui, nisi qui non ve-„nient ut transeant? Qui, nisi qui non ideo veniunt ut non „sint? Omnis enim dies in hoc tempore ideo venit, ut non „sit, omnis hora, omnis mensis, omnis annus: nihil ho-„rum stat, antequam veniat erit, cum venerit non erit. Illi „ergò anni tui æterni, anni tui qui non mutantur, in gene-„ratione generationum erunt .... Non enim aliud anni Dei, „& aliud ipse Deus; sed anni Dei, Æternitas Dei est. Æter-„nitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi „nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, „quasi nondum sit. Sed non est ibi nisi *est*; non est ibi *fuit* „& *erit*: quia & quod fuit, jam non *est*; & quod erit, non-„dum *est*: sed quicquid ibi est, non nisi *est*.

IV. *Æternitatem Dei esse interminabilem, docetur.*

Verùm ad horum demonstrationem accedamus propius. Prius quidem nostræ descriptionis membrum, quo Æternitatem asseruimus *Interminabilem*, admiserunt haud gravatim quotquot unquam veram Deitatem agnoverunt sapientiores. Certè ipsis sanioribus Ethnicis ridicula visa fuit, quam quidam eorum vates tradiderunt, Θεογονία. *Dei semper fuerunt, nati nunqam sunt, æterni sunt futuri*, alibi Cicero. Nec difficile est adstruere, quod clamant quævis Dei prædicata; adeo se undique rationes offerunt, sive Independentiam ejus spectes, sive Perfectionis infinitatem, sive existendi Necessitatem. Hanc si consideres, prohibet ea à Deo omnes existentiæ limites; dum ab ipso removet omne non-existere. Etenim ubi est aliqua durationis extremitas, ibidem ipsum τὸ non-existere habet locum. Itaque ubi non-existere locum habere nequit, ibi nec ullum existentiæ principium; quod quicquid agnoscit, aliquando non fuit: neque ejusdem finis; quem quicquid exspectat, aliquando non erit. Præterea, cum omnis duratio æstimanda sit ex natura entium quæ durare dicuntur, ea nulla Enti perfectissimo nisi perfectissima est adscribenda. Jam verò unamquamque durationem eo magis perfectam esse quo minus angustis terminis est circumscripta, per se claret. Ea ergò demùm Deo summè perfecto erit digna, quæ nullo modo limitata. Deniquè, aut jam semper Deus extitit, aut ne nunc quidem existit. Si enim aliquando non-

non-fuerit, undè obſecro eſſe cœpit? Num ex ſeſe? At quod non eſt, non magis ſe actuare poteſt, quam idem eſſe ſimul poteſt & non-eſſe. An ab alio vis productum? Verùm ſic totam tollis Independentiam; hoc eſt, omnem re ipsâ Deitatem. Pari ratione, ſi nunc Deus eſt, ſemper quoque erit: cum nec intrinſecâ aliquâ indigentiâ deficiat Perfectiſſimum; nec extrinſecâ vi aboleatur Independens. Nę addam, cauſas ſubordinatas finitæ durationis reduci debere vel ad ſeriem aliquam earundem in qua primam invenire non detur (quam implicare, antè oſtendimus); vel ad aliquod earum principium primum, quod extitit ſemper ſine principio, &, quia ſine principio, etiam ſine fine.

V. *Eandem eſſe ſucceſſionis expertem, demonſtratur.*

Sed deſino probare quod minùs controverſum. Potiùs ad alteram noſtræ deſcriptionis partem progredior, quâ *Simultaneam* eſſe Æternitatis durationem, diximus. Eam impugnare laborant Socini & Vorſtii ſectatores; qui, dum nimiè ſibi plaudunt in quibuſdam quas hic urgent argutiis, re ipsâ parùm ſe ſubtiles probant in hoc negotio, quando non attendunt, quam malè cohæreat, eandem durationem affirmare infinitam, & tamen per temporum intervalla ſucceſſivè fluentem: quo nihil dici poteſt craſſius atque ineptius. Id enim manifeſtiſſimum eſt, omnem ſucceſſivam durationem partibus conſtare; ob ipſum enim partium ſibi ſuccedentium lapſum ſucceſſiva eſt & dicitur. Ergò rogare lubet, quas illi infinitæ aſſignare velis partes, quos annos, quæ ſecula; aut ſaltem (ne de vocibus laboremus) quas ſpatii temporalis partes illis æquipollentes? Vis eas finitas? At ſic clarè negas totius durationis infinitatem. An verò infinitas? Sume ergò v. c. ſecula infinita. At jam quos annos ſtatues? Etiam, opinor, infinitos. Fuerit itaque infinitorum annorum numerus numero infinitorum ſeculorum vel major, vel æqualis, vel minor. Majorem non dixeris, niſi infinitum negaveris numerum ſeculorum: quandoquidem infinitum omne majus ſuâ naturâ reſpuit. Æqualem ſi volueris, vel etiam minorem, omnibus, quantum à ratione recedas, palam facies nimiùm. Nullius ergò ſucceſſionis capax eſt quæ infinita exiſtit duratio. His adde, permanentiam rei ſucceſſivam, quemadmodum includit fuiſſe & fore, ita quoque involvere non-eſſe. Quod enim fuit, quà tale haud amplius eſt; quod erit, nondum eſt; quod

jam est, mox non erit. Successionem ergò talem comitatur contingentia: hanc verò planè nullam patitur omnimoda Necessitas existendi, de Deo jam demonstrata. Quid? quod duratio per temporum articulos fluens nunquam sit infinitè perfecta, adeoque nec perfectionis Divinæ infinitati congrua. Quæ enim duratio est in continuo fluxu, dum singulis momentis sumit incrementa, nunquam dici potest esse tanta, quanta esse potest: quæ tamen infinitatis proprietas est. Confer quæ hanc in rem jam attulimus, §. 111. Deniquè, quodcunque continuò est actuandum id Independens esse nequit, neque cadit in rem cujus ipsa intrinseca natura est pura puta Independentia. Hæc in extrema semper est actualitate, cum quantum in unoquoque ente est potentiæ, tantundem in eo sit dependentiæ. Actuandum autem esse de novo omne successivum, patet, quia quod succedet, nondum est, sed, quatenus aliquando erit, nunc in præsenti tantum esse potest. Liquet ergò ex dictis, cui durationi nec origo dedit initium, nec casus dabit finem, eidem neque tempora dare incrementum. Liquet, quæ momentaneum & quotidie orientem nobis fingit Deum alium & eundem, Æternitatem, quam verbis ponit, re ipsâ tollere opinionem. Quod demonstrandum erat.

VI. *Neque obstat ejus cum nostris temporibus successivis coëxistentia.* Ita facilè hujus veritatis certitudo ostenditur: at non ideo perindè claram ejus habemus per omnia ideam. Sic enim fermè nobiscum comparatum est, ut quæ à finitis creaturarum perfectionibus recedunt nimiùm, vix ea nisi negativè & conceptu satis confuso concipiamus. Quapropter ne quicquam curabimus prævaricationem inferentium, simultaneam Dei durationem haud esse, eo quod sic neutiquam nostræ successivæ durationi coëxistere posset, nisi hoc ipso admittatur, nostrum præsens, præteritum, & futurum existere simul, quippe quæ eidem indivisæ Æternitati pariter coëxistant. Verum reddere isti debebant necessitatis rationem, ob quam nequeant coëxistere sibi duæ res disparis naturæ, & quarum altera se alio habeat modo ac altera. Speciem haberet objectio, si assereremus, Deo convenire verum aliquod præteritum & futurum, quod cum præsenti ejusdem sit idem. Sequeretur enim tunc, uti Dei præteritum coincidit cum præsenti, ita quoque nostrum præteritum, quod

quod coëxtitit præterito divino, coincidere debere cum nostro præsenti. Atqui cum jam dudum omnes istas temporum differentias, quæ in nostra duratione dominantur, penitus ab Æternitate Dei secluserimus, nulla est in hac illatione sequela. Habent interim hic recentiores Doctores nodum, quem claris suis & distinctis ideis solvent nunquam: imprimis quando ipsi pari argumentandi modo tam vehementer in Immensitatis divinæ negotio urgent, non posse Deum per essentiam suam rebus extensis præsentem esse, nisi hæc ipsa pariter sit extensa. An verò statuent quoque, non posse coëxistere Deum nostræ durationi successivæ, nisi pariter ipse successivè duret? Sumant Viri acetum, & istis se expediant, si possint! Si nequeant, videant tandem famosæ suæ illationis imbecillitatem.

VII. *Relatio ad temporalia spatia, seu vera, seu possibilia, qui juvet nostrum Æternitatis conceptum.*

Etsi verò Divina duratio adeo nostræ sit dispar, atque coëxistentia illius cum hac nihil planè faciat ad ipsam Æternitatis secundum se consideratæ naturam (nihilo enim illa extitit imperfectior ante conditum hoc universum, cum nulla ei coextitit, vel adextitit potius, creatura) non tamen nego, quin, ad juvandum nostrum qualemcunque de Æternitate conceptum, utile sit eam cogitare per relationem aliquam ad spatia rerum temporalium: ita ut mens nostra sibi facilius illam repræsentet, nec incommodè, tanquam durationem excedentem omnia spatia, non tantum quibus creaturæ aliquæ durârunt, sed & quibus durare quandocunque vel potuerunt, vel poterunt. In quo repræsentamine includitur successio (absque qua durationem aliquam concipere difficile nobis est, si non impossibile) at non à parte Æternitatis, sed à parte rerum quæ Æternitati adexistere saltem potuisse concipiuntur. Ita, si velim mihi repræsentare Deum secundum Æternitatem suam ante mundi primordia existentem, non potero distinctius, quam si concepero, tam perfectam esse Divinam durationem, ut si qualiscunque conceptibilis duratio successiva ante initium hujus Universi extitisset, illi simultaneâ suâ Æternitate coëxtitisset Deus. Et hæc sunt spatia illa imaginaria temporalia, tanto hodiè conatu impugnata à multis; qui procul dubio metuunt, ne sint satis subtiles, nisi ipsum quoque nihil sibi sumant impugnandum.

VIII. *Æternita-*

An verò mallent illis realia spatia temporalia substituere? Sic

tem Solius Dei prærogativam esse, ex demonstratis conficitur.

videtur: ne scilicet mundum, qui iis nullos extensionis suæ fines habet, duratione non satis amplum nobis imaginemur. Saltem hinc non multum abesse mihi videntur, qui possibilem mundi Æternitatem asserunt difficulter refelli posse; tantum si statuatur Æternitas mundi alterius generis, quam illa Dei. Verùm, cujuscunque generis statuatur mundi duratio, semper saltem successiva est; sic prorsus exigente ejusdem in existendo contingentiâ. Talem autem Æternam esse non posse, §. v. firmissimè jam demonstravimus. Alia, quæ ipsa Creaturæ notio suppeditat, argumenta hìc transeo, infrà forsan urgenda suo loco.

Exemtus nostri sic solus ab ordine secli,
Temporibus leges qui das! Tibi tempora leges
Nulla dabunt, nullam ponunt cui tempora metam.
Nostra quidem assiduo labuntur tempora motu,
Dum nova sunt semper, tacitisque senescimus annis:
Tu verò Tibi semper eras, Tibi semper es idem;
Cui mors exactos veniens non supputat annos.
Ut semel ergò Tibi sapiamus, lubrica vitæ
Tu nos fata doce, & quo se mora porrigat ævi;
Ut mens juncta Deo studiis det tempora sacris!

EXERCITATIO NONA,

DE

DEO IMMENSO.

SUMMARIUM.

I. *Immensitas Divina quæ; & quâ ratione ab Omnipræsentia distincta?* II. *Spatia Imaginaria quid; & quis eorum in Immensitate Dei concipienda usus?* III. *Car-*

III. *Cartesianorum de Omnipræsentia Dei philosophatio; & quædam in eam animadversiones.* IV. *Immensitatis Divinæ contra Vorstium & Socinianos demonstratio.* V. *Omnipræsentiæ Divinæ essentialis contra Cartesianos assertio.* VI. *Difficultatibus quibusdam horum obviam itur.* VII. *Immensitatem, non Ubiquitatem strictè dictam, solius Dei esse, probatur.*



Idimus, quo modo se habeat Deus in ordine ad nostrum tempus per Æternitatem; videndum quî sese habeat Numen in ordine ad spatia localia per IMMENSITATEM. Quæ duo cum valdè sint analoga, quanto rectius perspecta fuerit natura illius, tanto facilior erit meditatio hujus. Eâ notamus supereminentiam illam divinæ perfectionis, quâ per essentiam suam, modo tamen perfectissimo ac sibi convenienti, existit Deus ubicunque corpus est, vel esse potest. Observandum imprimis, cum dixi existere Deum, ubi existit, modo perfectissimo ac sibi convenienti, ante omnia me velle hic remotissimum habere conceptum cujuscunque propriè dictæ diffusionis aut extensionis; quæ, uti partes involvit, ita naturæ spirituali atque independenti planè repugnat. *Magnus* Deus noster est, *sed sine quantitate*, atque *ideò Immensus*: uti scitè alibi Augustinus. Absit ergò, ut hoc loco Deum nobis imaginemur per modum subtilissimi corporis cuncta pervadentis; quod quidam non sine calumnia objiciunt. Dico, non sine calumnia: nam jam olim vetus schola asseruit, Deum ità totum esse in toto mundo, ut totus pariter sit in singulis ejus partibus; i. e. ut mundo divisibili ac partes habenti ipse coëxistat quidem, verum absque partibus sui, ac modo prorsus indivisibili. Sed & illud attendendum est in antecessum, non tantùm hic notari *Omnipræsentiam* vel *Ubiquitatem* strictè dictam, quatenus dicit relationem veræ præsentiæ ad corpora de facto existentia. Latius patet Immensitatis conceptus; quippe qui, & Ubiquitatem includit, & insuper ponit, etiam istic

I. *Immensitas Divina quæ; & quâ ratione ab Omnipræsentia distincta?*

 existere

existere Deum, ubi quidem jam corpus non est, attamen per potentiam Divinam esse saltem potest. In quantum ergo vera præsentia, per actualem creaturæ cujuspiam coëxistentiam, ad Immensitatem per sese nihil pertinet, facilè intelligimus, quomodo Immensus extiterit Deus, nullo etiam existente corpore; & quâ ratione ipse *sibi* dicatur esse *locus*. Hoc sensu rectè ille:

Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset?
Tunc, ubi nunc; in se: sibimet nam sufficit ipse.

II. *Spatia Imaginaria quid; & quis eorum in Immensitate Dei concipienda usus?*

Interim, uti antè dixi Æternitatem, etsi nihil nostri temporis involvit, rectè tamen, ad conceptum nostrum juvandum, cogitari cum respectu ad nostra tempora; ita quoque Immensitas per modum alicujus præsentiæ, etsi eam actualem non necessariò includat, non incommodè nobis repræsentatur. Ita enim Deus absolutissimè existit in se ipso, etiam illic ubi nunc nullum existit corpus, ut tamen, si istic, ubi nunc nihil est, per potentiam divinam poneretur aliquod corpus, illi etiam essentiâ suâ Deus intimè coëxisteret præsens: quemadmodum scilicet ante hujus Universi productionem in se ipso sic extitit ubi nunc est mundus, ut, simulac hic existere cœpit, mox ei verè coëxtiterit præsentissimus Deus. Et hic est conceptus ille, nimium à quibusdam hodiè vexatus, qui vulgò venit nomine Spatiorum Imaginariorum: quem quomodo citra contradictionem rejicere possint, quotquot mundi nostri extensionem non agnoscunt infinitam, haud equidem video. Certè, admissis aliquibus Universi hujus limitibus, evidentissimum est, extra illos, ubicunque demum fuerint, per inexhaustam Dei vim corpus aliquod poni posse. Etiam per mox demonstranda patebit, non posse tale corpus poni, nisi Deus vi infinitæ suæ perfectionis eidem coëxistat præsens. At dum ista cogito, eo ipso & spatia imaginaria, id est, corpora quædam possibilia, & pariter Immensitatem divinam per relationem aliquam ad ista spatia, concipio. Quapropter, cum hujus conceptûs fundamenta sint, & mundi finitudo ab una parte, & exsuperantia tum perfectissimæ Infinitatis tum etiam incomprehensæ Potentiæ divinæ ab altera parte, mirum mihi semper visum fuit, res adeo claras & distinctas capere non posse, vel potius non velle, illos qui

tanto

tanto conatu hæc ſpatia exagitant, tanquam neſcio quæ abſurditatum portenta & chimæras. Sed hinc illæ lacrymæ! Vorticoſum ſuum mundum re verâ infinitum ponere neceſſum habent; atque indè nullum corpori poſſibilirelinquunt extra eum locum: imò (ſi quod res eſt dicere liceat) dum duo immenſa repugnant, quam mundo affingunt infinitatem Immenſitatis, Deo re ipſâ derogant.

III. *Carteſianorum de Omnipræſentia Dei philoſophatio, & quædam in eam animadverſiones.*

Leve enim fuiſſet de Imaginariis Spatiis controverſiam movere, niſi quoque in diſcrimen adduceretur vera Dei Παντάχουσία, & eſſentialis Omnipræſentia. Socino ac Vorſtio jam olim placuit, Deum eſſentiâ ſuâ omni mundo præſentem eſſe, negare. Riſerunt quoque alii præſentiam Dei *atomicam* & *atopicam*, ut ipſi ajunt. Impia verò hæc ſemper viſa fuerunt, & in Dei Immenſitatem injuria quam maximè, rectum ſentientibus; qui omnibus illis ſemper oppoſuerê illud vulgare,

Enter, Præſenter, Deus hic & ubique, Potenter.

Iſtorum tamen inſignia qui ſibi aptent hodiè deeſſe minimè videntur. Non meis hæc dicam verbis, ſed Cl. Vogelſangii, qui ità hac de re alibi diſſerit. „Carteſius è tripode veluti pronun„ciat, *Deum ubique non exiſtere*: *ſed ubique tamen eſſe ratione ſuæ* „*potentiæ*. Quia ſcilicet *in Deo nulla ſit extenſio ſubſtantiæ*, *ſed* „*potentiæ duntaxat*, *&c.* Ita viſum Carteſio fuit ſive vaticinari, „ſive incaſſum furere. Quem tota armenta ſequuntur. Itaque „nuperi quidam Theologi, etiam Reformatæ communionis, „abnegatâ Numinis Immenſitate, prorſus ad guſtum pravitatis „hæreticæ Vorſtianorum, Socinianorum, & Remonſtrantium, „definiunt, *Omnipræſentiam Dei nihil aliud eſſe*, *quam extrinſe*„*cam denominationem*, *natam ex operatione Dei*, *qua in omnibus* „*rebus corporeis operatur*, *& propter illam operationem iis præſens* „*eſſe dicitur*. Vel, *Omnipræſentiam Dei* nihil aliud eſſe, quam „*efficaciſſimam Dei voluntatem*, *qua omnia ſuſtentat & gubernat*, „*explicandam ab operatione*, *qua extra ſe aliud producit*. Immen„ſitatem eſſentiæ, quâ Deus excedat mundi terminos, quaque „citra dimenſionum interſtitia limiteſve Deus ante mundum „conditum incola ſui fuerit, uti neque potuerit ullam creatu„ram producere, cui non adforet intimè per eſſentiam ſuam ſi„ne ulla mutatione ſui, planè tollunt: atque fundamentum

„Omni-

„ Omnipræſentiæ Divinæ nullum aliud faciunt, quàm Dei potentiam, ſive potentiſſimam illius operationem. Neve tamen „Deum toto mundo veluti proſcribere videantur, commenti „ ſunt, eſſentiam Dei, prout nempe *creaturis illa præſens intelligi* „*debet*, nihil aliud eſſe, quam *cogitationem Dei fœcundam*, *cœli* „ *terræque creatricem, conſervatricem, atque gubernatricem*. Hæc ille Theologus eruditiſſimus. Egregiam verò laudem referre merentur, qui in gratiam unius Carteſii ſic hoc loco philoſophari amant, ut nihil tandem reliquum faciant, quo rectum ſentientium ſententiá à Socini ac Vorſtii errore diſtinguatur. Neque enim putandum eſt, quod quidam velint, omnem hanc litem meram tandem logomachiam fore, quum iidem auctores paſſim etiam largiri videantur, Deum quoque per eſſentiam creaturis ſuis eſſe præſentem. Nam ignota non ſunt artificia, quibus quod mentem aperit apertius mox interpretatione in ſpeciem meliori palliatur. Si nihil ſibi cum iſtorum ſententia commune velint Carteſii aſſeclæ, candidè repudium mittant crudis iſtiuſmodi phraſibus. Id quamdiu non palam faciunt, nunquam credendum, viros ſapientes in re ardua luſus velle facere in mera voce, recedendo citra ullam neceſſitatem à communi loquendi modo, mox tamen ad eum revertendo. Laudandus mihi hic eſt candor ſaltem Poireti; cujus viri vix unquam ſine præfatione honoris mentionem faciunt Novatores. Is clariùs iſta myſteria nobis revelat, cum dicit rotundo ore, Carteſium, Wittichium, Forgæum, alioſque Carteſianos, quando dixerunt, Deum omnibus rebus præſentem eſſe *eſſentiâ*, *eſſentialiter*, *ratione eſſentiæ*, *difficultatum quarundam cauſâ*, *uſos* fuiſſe *vocibus deceptricibus*, ex uſu ordinario *non ſignificantibus verum*, ſed *ipſi verborum ſignificationi reluctantibus*. Et quidem dum hoc pronunciat, Carteſium rectè philoſophantem ſe ſequi profitetur. *Cogit. Rat. Pag.* 31. Ecquis iſtas logomachias habeat? Ecquis fidem adhibeat ampliùs viris utentibus, *difficultatum quarundam cauſâ*, *vocibus deceptricibus*, *nec ſignificantibus verum*? Cavendum profectò iis, qui *vocibus deceptricibus* decipi hîc nolunt; nec credendum facilè Viris qui quandò *difficultatibus* urgentur, confugere non metuunt ad *voces non ſignificantes verum!*

IV. *Immenſita-*

Nos candor delectat: atque ideò ſimpliciter probamus communem

tis Divinæ contra Vorstium & Socinianos demonstratio.

munem orthodoxorum sententiam, quæ semper contra quosvis definivit, summum Numen ratione Immensitatis existere & in omni mundo, & extra eundem in infinitum; nec tantum ἐνεργητικῶς, sive quoad operationes & potentiam, sed & οὐσιωδῶς, per ipsam essentiam suam & naturam. Id nullo negotio demonstratur adversus eos, qui Deo ratione essentiæ aliquod saltem Ubi tribuunt; quales qui cum Socino faciunt Vorstius aliique. Definiunt hi, cœlum cœlorum locum esse in quo sic habitet Divina natura, ut indè per providam tantum operationem suis adsit creaturis: haud aliter ac Sol essentiâ suâ in medio cœli positus vim suam indè per omnem mundum diffundit; vel, uti Rex in palatio habitans curam suam per omnes regni partes extendit. Sed quam nihil Deo dignum istiusmodi comprehendant cogitata, facilè illi intelligunt, qui, quis Deus sit, satis tantùm attendunt. Certè quodcunque ab aliquo limitatur quomodocunque, etiam ratione sui Ubi, id pendet ab eo quod in causa existit, cur ipsum sit limitatum, & tanto Ubi, non majori, quasi circumscriptum. Si quod ergò Ubi Independenti Dei essentiæ tribuendum est, id ei assignandum, quod sit omninò independens; nullisque adeò arctatum limitibus, nullis definitum terminis. Tale verò neque cœli ambitu, neque ipsius mundi finitis spatiis comprehenditur, sed omnia illa excedit infinities. Porrò, cum in Ens perfectissimum nil cadat nisi quod perfectio sit, etiam τὸ Ubi, quod essentiæ Divinæ tribuitur, erit perfectio. Quæcunque autem Deo tribuitur perfectio, ea prorsus infinita est. Ubi ergò essentiæ Divinæ congruum tantùm id est, quod est infinitum & ἄπειρον. Quid? quod in locis hisce inferioribus Deum saltem actuali operatione & providentiâ præsentem largiantur adversarii. Ubi autem operatur Deus, ibidem essentiâ suâ existit præsens. Nam, ut agere supponit esse, ita hìc agere supponit hìc esse; cum nihil agere in distans sit certissimum. Stringit efficaciter imprimis hæc ratio, si Deum non nisi immediatè per essentiam operari posse cogitemus. Nec enim ejusdem patitur Independentia, ut causarum intermediarum, seu instrumentorum, adstrictus sit in effectu quopiam producendo ministerio. Talem tamen alienæ opis indigum Deum necesse habent statuere, qui essen-

tiam cœlo includunt, operari tamen in terris, locis tantùm à cœlo remotis, largiuntur. Postremùm, dicant isti, obsecrò, quid respondendum censeant, si rogavero, num totum cœlum essentia Divina occupet, num aliquam tantum ejus inhabitet partem? Si modicam cœli regionem Deo habitaculum assignent, nisi ei affixum velint Numen, cogitare licebit exspatiari ipsum subindè, ac mutare domicilium. Si toti cœlo præsentem malint Dei essentiam, scire lubet, cur istis tantum mundi spatiis sese incluserit ille, cui omnis hæc ingens machina quasi nihilum est? Quæve tandem istæ sint causæ, quibus tantum Numen à cæteris mundi regionibus secludatur? Nimis crassum est ac insipidum, quod hic metuunt, ne Deo malè sit a vicinia rerum sordidarum. Sordida profectò cogitatio, nec responsione digna! Cum enim ne creatus quidem spiritus sordibus leprosi corporis inquinetur, quanto minus essentiæ supereminentissimæ quicquam labis affricabit corporum terrestrium immunditiés? Quidque ineptius cogitari queat nescio, quam longâ locorum intercapedine sibi consulere necesse habere Numen, ne puritati immineat periculum à rebus, quas ipsum liberrimè condidit atque conservat. Hàc firmiores cum non sint quæ pro opposita sententia aliæ militant rationes, frustrà iis refellendis immorarer. Demonstrasse sufficit, essentiæ Divinæ aut nullum esse tribuendum Ubi; aut, si quod tribuendum sit, aliud tribui non posse, quam quod nullis limitibus existit terminatum; adeoque nec cœlo, nec mundo, nec ulli finito spatio affixum. Quod demonstrandum erat.

V.

Omnipræsentiæ Divinæ essentialis contra Cartesianos assertio.

Id cum satis capiant Cartesiani, Socinianis longè hìc subtilius se philosophaturos autumant, si Deum ratione essentiæ planè nullibi esse pronunciaverint. Ita quod cœlum hi volunt esse Dei habitaculum, ne quidem isti ei faciunt reliquum. Quid sibi ista velint, quis satis intelligat? Quid monstri alant, quove tandem sint abitura? forsan dies dabit. Profectò, nisi planam viam struere cupiant ad Atheismum, haud gravatim, si vel leviter attendere velint, intelligere possunt qui sic instituunt, quare ipsâ vel nihil dicant, vel sibi apertè contradicant. Etenim quando Deum ratione operationis ubique, ratione essentiæ nullibi esse asserunt, dicant mihi, quo sensu contendant Deum rati-

ratione operationum esse alicubi? Voluntne operationem illam, cujus intuitu Deus alicubi esse dicitur, considerandam esse ratione Dei ipsius operantis; an potius ratione rei creatæ, in quam operatio illa terminatur? Posteriori modo sumta Dei operatio non Deus est, aut aliquod Dei attributum, sed re verâ existit ipsissima creaturæ essentia, à Deo operante producta & fluens. Hoc itaque sensu non Deus erit alicubi, sed Dei duntaxat effectum; quod cum essentiam habeat & attributa ab essentia & attributis Dei prorsus distincta, nequit id Ubi quod creaturæ competit Creatori tribui, nisi impropriissimè, per aliquam tantum denominationem, quæ Rhetoribus dicitur metonymia; in qua latebras quærere haud decet virum sapientem. Quod si operationem Dei spectandam velint à parte Dei ipsius operantis, eam ab essentia Dei distinctam non esse, largiri coguntur quotquot tuentur simplicitatem divinam. Ex quo conficitur, eadem quæ operationi, essentiæ quoque, tribuenda esse prædicata. Ut, quoties essentiæ denegatur, quod operationibus Divinis conceditur, Ubi, mirifica sint ænigmata, quorum mysteria fortè clarius evolvent isti Auctores temporibus magis opportunis, quibus necesse non habebunt, *difficultatum quarundam causâ*, mundo imponere *vocibus deceptricibus*, & *non significantibus verum*; ut audivimus loquentem Poiretum. Verbo, cum Deus operetur modo simplicissimo & maximè independenti, id est, per essentiam, absque evidenti contradictione dici nequit, Deum alicubi operari, nec tamen ibi, ubi operatur, per essentiam existere. Imprimis nequeunt non nobiscum sentire, quos aliqua tangit Mysteriorum Fidei cura. Credimus, quotquot confitemur Dominum Jesum, secundam S. S. Trinitatis personam naturam humanam assumsisse in plenitudine temporis. Hanc assumtionem factam esse per unionem substantialem, uno ore docent orthodoxi: nam *per solam operationem Divinæ naturæ in humanam unionem hanc esse factam, Nestorianum est, & à tota veteri Ecclesia condemnatum.* Sic alicubi Doctissimus Walæus. Id verò certum est, rem aliquam cum altera uniri non posse alio modô, quam quo illi coëxistit præsens: quandoquidem omnis unio præsentiam supponit. Eligendum ergò alterutrum: vel unionem duarum naturarum in

Christo Mediatore factam esse, non ratione essentiæ, sed per denominationem duntaxat externam ab operationibus desumtam; vel naturam divinam cum humana unitam esse verè secundum essentiam. Prius hæreticum pronunciat Fidei analogia. Posterius infert, etiam ergò Divinam naturam verè secundum essentiam saltem Alicubi esse. Hoc si detur, facilè probatur eo quo diximus modo Immensa; idque iisdem prorsus rationibus, quibus articulo præcedenti contra Vorstium ac Socinum fuimus usi.

VI. *Difficultatibus quibusdam horum obviam itur.* Manifestat quidem Deus suam nobis præsentiam per opera creationis & providentiæ; at non ideo Immensitas ipsa ejus Providentia est: quæ duo, hactenus distincta habita, inauditâ absurditate confundunt Novatores. Etenim, seposito omni providentiæ conceptu, ex ipsa perfectissima Dei natura per se fluit, eam existere ubicunque corpus esse potest. Quapropter merito Theologi & Philosophi saniores ab omni ævo Immensitatem ad attributa Dei retulerunt, Providentiam ad operationes ejusdem: quæ duæ notiones quantum distent, nemo nisi ignorantissimus ignorare potest. Deus Immensus, fateor, omnia sustentat & gubernat: verùm, neque ipsâ Immensitate suâ, formaliter & propriè loquendo, omnia sustentat; neque ideò Immensus existit, quia res sustentat. Omnem enim operationis transeuntis conceptum notio Immensitatis antecedit, quatenus, ut jam dixi, operari supponit esse; non contrà: ergò & ubique operari supponit ubique esse; non contrà. Nec metuendum, ne, quando essentiam Dei rebus extensis coëxistere asserimus, aliquid ideo extensionis eidem tribuamus: quæ cogitatio, etsi mirè placeat Recentioribus, re verâ non minus ridicula est, quam istud nugamentum, quod essentiam Dei sordidis locis adesse non vult, ne ipsa sordescat. Verum de hisce, aliisque quæ similia huc quandoque adferuntur, toti pluribus egimus *Exercitat. de Nullibitate Spirituum*: quapropter istic dicta hic repetere nil necesse est. Conferantur quoque quæ adduximus, *Exercitat. de Cogitatione, qua sit ipsa Mens humana.* Concludo ex hactenus disputatis, non posse phrasi magis convenienti exprimi excellentiam Divinæ Immensitatis, quam quâ usi sunt antiquiores, quando Deum celebrarunt Ἐγκόσμιον, Περικόσμιον,

κόσμιον, Ὑπερκόσμιον, Ὑπερουράνιον: quasi dicas, *In-mundanum*, *Circa-mundanum*, *Supra-mundanum*, *Supra-cælestem*.

VII. *Immensitatem, non Ubiquitatem strictè dictam, solius Dei esse, probatur.*

Cæterùm, Immensitatem unius Dei prærogativam esse, liquet eo quod actualem ratione ꝰ Alicubi includat infinitatem. At nulla cujuscunque infinitatis species locum habere potest in essentia finita; qualem esse illam omnem, quæ à Deo distincta & dependens est, jam antè ostendimus. Specialius, nùm corpus quodpiam, v. c. hic noster Mundus, sit aut esse possit mole infinitum, adeoque suo quoque modo Immensum? excussimus; ac negativam compluribus rationibus evidenter demonstravimus, *Exercitatione de Infinito*: quapropter nunc ista transimus. Longè tamen alia quæstio est, an res creata possit esse Ubique, vel Omnipræsens? Explicui jam suprà, §. 1. quâ ratione, & vi vocum, & significationis usu, plurimum distent à se vocabula Immensitatis & Ubiquitatis. Id quicunque attendit, nemo, nisi quæstionem de nomine facere malit, negare potest, Universum nostrum ipso facto existere Ubique; id est, occupare omne spatium de facto corpore repletum, etsi non occupet omne omninò spatium possibile: quod postremum uti propriè est Immensitatis, non strictè dictæ Ubiquitatis, ita ad præsentem quæstionem nihil pertinet. Verùm jam dudum Immensitas præfixam brevitatis nostræ mensuram excurrit. At sic jussit rei momentum satis grave. Nunc de aliis; & brevius!

EXERCITATIO DECIMA,

DE

DEO UNO.

SUMMARIUM.

I. *Unitas Dei demonſtratur, & illi ſoli vindicatur.* II. *SS. Trinitatis myſterium ex rationis naturalis lumine non innoteſcere, oſtenditur.*

I. *Unitas Dei demonſtratur, & illi ſoli vindicatur.*



Um τῷ *Alicubi* & *Aliquando* pari paſſu ambulat UNITAS; quum & hæc & iſta ſint communiſſimæ quædam affectiones, quæ enti ſimpliciter quà enti ſpectato conveniunt. Multa quæ re ipsâ plura ſunt, Unum quid eſſe quandoque dicuntur, quatenus ea in ejuſdem generis vel ſpeciei conceptu convenire apta ſunt. Verum uti hæc Unitas eſt ficta tantum per mentis cogitationem, ſic re ipsâ id demum modo quodam excellenti ac perfectiſſimo eſt Unum, quod ita ſuâ naturâ exiſtit Singulare, ut abſolutè nihil planè admittat ſibi ſimile, quodque ſit ejuſdem communis eſſentiæ ſecum. Et hanc talem, quando eam Deo tribuimus, innuimus Unitatem. Verbo, nec eſſe, nec eſſe poſſe, plures Deos, contendimus. Cujus veritatis tanta exiſtit evidentia, ut nec ipſi gentiles in ſuis ſibi Deaſtris ſatisfacere potuerint, niſi reductâ tandem omni illâ pluralitate ad Unum aliquem, qui pariter ſit θεῶν πάτερ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν. Sed more noſtro philoſophemur potius! Vel ſolam cogitemus divinæ perfectionis, antè demonſtratam, infinitatem. Hanc abſolutam iſtiuſmodi Unitatem ſecum trahere dico. Demonſtro. Sunto, ſi ita vis, duo pluresve Dii, Jupiter v. c. & Mars. Neutrum horum Deum agnoveris, niſi pariter agnoveris utrumque infinitè perfectum, id eſt,

re

re verâ possidentem id ipsum quodcunque modo qualicunque perfectionis nomine venire potest. Nunc scire lubet, an easdem numero perfectiones Jupiter contineat, quas ipsas continet Mars; nec ne? Si neges, utique Jovem infinitè perfectum non agnoscis; cum extra eum dentur aliæ adhuc infinitæ perfectiones in Marte, quibus ipsis non gaudet Jupiter: at verò extra infinitum nihil dari potest aut concipi. Necessum ergò erit, ut Jupiter, si Deus sit, in se omnes omninò contineat perfectiones, adeoque & eas quæ Martis sunt. At quì poterit? nisi, vel cum Marte fuerit idem numero Numen; adeoque non duo: vel, nisi Martis perfectiones Jupiter, tanquam causa, in se complectatur, easque Marti communicaverit. Ast hoc ipso Martis destruitur planè, uti Independentia, ita Deitas. Ex quibus apparet, non minus contradictoria esse duo entia infinitè perfecta, quam sunt duæ extensiones undiquaque infinitæ. Ut enim nemo has sibi imaginatus fuerit, nisi eas se mutuo penetrare, id est, vel utramque re ipsa unam, vel neutram earum veram esse extensionem, cogitaverit; sic nemo mente apprehenderit duo entia infinitè perfecta, nisi alterius perfectiones sub altero contineri, atque ita illa revera vel duo non esse, vel infinitè perfecta non esse, conceperit. Quamobrem duo pluresve Dii nec sunt, nec esse possunt: adeo πολυθεότης est re ipsa quædam veræ Deitatis abnegatio, & crassa ἀθεότης. Atque hoc argumentum unum nobis instar omnium erit: nam, quæ alii urgent desumta ab unitate mundi, ab harmonia universi, à plurium Deorum pugna, ab omnipotentia eorundem, aliaque istis similia, nostro judicio, vel tantum probant, uti loquuntur, ad hominem; vel illustrationes potius quædam sunt & allegoriæ, quam solidæ probationes; vel talia denique, quorum vis omnis à nostra hac demonstratione pendet. Porrò, Deo soli attributum hoc esse proprium, docet dependens & finita rerum quarumvis ab infinito principio pendentium natura; quæ uti augmentum sui in infinitum pati potest, ita nihil continet, quod adversetur productioni alterius similis sibi naturæ individui. Quumque mundo æquè hæc possint applicari, ac cuivis alteri rei creatæ, patet, errare eos, qui plurium mundorum possibilitatem negantes, eo ipso absolutam Unitatem non solius Dei privilegium

vilegium esse, profitentur. Etiam liquet ex traditis, quid respondendum ad quæstionem a quibusdam motam: Num Deus sit thema universale, num singulare? Hoc nimirum eligendum est. Cui non obstat Personarum in eadem essentia pluralitas: non enim ea notat, naturam Divinam pluribus essentiis numero distinctis esse communem; quod ad universalem naturam requiritur.

II. *SS. Trinitatis mysterium ex rationis naturalis lumine non innotescere, ostenditur.*

Dum plurium in Deo Personarum mentionem facio, hùc pertinere videtur, ut verbo tangam controversiam, An, uti essentiæ Divinæ Unitas, ita Personarum in ea Trinitas ex naturali rationis lumine sciri queat? Affirmantes frustrà mihi hic esse videntur. In ipsa saltem Dei Optimi Maximi essentiâ, quatenus naturâ innotescit, nihil occurrit, quod talem Personarum pluralitatem inferat. Contemplatio quoque creaturarum ea tantum de Deo nobis cognoscenda præbet, quæ essentiæ qua tali, omnibusque adeo Personis in communi, conveniunt. Qui dissentiunt, hac palmariâ utuntur ratione. Constat, ajunt, Deum se intelligere; at hoc ipso generat imaginem sibi simillimam; quæ Filius est. Pergunt: Deus Pater amat Filium; at per hunc actum amandi ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Non desunt, scio, viri etiam Doctissimi, quibus haud displicent hæ Scholasticorum subtilitates. Sed quì stare queant, non video. Certè intelligere se & amare actus Dei sunt, non personales, sed essentiales; atque ideo à parte Dei nec ab essentia Divina simplicissima, nec inter se distinguuntur, uti suo modo distinguuntur personæ. Quin, quia essentiales sunt, si quid ab intelligente & amante distinctum producerent; non personam producerent, sed essentiam. Et si vel maximè personam, cum unaquæque persona tum se tum alias intelligat ac velit, personarum processus hoc pacto multiplicari posset in infinitum. Alii saltem inæstimabile arcanum per similia de creatis quibusdam rebus adducta conantur illustrare. Ast neque horum institutum probandum videtur: tanta enim per omnia elucet disparitas, ut extraneis non sine ludibrii periculo istiusmodi picturæ proponantur. Adferunt alii, ut ostendant hoc dogma lumine naturæ gentilibus fuisse familiare, priscos eorum Philosophos ac Poëtas. Verùm de multorum testimoniorum fide vix

constat

constat satis: plerorumque etiam verba trahuntur in sensum à mente auctorum manifestò diversum: ad summum nil produnt, nisi reliquias quasdam valdè corruptas doctrinæ Hebræorum, ut ipsis illis scriptoribus non satis intellectas, ita tam rudi modo expressas, ut hæreticis deinceps occasionem præbuerint blasphemandi. Constat equidem non aliundè natas esse hæreses tum Tritheitarum tum Antitrinitariorum, quam quòd naturæ lumine rimari voluerint venerabile mysterium, quod humili tantum pietate mirari debuissent. Hujus temeritatis infelicissimo successu admoneri nos decet, ut de hisce aliundè non sciscitemur quam ex verbo Dei; utque fidei docilitate, non rationis acumine, in hanc meditationem incumbere curæ sit.

EXERCITATIO UNDECIMA,

DE

DEO SIMPLICI.

SUMMARIUM.

I. *Simplicitatis Divinæ notio quid inferat?* II. *Divinæ Simplicitatis per varias rationes adstructio.* III. *Difficultatum quarundam hic occurrentium amotio.* IV. *Divinæ Simplicitatis persuasio quam multis modis utilis?* V. *Simplicitatem inter Dei, & quidem solius, Attributa esse numerandam.*



Nitatem cujusvis entis ejusdem sequitur Identitas; quatenus quod indivisum est in se, quia est indivisum in se, divisum est ab alio quovis. Undè conficitur, omne absolutè unum & idem etiam esse summè simplex. Quod enim compositum est, non tantum hoc unum, verum etiam aliud est, quod cum illo priori idem

I. *Simplicitatis Divinæ notio quid inferat?*

non est, sed ex cujus cum illo unione hoc qua compositum resultet. Merito itaque, postquam contemplati sumus Deum ceu Unum, meditationem nostram proximè convertimus ad cogitandum Eum tanquam SIMPLICEM. Hac notione notatam volumus quorumcunque quæ Divinæ essentiæ tribuuntur prædicatorum cum ea ipsa perfectissimam quandam identitatem. Ut in Deo Essentia & Attributum, vel Attributum & Attributum, non sint (quemadmodum sæpè sunt in creatis) ἄλλο καὶ ἄλλο; sed quæcunque hìc intercedit diversitas solius duntaxat sit rationis, orta ex intellectus finiti imperfectione, quâ quod idem est tanquam tale non valet concipere, sed potius dissimilibus id sibi conceptibus repræsentat. Verbo, id contendimus, nil adeò realis discriminis inter ea quæ Deo essentialia sunt intercedere, ut quicquid hoc modo in Deo est sit ipsa ejus essentia; per quam est quicquid est, citra ullam plurium verè distinctorum aggregationem. Quod acutè expressit alibi Augustinus, cum Deum simplicem esse asserit, *quoniam quod habet, hoc est*. Longè diversum sentiunt, qui volunt, per Attributa, quibus nobis concipitur Deus, intelligenda esse accidentia quædam seu qualitates realiter ab essentia cui tribuuntur distinctas. Contrà, rectè docent saniores, removendum esse penitùs à Deo omnem omninò compositionis modum: ut non tantum Deus ex pluribus verè diversis coädunatus non sit; verum nec cum alio à se distincto ad compositum cum eo constituendum concurrere possit.

II. *Divinæ Simplicitatis per varias rationes adstructio.* Prius hoc indubitabile facit summi Numinis & Independentia & Perfectionis infinitas. Profectò, quicquid compositum est ex pluribus, id quà tale posterius est iis rebus ex quibus tanquam partibus componitur, atque ab iisdem tanquam naturâ prioribus dependet. Quin & pars altera compositi pendet ab altera, in quantum illa perfectionem hujus ex sese non habet, sed eam acceptam ferre debet unioni cum hac, additâ sibi & à se distinctâ. Verum omne quod modo qualicunque aliquam vel minimam dicit dependentiam, è diametro id Deitati adversari, jam dudum demonstravimus. Quapropter, vel Deus per omnia Deus, id est, ens Independens, non est: vel Ipse habet id quod habet, aut potius est id omne quod est, planè in-

independenter; hoc est, citra ullam sui ex pluribus compositionem. Adeo ἀνάγκη τὸ πρῶτον καὶ ἁπλούστατον εἶναι: ut rectè alibi in Epictetum ipse Simplicius. Et quis neget, perfectiorem esse essentiam, quæ sic per se ipsam existit perfectissima, ut nullis ad perfectionem suam consummandam indigeat accidentium appendicibus, quam est illa, quæ non sui, sed additarum qualitatum beneficio, perfectiones possidet quas possidet. Si autem prius illud perfectius quid sonet quam hoc, utique non hic, sed ille, perfectiones possidendi modus Deo enti perfectissimo tribuendus erit. Et quæ at quales, obsecro, illæ erunt perfectiones essentiæ Divinæ superadditæ? Nunquid eas in se continebit essentia Dei? Si non: non etiam hæc erit infinitè perfecta; quare nec Divina. Si contineat: quid ergo attinet eas essentiæ per sese illas possidenti superaddere? Demùm, quæ illa esse poterit ab essentia Divina realiter distincta perfectio? An finita erit; an infinita? dependens; an independens? creata; an increata? Si finita, dependens, creata, nil continet Deo dignum. Si infinita, independens, increata, & tamen entitatem habens ab essentia Dei reapse distinctam, quì non secundum rem plures statuantur Dii? non video. Quibus omnibus quandoquidem per adversariorum hypotheses exitus dari planè nequit, liquet, omninò esse concludendum, quod concludendum erat, Deum actum purissimum ac simplicissimum esse, nec ullo modo capacem attributorum ab essentia sua, aut ab invicem, realiter diversorum. Ast neque eadem Dei essentia ad instar partis cum alio in idem compositum coalescere potest: jam enim ostensum, in tali plurium rerum ad compositum propriè dictum constituendum concursu conspicuam esse mutuam quandam partium dependentiam, ac, ut ita loquar, perfectibilitatem; quatenus ipsa notio partis per se & suâ naturâ notione totius inferior est, dum defectum involvit per istam sui ad unum totum compositum constituendum ordinationem & habitudinem. Neque ergò ex partibus componi, neque pars ipsa esse, potest Deus.

Fatendum omninò, magnam esse in Divinorum Attributorum conceptu varietatem. Sed tantum in conceptu, sive, ut ajunt, in sensu formali, & à parte modi concipiendi in nostra mente

III. *Difficultatum quarundam hic oc-*

currentium amotio. mente, per distinctionem rationis ratiocinatæ; non à parte rei per diversitatem realem. Confer, quæ jam suprà hanc in rem diximus, *Exercit.* v. §. III. IV. V. Nec putandum Decretorum divinorum obstare tum pluralitatem, tum indifferentem libertatem; quasi clarum sit, talia cum una essentia, eaque maxime necessaria, non posse esse eadem. Non enim qui sic arguunt satis θεωπρεπῶς concipere rationem Divinæ Voluntatis, evincent clarissimè quæ dicenda erunt infrà, ubi de Decretis Dei erit agendum. Solutu difficilius est, quod adferunt de Trium Personarum in eadem Essentia Divina subsistentia. Has ante mentis operam ab essentia & inter sese distinctos esse τρόπους ὑπάρξεως; verè tamen unitas in eadem essentia, sic ut sint τὸ ὁμοούσιον, docet nos Christiana fides. Haud diffiteor, me non clarè & distinctè capere, quo modo cum absoluta Simplicitate triplex talis subsistendi modus consistat: at neutiquam indè sequitur, hunc cum ista reverà consistere planè non posset. Nullus dubito, quin facilè ista concilianda nobis forent, si, & quid formaliter sint istæ Personalitates, & quâ ratione ab invicem & ab Essentia propriè distinguantur, & quo modo in eadem singulari Natura subsistant, intimè & satis evidenter haberemus perspectum. Nunc ea, quæ tantùm captum nostrum excedunt, adducere Fidei arcana, ad apertam veritatem naturâ notam impugnandam, nimiùm est præposterum & intempestivum. Mihi sufficit, quà Philosopho scire, Deum esse Simplicem, quia sic exigit divina perfectio; quà Christiano credere, Deum esse personis Trinum, quia sic testatur exertim Dei verbum: si quæ in istis conciliandis occurrit difficultas, ingenii tenuitas, non alterutrius dogmatis falsitas, indè evincitur. Et sic in tantarum rerum meditatione meritò acquiescit modestia sapientis in certitudine veritatis utriusque agnitæ, non in evidentia alterius cum altera connexæ. Paria dicenda sunt de altero illo magno pietatis Mysterio, quo Deus Filius manifestatus est in carne, per sui cum hac unionem hypostaticam. Sed nos hæc Theologis relinquimus explicanda, quæ tantum naturæ sphæram excedunt, ut fortè beati cœlites, quorum privilegium est Dominum Jesum videre sicuti est, istis ritè concipiendis soli existant pares.

Quum

Quum autem quæ antè de Dei Simplicitate demonſtrata ſunt, deducantur & fluant ex ipſa Divina natura, valdè perperam pulcherrima hæc doctrina quibuſdam habetur ſubtilitas quæpiam Scholaſtica, abſque neceſſitate inducta. Frigidum imprimis eſt, quod Apologiſtæ alibi, adulaturi Socinianis, eam *arenâ ſteriliorem* pronuncient. An verò arenâ ſterilius dogma, citra quod Deo ſua nequit eſſe ſalva Independentia, Perfectio, Unitas? Quid? quod Simplicitas hæc fundamentum ſit immotum Divinæ Immutabilitatis: quæ, uti purioris Religiônis eſt palladium, ita caput exiſtit præcipuum, à quo pendet bona pars Theologiæ inter nos & illos controverſæ: ut minus mirum, eos niti tantopere rei hujus momentum extenuare. Et quæ cogitatio dulci conſolatione & piâ reverentiâ fœcundior eſſe queat, quam quæ Deum, quicum nobis res eſt, menti repræſentat eſſe, hinc quidem ipſam infinitam Sanctitatem, Juſtitiam, &c. indè verò ipſam infinitam Miſericordiam, Bonitatem, Sapientiam, Potentiam, &c. Certè cui hæ, ſimilesque quas notio Simplicitatis ſuppeditat, cogitationes arenâ ſteriliores ſunt, ejus pectus eſſe oportet ſterilis valdè affectûs erga ſupremum Numen. Denique, quis niſi hoſpes planè in hiſce, ignoret, quanti uſus ſit in re Theologica noviſſe, An, & quo ſenſu, quicquid eſt in Deo ſit ipſe Deus? An de eſſentia & de ſe invicem prædicari poſſint Attributa, non in concreto tantum, ſed & in abſtracto? An nulla Attributa intendantur aut remittantur? Deo magis & minus ſint eſſentialia? Alia aliis priora & poſteriora? quæque iis affinia ex hoc dogmate de Simplicitate tum confirmanda ſunt, tum illuſtranda.

IV. *Divinæ Simplicitatis perſuaſio quam multis modis utilis?*

Dubium quibuſdam viſum fuit, num inter Dei Attributa rectè numeretur Simplicitas? Fruſtrà autem quidam negant. Quamvis enim largiamur lubentes, eam reſpicere omnes omninò Divinas perfectiones, quatenus earumdem notat intimam identitatem: non tamen pro modo concipiendi noſtro Simplicitas eſt prima perfectionum Divinarum ſcaturigo; quippe quæ ipſa ex Independentia, & Infinitate perfectionis firmiſſimè, quaſi à priori, poteſt demonſtrari, ut jam docuimus. Cæterùm, ſolum Deum abſolutè ſimplicem, ſeu, ut loquuntur, actum purum eſſe, tum hoc quod dixi evincit; tum illud quo-

V. *Simplicitatem inter Dei, & quidem ſolius, Attributa eſſe numerandam.*

que, quod omnis quæ præter Deum existit essentia, ut limitata, ita dependens sit. Quapropter nil obstat, cur non ei semper arbitrio primi entis à quo pendet nova addi queat perfectio: quæ si addatur (quandoquidem à præëxistente subjecto realiter distinguitur, idque sui accessu perficit) necessariò cum illa faciet compositum. Et sic dictat experientia, etiam creaturas omnium simplicissimas, quales procul dubio sunt Angeli & Animæ rationales, multa possidere attributa, quibus absolutè carere possent: adeoque & illas ex subjecto & accidentibus modisque esse compositas. Quamòbrem & nulla earum dici potest *Actus purus modificabilis*: quod mirificum quorundam hodiè de mente humana vaticinium est.

EXERCITATIO DUODECIMA,

DE

DEO IMMUTABILI.

SUMMARIUM.

I. *Immutabilitas Deo adscripta ratione Essentiæ, Attributorum, & Operationum.* II. *Immutabilitatis Divinæ respectu Attributorum demonstratio.* III. *Deus solus, in rerum omnium mutationibus, Immutabilis.*

I. *Immutabilitas Deo adscripta ratione Essentiæ, Attributorum,*



Simplicitati cohæret IMMUTABILITAS; quâ innuimus, naturæ Divinæ repugnare, ut, ejus aliquo remanente, illi aliquid quo antè caruit de novo accedat, vel etiam quicquam quod antè habuit decedat: sic quidem, ut qui semel est, is idem semper maneat nullâ sui parte alius

alius quam olim aut fuit aut erit. Tribus considerandi modis quibusdam spectatur hæc Immutabilitas: tum ratione Essentiæ Divinæ, tum ratione Proprietatum, tum etiam ratione Operationum. At censent alii, non nisi Attributorum & Operationum respectu Deo Immutabilitatem tribui debere. Non quod Essentiam Dei hi velint mutabilem; sed quod perfectionem, quam illi Immutabilitatem Essentiæ vocant, malint hi vocare Necessitatem existendi: nam, ajunt, ipsa essentia, ut aliarum rerum, ita Dei, quemadmodum in indivisibili consistit, sic nullam variationem ratione sui potest subire. Per annihilationem quædam essentiæ interire possunt, verùm cum nullum tali casu relinquatur mutationis subjectum, etiam totalis rei interitus non; nisi satis impropriè, mutatio dicenda est. Undè concludunt, sicuti id, cujus essentia ipsa destrui potest ut non amplius sit, rectius dicitur contingens quam mutabile; ita ex adverso id, cujus essentia ipsa destrui non potest, rectius dici Necessarium quam Immutabile. Quæ ut accuratiùs dici largior, sic de nomine tamen contendere nolim. Cæterùm de essentiæ Divinæ Immutabilitate, vel potius existendi Necessitate, dictum est, quantùm sufficit, suprà. Tantum de Immutabilitate Dei ratione Attributorum hic agemus. Quâ ritè perceptâ, quæ Immutabilitas operationum Deo tribuenda sit, facilè intelligitur. Sed de hac aptius agemus infrà, quando dicendum erit de Dei Intellectu & Voluntate. *& operationum.*

II. *Immutabilitatis Divinæ respectu Attributorum demonstratio.*

Nullam verò essentiam Divinam subire, aut subire posse, mutationem ratione hujus vel illius attributi, evincunt pariter ista omnia quæ continuatâ serie de Deo hactenus demonstrata fuerunt. Quamvis certè mutabilitatem supponere plurium prædicatorum veram distinctionem, earundemque possibilem inter se unionem, aut ab invicem disunionem, per se evidens adeò est & certum, ut mutabile nemo, nisi compositum, aut saltem, ut ità dicam, componibile simul, fingat Numen. Verum Simplicem jam demonstravimus Deum; qui quemadmodum essentiam habet, nil admittentem quod ipsa essentia non sit, ita nihil in eo concipi potest quod maneat altero recedente, nihil cui existenti alterum queat accedere. Et quis perfectissimo modo id Unum esse dixerit, quod usque eo in se divisum est,

ut

ut aliquid ejus absque altero existere queat? Nec saltem ratione loci mutabile est quod Immensitate suâ existit ipso facto, ubicunque aliquid unquam existere potest. Nec temporibus ille variatur, qui secundum perfectissimam Æternitatem sic simultaneè durat, ut

Tempus ab ævo
Ire jubens, stabilisque manens, det cuncta moveri.

Non etiam patitur talem, qualis in omni mutatione includitur, hujus aut istius entis & non-entis successionem ipsa existendi Necessitas. Procul dubio qualis est rei cujuspiam essentia, talia existunt ejusdem attributa; quippe quæ ejus ex quo fluunt induunt naturam: quapropter qui in essentia, is in singulis quoque prædicatis essentialibus conspicuus erit idem necessitatis gradus. Et quâ quæso ratione mutabitur Numen infinitæ perfectionis? cui nihil addas, nihil detrahas, quin pariter agnoscas, tantas non esse in eo perfectionum divitias, quantæ sunt rei verâ gaudentis infinitate; cujus natura omnem diminutionem & augmentum respuit. An verò quod accedet ad Deum, aut recedet ab eo, nil ad infinitas ejus perfectiones pertinere dices? At sic nihil quoque ad Deum ipsum pertinet. Erit nimirum quod Deo de novo adveniet vel creatum, vel increatum; vel dependens, vel independens; vel finitum, vel infinitum. Priora illa enti increato, independenti, infinito addi non posse, res ipsa clamat. Posteriora non magis Deo addi possunt, quam Deus addi potest sibi; dum præter Deum nil increatum, independens, infinitum existere, suis locis docuimus. Verbo, si subeat mutationem Deus, vel in parem transibit statum, vel in melius mutabitur, vel in deterius. Istud ridiculum est. Horum quicquid dixeris, imperfectionem id notat vel præteritam, vel præsentem, vel futuram. Denique, quid esse mutabile est aliud, quam esse in potentia ad perfectionem aliquam vel recipiendam vel amittendam? Quod qui cadere queat in ens Independens, quis concipiat? Et quid tandem istud erit, quod Numen mutari faciat? Num quid extrinsecum? Non id finit primi entis Aseitas. Nec ipse se mutat propter aliquid in se; cum nihil in se quod secum pugnet contineat. Neque etiam mutat se propter aliquid extra se; cum extra

extra se nihil habeat, quod non sit à se, ut dependens, ita nullo negotio, si velit, mutandum. Luce meridianâ hæc omnia sunt lucidiora. Quapropter hinc facessant, qui obfirmatâ mentis cæcitate Deum inducunt, qui in horas sit alius & idem. Sanctius de istis philosophatur Apostolus, quando tam magnificè de Deo testatur, apud eum ne quidem esse τροπῆς ἀποσκίασμα. Scilicet ipse Sol in eclypsi sui luminis, si non mutationem, obumbrationem saltem patitur : at ne sic quidem Pater luminum, in quo ne minimum mutationis simulacrum.

III. *Deus solus, in rerum omnium mutationibus, Immutabilis.*

Semotâ sic omni Mutabilitate à Deo, nil opus erit ire per singulas mutationum species, & docere, Deum esse *Incorruptibilem*, *&c.* ex dictis enim ista facilè eruuntur. Etiam solius Dei hanc esse prærogativam, multâ jam demonstratione non indiget. Id evincit, tum hujus cum aliis Divinis perfectionibus concatenatio, jam ostensa; tum quoque dependens & finita rerum creatarum natura, quæ, quemadmodum probat illam omnem esse compositionis capacem, ita pariter evincit, eandem esse mutationi obnoxiam, casu quo quicquam perfectionis ei addere vel demere voluerit Deus. Nec si id fecerit, Immutabilitati ejus hoc quodammodo præjudicare credendum est : quum operis vicissitudo Opificis constantiæ nil detrahat. Mira hinc mihi visa fuit semper ista Cartesii philosophatio, & tanto ingenio parùm digna, quando alibi ex Immutabilitate Dei, eandem semper motûs quantitatem in universo hoc conservari concludit, ne quæ, si secus fiat, inconstantia indè in Numine arguatur. Ineptè profectò! Etiam judicio divini Vatis; cui alia planè mens, quando in maximis quas facit Divina providentia vicissitudinibus imprimis Immutabilem agnoscit & celebrat Deum, cum canit :

Tu, Deus! usque manes, nullo mutabilis ævo,
Victurumque omni tempore nomen habes.
Principio solidæ fundasti pondera terræ,
Altaque sunt digitis sidera facta tuis;

Cœlorum ſeries motâ compage peribit,
Ut per longa perit tempora veſtis honor;
Hoſque laboratum tanquam mutabis amictum,
Nec ſpeciem poterunt uſque tenere ſuam:
Semper at es, nullo caſu mutabilis, idem,
Invadetque annos nulla ſenecta tuos.

EXERCITATIO DECIMA-TERTIA,

DE

DEO OMNISUFFICIENTE.

SUMMARIUM.

I. *Sufficientiæ Divinæ varia conſideratio.* II. *Omniſufficientiæ Dei, quæ hujus eſt loci, explicatio.* III. *Ejuſdem plenior demonſtratio.* IV. *Summum bonum nullum, niſi unicus Deus Omniſufficiens.*

I. *Sufficientiæ Divinæ varia conſideratio.*



Ità quædam conſideravimus prædicata, quorum ratione Deus in ſe ipſo ſibi perfectiſſimus eſt, & tanquam talis nobis innoteſcit. Nunc ea proximè expendenda veniunt, quæ propiorem dicunt habitudinem ad creaturas, tum omnes, tum rationales imprimis. In iſtoc genere princeps Dei Attributum eſt SUFFICIENTIA, tam undiquaque abſoluta, ut meritò dicatur *Omni-ſufficientia.* Spectari ea poteſt, vel quatenus ad Deum ipſum refertur, vel quatenus reſpicit res exiſtentes extra Deum. Si Sufficientem Deum cogitaveris ratione ſuæ exiſtentiæ, in quantum nullâ re extra ſe ad hoc ut exiſtat indiget, ſic occurrit ipſa primi Entis Independentia, ſeu Aſeitas; de qua antè. Si Sufficientiam eandem attendas,

tendas, quatenus eâ notatur, Ens independens sic plenissimè abundare omni perfectionum genere, ut nulla earum species aut gradus ei desit, sic ipsa Perfectionis Infinitas est; de qua etiam dictum suo loco. Quod si Sufficientiam conceperis, quatenus perfectissimum Numen sibi suæ istius immensæ perfectionis intimè est conscium, ejusque amplitudinem ita perfectè intelligit, ut in ea summa cum tranquillitate acquiescat, sic erit Beatitudo Dei, quâ ipse perfectissimus perfectionibus suis fruitur perfectissimè: quod prædicatum rectius infrà tractabitur, ubi præmissa fuerit consideratio Divini Intellectûs & Voluntatis.

Ergò hujus duntaxat loci erit ista plenitudo perfectionis, quâ Deus ex se & per se omni alteri à se esse potest omnia in omnibus. Tantam nimirum bonitatis in Deo abundantiam notat, ut nihil excogitari queat in omni bonorum genere, seu honestum id fuerit, seu utile, seu jucundum, quo non quolibet in casu satiare queat quamlibet creaturam. Sua etiam rebus quibusdam creatis convenit Sufficientia, sed tantùm ratione hujus aut illius defectûs, quem excludere possunt aut compensare suâ præsentiâ; nulla eis competit talis, quâ in omni indigentia esse queant omnia in omnibus. Sufficit v. c. Cibus ad satiandum famelicum; verum idoneus non est reficere sitientem. Respondet Honor appetitui ambitiosi: ast idem non explet desideria avari. Satisfacit sensibus Voluptas corporis; sed valetudinem conservare nequit eadem. Hæc similiaque aliquid sunt alicui; nihil eorum est omnibus omnia. Quin ne quidem in isto perfectionis genere, in quo quædam Sufficientiæ species creaturæ competit, tantum præstat alicui, ut non plerumque majora desiderare & capere possit. Longè aliter se habet Sufficientia entis perfectissimi; quæ si se exerat ut potest, id rebus dabit, ultra quod ne quicquam cogitare queant, cujus appetant fruitionem. Et talis Deus ex sese est. Non alterius gratiâ, uti creaturæ; quarum qualiscunque Sufficientia rivulus est duntaxat profluens ex oceani istius abundantia, qui si suum inhibuerit influxum, exarescet is penitus, nullamque per se, dum per se nihil est, compensare valebit indigentiam. II. *Omnisufficientiæ Dei, quæ hujus loci est, explicatio.*

Atque istæc omnia talia sunt, ut operosâ demonstratione minimè indigeant. Conferatur duntaxat rerum quarumcunque III. *Ejusdem*

plenior demonstratio. natura finita & dependens, cum Independentia & Infinitate Divinæ perfectionis; ac mox intelligetur, & Omnisufficientem esse Deum, & solum illum esse talem. Id certum est, finiti ad infinitum nullam esse proportionem; contrà, infiniti supra finitum immensum esse excessum. Excedit ergò infinities infinita Dei perfectio finitam cujusvis rei finitæ indigentiam. Quod si tantùm excedat, utique si se infinitum finito communicaverit Deus, saltem omnem in eo defectum plenè ac planè supplere poterit: sive id fecerit mediatè, unius creaturæ defectum alterius substitutione compensando; sive etiam immediato suavissimæ fruitionis sui ipsius sensu, qui tanto est jucundior, quanto sunt dulciores quæ ex ipso fonte bibuntur aquæ. Verbo, vel nihil quicquam Sufficientiæ habet in rerum natura, vel quicquid Sufficientiæ universis inest creaturis, in Deo tanquam in causa earundem suprema continetur, modo Deo conveniente, id est, infinitè perfecto: consequenter, quod universæ creaturæ esse possunt earundem alicui uni, id solus Deus multò magis esse potest iis universis. Fateor, non quidem illa efficit semper, quibus sufficit, Deus. At abundantiæ bonitatis in causa mensura idonea non est effectus. Ut non hoc arguat aliqualem Sufficientiæ defectum, sed independentis tantum arbitrii liberrimam dispensationem; quâ non ad instar causæ brutæ seipsum communicat quo usque potest, sed unicuique suarum creaturarum sapientissimo voluntatis consilio tantum sui largitur quantum visum est. Neque eidem Sufficientiæ quid detrahit quæ conspicua est in obviis causis secundis qualiscumque, uti efficientia, ita Sufficientia: quanto enim hæc est major, tanto illustrius manifestat plenitudinem fontis, ex quo scaturit. Deus itaque, quemadmodum per se sibi satis est, ita per se sufficit ad id, ut sit omnia in omnibus.

IV. *Summum bonum nullum, nisi unicus Deus Omnisufficiens.* Verùm quid ista cogitâsse juvat, si tantum cogitentur, nec altius in pectus descendant? Quid Sufficientem Deum scimus, factis tamen abnegamus? Quid tam anxiè Voluptates, Opes, Honores venamur, tantamque in iis locamus Sufficientiam; quæ sicuti omnia in omnibus non sunt, ita satis esse minimè queunt appetitui, cujus desideria infinitum spirant & æternum. Saltem, si quærimus, quid ita quærimus, ut quæ subordinata sunt

ſunt turpi ſacrilegio divellamus? Facimus id, quoties ſtulti creaturis ſecundum ſe aliquam tribuimus Sufficientiam; quaſi eæ ſejunctæ à principio ſuo, cujus influxui ſuam qualemcunque debent Sufficientiam, non omni re ipsâ exuantur Sufficientiâ. Imò quid adeo infinitis dolorum, metuum, curarum, affectibus torquemur, quoties deficit inſufficientiſſima Sufficientia creata? Scilicet, ut inania captamus, ita quoties eis deſtituimur, nimium dolemus, quia non animo ſatis obverſatur יהוה אל שדי, *Jehova*, *Deus ſufficiens*: quo qui fruitur, beatus ille nactus eſt ſtatum omni bonorum genere affluentem, cui nihil detrahit creaturæ cujuſcunque receſſus, nihil addit vel totius Univerſi additamentum; quippe quod abſque Omniſufficiente ſufficit nihil, abſque quo Omniſufficiens ſolus ipſe eſt omnia in omnibus. Faceſſant ergò, cum trecentis illis de Summo Bono gentilium ineptiis, noſtra pariter perverſa hac parte vitæ ſtudia!

Sat jam ſæpe tulit vaga per divortia mentem
Hinc Thetis, hinc Tellus, arduus indè Polus.
Vel totum injectis mundum ſi metiar ulnis,
Non tamen hæc ulnis par erit ulna meis.
Quod neque ſiderei claudunt amplexibus orbes,
Id voto ſpes eſt reſque petita meo.
Hactenus, heu fateor! vacuas dum prendimus auras,
Semper ab amplexu mens malè luſa ſuo eſt.
Sis mihi Terra, Deus; mihi Tu Mare; Tu mihi Cœlum!
Sis Tu cuncta mihi; Te ſine, cuncta nihil!

EXERCITATIO DECIMA-QUARTA, DE DEO INCOMPREHENSIBILI.

SUMMARIUM.

I. *Nullius Sensitivæ perceptionis unquam Deus esse potest objectum.* II. *Humanæ menti Deum, & solum quidem, esse Incomprehensibilem, docetur.* III. *Etiam beatis Cælitibus Deus incomprehensibilis existit.* IV. *Perperam in intellectu finito claram ac distinctam Dei ideam statui, ostenditur.* V. *Non nisi modestissimè de Incomprehensibili Numine philosophandam.* VI. *Deus, quia Incomprehensibilis, etiam Ineffabilis.*

I. *Nullius Sensitivæ perceptionis unquam Deus esse potest objectum.*



Ic quidem Deus Omnisufficiens est. At talem tantum esse haud sufficit, nisi quoque tanquam talem cognoscendum sese & agnoscendum exhibuerit istis, qui ejus pro modulo sunt capaces. Nunc itaque videndum, quo pacto se habeat tanta perfectionis plenitudo in ordine ad duplicem istam facultatem, quâ præ omni alia pollet rationalis, creatura, Intellectum puta & Voluntatem. Vim nostram percipientem quod attinet, notandum hìc in antecessum diligenter, puram huc adferendam esse mentem atque elevatam longissimè supra id omne quod Sensus afficit: INSENSIBILIS namque Deus est. Neque tantum isto communiori modo, quo, ob extensionis & corporearum qualitatnm, quæ organa afficere aptæ natæ sunt, carentiam, quivis Spiritus sensum fugit; verum ratione quâdam peculiari ac Deo propriâ, quatenus sentiri posse con-

consistere nequit cum perfectionis Infinitate, neque cum Immensitate, neque cum Simplicitate. Non ergò *Imaginabilis* est interiori sensui, cujus nullum fingi potest phantasma, quod tanquam ectypon aliquam Dei, ceu archetypi sui, referat similitudinem. Neque eandem ob causam *Effigiabile* esse potest Numen; quandoquidem nemo vel statuâ quapiam vel picturâ exprimere valet, cujus vel in cerebello suo delineatam nequit habere imaginem. Ut nimiùm contra ipsum luminis naturalis dictamen antropomorphiticis idolis sacra sua polluant, qui incorruptibilis Dei gloriam fœdissimum in modum mutant in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, puta v. c. Senis, aut Juvenis: nec tantum hominis, sed & quadrupedis ac volucris, Agni videlicet, Columbæ, &c. Cæterùm, qui sensûs interni objectum esse nequit, idem nec externo Visu aut Tactu percipi potest. Tangitur id duntaxat, quod molis suæ resistentiâ obvium nostrum corpus potest afficere: quapropter absque palpabili errore nemo Deum neget *Impalpabilem*. Neque minus idem *Invisibilis*: quippe qui neque lumine suo neque colore oculo materiali se manifestare potest, dum essentiam possidet simplicissimam, nullos luminis radios aut emittentem aut remittentem. Quumque ista per se atque immediatè fluant ex ipsa Entis perfectissimi natura, tum etiam ex propria atque nativa sensuum nostrorum constitutione, absurdissimè opinantur nonnulli, beatos saltem cœlites corporeo oculo essentiam Dei intueri posse; elevato scilicet (ajunt) Sensu per potentiam Divinam ad actum istiusmodi eliciendum, quem viribus ipse suis naturalibus elicere non valet. Verum hoc qui contendere volunt, dicant illi pari cum subtilitatis acumine, visum elevari posse, ut percipiat sapores; aut auditum, ut sentiat colores: quæ certè minus sunt absurda, quam videri quod est absolutè & per naturam invisibile; quippe quod evidentem notat contradictionem.

Non ergò corporeis organis quoquo modo sentiendum sese dare potest Deus. Et nos tamen, dum animâ constamus pariter & corpore, usque adeo sensationibus adsueti sumus in hac vita, ut absque earum adminiculo vix quicquam cogitemus, difficillimè saltem attendamus ad ea, quæ imaginationi præsentia

II. Humanæ menti Deum, & solum quidem, esse Incompre-

benſibilem, docetur.

tia non ſunt. An verò idcirco quoque Dominus alibi, *Non me videbit homo, & vivet*? Imò, non videbit Numen propiùs, qui non attulerit intellectum à ſenſuum inquinamentis puriorem, quam qui nobis in hoc unionis ſtatu obtingit. Quin, vel ſi ſola mens, eaque puriſſima, huc accedat, ne ea quidem huic contemplationi par eſt: tanta Numinis eſt INCOMPREHENSIBILITAS. Tot ſcilicet & tantarum cuilibet intellectûs aciem huc intendenti ſeſe offert perfectionum cumulus, ut ei ſicuti in ſe eſt plenè intelligendo nullum unquam ingenium creatum ſufficiat. Elegans iſtæc eſt metaphora, quâ cognitionem noſtram vel Comprehenſivam, vel Apprehenſivam, dixerunt Philoſophi. Nimirum, quemadmodum manus corpora ſe minora ſic tangit, ut omni parte ambiens & excedens illa tota circumplectatur; ſe autem majora aliquâ quidem parte tenet, ità tamen ut aliâ portione ab eis excedatur: ſic Intellectus noſter rem dicitur comprehendere, quam plenè & perfectè cognoſcit per ideam ipſi objecto adæquatam, atque omnia ac ſingula ejus prædicata intimè penetrantem; à qua cognitionis plenitudine quoties intellectus deficit, non omnia ut in ſe ſunt, ſed quædam duntaxat attributa rei, & qualicunque modo, ſibi repræſentans, toties aliquid tantùm apprehendere dicitur. Atque ex hoc poſteriori cognitionis genere eſt omnis creaturarum, quam de Deo habent, notitia. Quod facilè demonſtratur. Videlicet, de natura finiti eſt, ut nulla planè inter ipſum & infinitum exiſtat proportio; neque iſtud, quantumvis amplum, huic æquari unquam queat. Itaque cum indè perfectiones in Deo cognoſcibiles ſint omni modo infinitæ, hìnc verò vis cognoſcens in omni creatura ſit finita, utique illæ quaſcunque cogitationes hujus longiſſimo intervallo poſt ſe relinquent, neque vel omnium ſimul creaturarum captu plenè ac perfectè intelligentur: eritque adeo Deus verè ſecundum exceſſum ſuarum perfectionum cuivis finito intellectui Incomprehenſibilis. Quod idem de nulla creaturarum affirmari poteſt: quarum etſi forte pleræque à nulla mente creata ſecundum omnia ſui prædicata comprehendantur, abſolutè tamen, etiam à finito captu, comprehendi ſaltem poſſunt; ſine dubio quoque ipſo facto à Divino intellectu comprehenduntur. Cæterùm, hoc Attributum ad creatam mentem

mentem totum retuli. Quandoquidem enim perfecta sui cognitio non minima perfectio est, ambiguum esse nequit, quin Ens infinitè perfectum se ipsum intelligat plenissimè, perfectissimè. An verò hæc plena sui notitia Comprehensio dici debeat (de quo quidam contendunt) mera lis de voce esse videtur.

III. *Etiam beatis cœlitibus Deus Incomprehensibilis existit.*

Quamvis autem ista ignorari nequeant vel leviter rem attendentibus, dissentiunt tamen multi Doctores Scholastici, distinguentes inter illam Dei cognitionem quam hic in via habemus, atque eam quam olim habituri sumus in patria. Viatoribus quidem haud aliam quam imperfectam & apprehensivam Dei notitiam reliquam faciunt; ast qui vivunt in cœlis beatos Comprehensores ipsi appellant. Absurdè! Non nego, inconceptibilibus modis Theologiam Visionis, quæ per lumen Gloriæ cœlitibus obtingit, superare illam nostram quam habemus in hujus vitæ stadio per lumen Naturæ, vel etiam Gratiæ. Etenim quas nos in speculo quasi relucentes contemplamur primi entis perfectiones, easdem illi, absque istis imbecillis naturæ nostræ adminiculis, familiariori revelatione propius, ceu de facie ad faciem, teste S. Paginâ, intuentur. Verumtamen quæcunque etiam fuerit immediata magis illa Divinarum perfectionum manifestatio, nunquam ea creatæ mentis captum sic elevabit, ut approportionatum reddat perfectè concipiendæ immensæ illi infinitorum prædicatorum latitudini: neque enim aut finitam mentem infinitate donabit, aut infinitum Deum intra finitudinis limites coarctabit; absque quorum altero creatum intellectum nullam comprehensivam Dei notionem habere posse, ostendimus. Neque cœlitum consummatæ felicitati quicquam obstat inadæquata Dei notitia, quandoquidem perfecta satis est, quæ omnem subjecti capacitatem replet, etsi non omnem objecti amplitudinem exhaurit. Summus potius ille videtur beatitatis gradus, si quis ne mente quidem suâ satis capere valeat excellentiam boni, quo frui se sentit. Quin ipsa hac ratione optimè cœlestis gaudii æterna esse potest sine fastidio satietas.

IV. *Perperam in intellectu finito statui*

Istoc Scholasticorum errore minus tolerabilis est hac parte opinio Cartesii, in hac ipsa vita omnium mortalium, tantùm citra præjudicium propriæ mentis tabulas intuentium, animis ob-

claram ac distinctam Dei ideam, ostenditur.

obversari asserentis insculptam quandam ideam Dei talem, quâ quamvis summas ejus perfectiones non comprehendamus, nihilominus tamen ipsas clarius & distinctius, quam ullas res corporeas, intelligere possimus. Quid ista sibi velint mysteria, jam dudùm me haud satis intelligere, lubens fateor. Constat equidem rerum corporearum attributa omnia, sic ut in se sunt, à finito intellectu comprehendi saltem posse. Constat pariter ex antè dictis, rei infinitè perfectæ omnia ac singula prædicata, uti in se sunt, à finito intellectu comprehendi omninò non posse. Etiam deniquè per se manifestum est, eo clariorem ac distinctiorem esse cognitionem, quo magis est perfecta, quòque altiùs rem cognoscendam penetrat. Quæ si sint vera, uti sunt, quâ, obsecro, ratione dici potest, omni aliâ re clarius à nobis cognosci Deum, quem omnium minimè secundum omnia ac singula prædicata, prout in se sunt, mens sibi sistere potest præsentem? Non ista sententia stetit Apostolo, quando universam nostram de Deo in his terris notitiam, etiam illam quam revelationis supernaturalis gratia cordibus fidelium infundit, similem pronunciat ænigmati; cujus totam rationem in ipsa obscuritate consistere, notum est. Cogitationem nostram, fateor, magis implent Divinæ perfectiones, quam ullæ aliæ. Sed vel ideo intelliguntur obscurius, quia usque adeò mentem implent, ut totam obruant. Scilicet, non ea tantum confusa nobis sunt & inevidentia, quæ infra vim percipiendi subsistunt, eamque non satis afficiunt; verum & illa quæ longius eam excedunt, ac plus justo in eandem agunt. Æquè hic peccat nimium, atque parum; dum utroque modo receditur ab ista proportione, quæ inter subjectum percipiens & objectum percipiendum necessariò requiritur, ad id ut perceptio clara sit ac distincta. Scitè hoc innuit Philosophus, quando mentem nostram ad contemplationem rerum nimis excellentium se habere dixit, uti se habet oculus noctuæ ad intuitum luminis meridiani. Et quis est, qui non sit expertus ardentis facis flammam longè clarius videri quam Solis splendorem; etsi hic oculum lumine multo magis impleat, quam illa? Plura qui cupit, conferat nostram *Exercitat. de Infinito*, ubi de hisce, quæque iis affinia sunt, actum est fusius.

Plus.

Plus modestiæ est in illa cautela, quâ Cartesius philosophaturum alibi monet utendum, ut tutò & sine errandi periculo rem aggrediatur, quæque, cum mirè huc pertineat, silentio prætereunda hoc loco non videtur. Vult, ut semper „quam maximè recordemur, & Deum auctorem rerum esse „infinitum, & nos omninò finitos. Ità si fortè nobis Deus de „se ipso vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri „vires excedat, qualia jam sunt mysteria Incarnationis & „Trinitatis, non recusabimus illa credere, quamvis non clarè „intelligamus: nec ullo modo mirabimur, multa esse, tum in „immensa ejus natura, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ „captum nostrum excedant. Aurea regula! Cujus si aliquanto diligentius recordatus fuisset ipse ejus Auctor & sequaces, in tractandis Sacris plus reverentiæ, in Philosophicis plus modestiæ, conspicuum foret. Non illorum majestatem profanasset impius ex hac cavea *Philosophus, Scripturæ Interpres infallibilis*; non horum latifundia arctasset Cartesius intra angustos propriæ suæ perceptionis terminos. Quid addam de Scholasticorum audacia, atque Hæreticorum petulantia? qui quasi non sit Incomprehensibilis Deus, divina quæque ad captûs sui pedem metiri passim nihil metuunt. O! quanto rectius, dum isti suâ sibi temeritate cruces figunt, acquiescit hic sæpè mens sobriè sapientis, non in evidentia rei introspectæ, sed in altitudine veritatis occultæ! Ita qui capi cupit ab eo, quem capere se non posse capit, reverenter is habebit Incomprehensibilem majestatem, à gloria nunquam opprimendus, nisi gloriosè.

V. *Non nisi modestissimè de Incomprehensibili Numine philosophandum.*

Cæterùm, præter Sensum, tum etiam Intellectum, aliud adhuc in homine occurrit, referendum ad ejus perceptionem, tanquam ejusdem interpres atque nuncius, Sermo puta externus; ad quem quomodo se habeat Deus, idcircò obiter quoque hìc erit attingendum. Verbo: quandoquidem voces sunt signa conceptuum, neque signo plus exprimi potest, quam in signato continetur, tanta existit inter λόγον ἐνδιάθετον & λόγον προφορικὸν convenientia, ut quod intellectus capere nequit, idem lingua efferre non valeat; utque quod verbo mentis est Incomprehensibile, idem verbo oris sit Ineffabile. Quumque

VI. *Deus, quia Incomprehensibilis, etiam Ineffabilis.*

prius jam de Deo ſit demonſtratum, de poſteriori quoque dubium eſſe haud poteſt. INEFFABILE dico Numen; non quod planè nihil de eo dicere liceat, nam ſic ne Ineffabile quidem à nobis jam prædicari poſſet: verùm quatenus nullum tantum ſermonis apparatum excogitare datur, qui quid exprimat, quod infinitis Dei perfectionibus plenè exprimendis dignum ſit ac ſufficiens, & cujus etiam ampliſſimâ ſignificatione non infinities amplior ſit res ſignificata. Nomen יהוה non abſque multis fabulis *ἀνεκφώνητον* perperam contendunt Judæi: quam litem Philologicam præclarè excuſſam vide à Venerando Collega Cl. Leuſdeno, *Phil. Hæbr. Diſſert.* XXVIII. *& ſeqq.* Quamvis verò erret, qui non de reipſa potius quam de Nomine ſic ſentit, multo tamen tolerabilior eſt iſta ſuperſtitio, quam multorum hodiè profani & inanes garritus de Deo Ineffabili; de quo ſine timore ac tremore nemo unquam balbutire incipit, qui debitâ tangitur Numinis reverentiâ: uſque adeò etiam vera de Ineffabili effari res eſt ſollicitudinis atque periculi plena.



EXER-

EXERCITATIO DECIMA-QUINTA,

DE

DEO ADMIRABILI,

ET

A M A B I L I.

S V M M A R I V M.

I. *Animo finito Numen infinitum exiſtit ſummè Admirabile.* II. *Uberior ejus rei confirmatio & illuſtratio.* III. *Amabilitatis Divinæ conſideratio.* IV. *Ea tanta, ut nihil amandum non propter Deum.*



Tque ità quidem ſe habet Deus ad creatæ Mentis perceptionem. Nunc, quâ ratione ſe habeat ad finitæ Voluntatis appetitum, paucis quoque videamus! Miſſis, quæ in hanc rem adſerri poſſent, aliis plurimis, unam duntaxat atque alteram attendemus voluntatis noſtræ motionem facilè principem, Admirationem puta, atque Amorem; quæ duæ junctæ præcipuum exiſtunt genuinæ, quam Numini debemus, Reverentiæ ac Cultûs fundamentum. ADMIRABILIS Deus eſt, quatenus animum cujuſvis creaturæ, ſe diligentius contemplantis, repentinâ quâdam occupatione ſic afficit, ut totus in Ipſo hæreat, tanquam in re rariſſima, & præ aliis maximâ coſideratione digna. Multa quidem mirabilia occurrunt in natura rerum; ea ſcilicet, quæ intrinſecâ ſuâ eſſentiâ aliquid continent, quod latens & reconditum non omninò aſſequimur, inque cujus intuitu animus hæ-

I. *Animo finito Numen infinitum exiſtit ſummè Admirabile.*

hæret suspensus, ulteriori sciendi desiderio flagrans: verùm nihil eorum omnium est, quod cuivis necessariò & semper admirandum videatur; quatenus absolutè saltem unumquodque finitum à finito intellectu sic penetrari potest, ut nulla supersit stuporis causa. Oritur enim omnis Admiratio ex quadam rei novæ ignorantia, conjuncta cum desiderio eam plenius cognoscendi: ut, quamvis ignorantiæ filia sit Admiratio, excitet ea tamen sciendi cupiditatem. Undè maximè Philosophi esse hunc affectum, nec aliud esse Philosophiæ principium, quam ipsam Admirationem, meritò censuit Plato: uti non minus rectè Pythagoras, se ex Philosophia id parasse ajebat, ne quid admiraretur. Scilicet, qui rerum omnium adeo omnibus numeris perfectam notitiam sibi habet, ut nihil quod in ea continetur ipsum fugiat, nil is miratur: quæ res, judice Poeta, prope una est,

Solaque, quæ possit facere & servare beatum.

Atque hæc ratio est, cur hoc Dei attributum restrinxerim ad animum creatum. Ens enim infinitum, quemadmodum sese plenissimè intelligit, & modo quodam perfectissimo se ipso fruitur, ita in intelligentia, ut aliarum rerum, sic quoque sui, nihil habet obvium, quod rarum videatur nec satis plenè cognitum, quodque ideò repentinâ commotione ad ulteriorem sui considerationem incitet.

II. *Uberior ejus rei confirmatio & illustratio.* Sola creatura rationalis est, eaque omnis, cui attendenti non potest non continuò aliquid rari in Numine occurrere & admirandi. Quod non in hoc tantum rerum statu obtinet, sed & in maxima ejusdem, quantam obtinere potest, perfectione. Quandoquidem enim jam antè satis docuimus, usque adeò Divinas perfectiones omnem finitæ mentis captum excedere, ut nunquam non ei sint & maneant Incomprehensibiles, etiam non potest non tanta altitudo veritatis occultæ plurima semper in recessu habere, quæ sedulo inquirenti nova occurrant, animumque creatum in admirationem rapiant & stupore percellant. Quin, quum in aliarum rerum notitia quo magis proficimus, eo miremur minus, hìc ex adverso tanto stupemus magis, quanto plus cognoscimus: in quo vel uno maximè mirandum existit Numen. Et quid demonstratione opus est? Sive essentiam divi-

divinam ſpectes, ſive perfectiones, ſive actiones, offerunt ſeſe ubique rerum admirandarum theſauri inexplicabiles. Quis, niſi ſordidus nimiùm Numinis contemplator, abſque animi hæſitatione cogitet Deum exiſtentem ſine cauſa; ſine ſucceſſione præteriti ac futuri durantem; ſine ſitu, ſine loco, ſine extenſione, univerſa implentem; ſine compoſitione omnia in uno poſſidentem; ſine mutatione omnia mutantem; uno mentis ictu infallibiliter contingentia prævidentem; immutabili voluntatis actu quævis libera decernentem; irreſiſtibili potentiæ determinatione voluntates indifferentes flectentem; creantem omnia ſine indigentia; conſervantem omnia ſine labore; gubernantem omnia ſine moleſtia; pœnitentem ſine dolore; iraſcentem ſine motu? Ut jam de mirabili Mundi ſtructura nil addam, in qua quiſquis mirabilia Opificis non ſtupet, ſtupet ille profectò nimiùm. Suæ ætatis ſapientiſſimus habitus Socrates orientem Solem immotis membris eiſdemque veſtigiis ſtans attonitus mirabatur ſæpius. Aſt quæ nos abriperet ſanctæ admirationis ἔκστασις, ſi ut fas eſt ad tantum Numen meditandum animum adjiceremus ſatis! Unica certè votorum noſtrorum ſumma foret, ut ab eo, quem capere non poſſumus, caperemur; quam quidam narrant fuiſſe ultimam vocem Philoſophi, cum diſpendio vitæ, alternos rapidi maris curſus nimium admirantis.

III. *Amabilitatis Divinæ conſideratio.*

Sic Deus, quatenus tanquam Maximus ab intellectu noſtro non comprehenditur, animo Admirabilis eſt; qui idem interim, quatenus tanquam Optimus à mente apprehenditur, voluntati occurrit ceu ſummè Amabilis. Amabilis, inquam; & quidem modo quodam peculiari ac ſibi proprio, in quantum dignus exiſtit, quem unum præ aliis quibuſcunque, tantum propter ſe, quantâ poteſt virium intentione ſummo votorum ſtudio proſequatur creatura rationalis. Bonum id eſſe, jam olim dixit Philoſophus, quod omnia appetunt. Et jure merito. Quod enim ſibi congruum eſt, non poteſt non appetere voluntas, tendens ſemper in maximam, quantam obtinere valet, ſui perfectionem; atque ideò annitens, bono, quo ſemetipſam in ſe ipſa ſentit deſtitui, ex alterius ſecum unione frui. Indè qui ex rationis præſcripto agit, menſuram ſui amoris ponit ipſam objecti bonitatem; quam ultra citrave quoties fertur affectus, to-

ties errantis judicii ductum inordinato motu ſequitur voluntas. Ut in omni amore peccare ſemper queat, tum nimiùm, tum parùm. Tantum hic amor nimiùm non patitur. Quin parùm eſt, quicquid hoc loco minus eſt maximo. Perfectiſſimum namque Optimum pariter exiſtit; quod, quæ in re quapiam ſecundum ſe ſpectata eſt Perfectio, eadem relata ad appetitum ſit Bonitas. Numen itaque infinitè perfectum, hoc ipſo infinitè bonum eſt. Aſt, ut jam oſtendi, quo quid bonum magis, eo magis amabile. Quod ergò infinito bonitatis exceſſu finito quovis bono melius eſt, quanto eſt illo melius, tanto dignius exiſtit omni ſinceræ charitatis affectu. Dignus idcircò Optimus Deus tanto amore, quanti ne quidem res finita capax eſt.

IV. *Ea tanta, ut nihil amandum non propter Deum.*

Ut revera, quotquot animum adjiciunt ad aliquid amandum non in ordine ad Deum, amori enti perfectiſſimo debito tantum detrahant, quantum ejus in creaturam transfundunt. Stulti profectò, qui umbratica veris, inania ſolidis, modica infinitis præferunt. Adeò præter Deum rationali appetitui non poteſt quicquam ambile eſſe non propter Deum: in quo uno quemadmodum eſt omne bonum, omne pulcrum, omne delectabile, ita ſolus amandus eſt propter ſe. Nec aliud ad ipſam noſtram beatitudinem pertinet; quum unus Deus plus poſſideat, quam nos finiti in æternum, ut nobis benè ſit, concupiſcere poſſumus. Quamobrem in hoc ſolo amore deſiderium eſt cum ſatietate, & ſatietas cum deſiderio; in quo nec deſiderium dolorem generat, nec ſatietas faſtidium. Cæterùm, referebam iterùm hoc Attributum ad voluntatem creatam: etſi negandum minimè ſit, ut ſuo loco videbimus, etiam Deum infinitum amare ſe ipſum infinitè. Atquì alterius prorſus ordinis hic amor eſt ab eo, quo fertur creatura in Deum; quippe qui, remotus ab omni concupiſcentia & deſiderio, ſolâ abſolvitur complacentiâ; ideoque non eſt, quemadmodum iſte, motus quidam in bonum à ſe diverſum, ſed potius mera tranquillitas, quâ mens perfectiſſima in ſuis perfectionibus ſibi placet & acquieſcit.

EXER-

EXERCITATIO DECIMA-SEXTA,

DE

DEO ADORABILI.

SUMMARIUM.

I. *Cultûs cujusvis, ejusque fundamenti, generalis consideratio.* II. *Deus Adorabilis tantum ob infinitam Sufficientiæ excellentiam.* III. *Actus & Signa divini cultus paucis notati.* IV. *Deus & solus & semper Adorabilis existit.* V. *Religiosus cultus neque gradus patitur, neque vi Dei irresistibili nititur.*



X utroque affectu, tum Admirationis, tum Amoris, nasci solet alius, qui Existimatio dicitur; notatque inclinationem animi in rem quam miratur aut amat, ortam ex opinione quam habemus de excellentia magnitudinis & bonitatis in re mira aut amata. Quod si Existimatio rei cujuspiam tanta fuerit, ut judicemus dignam cui nos vel nostra subjiciamus, abit ea in Venerationem sive Cultum: qui, si summus sit, omnimodamque submissionem involvat, religiosus dicitur, seu Divinus; atque à primario quodam ejus exercitio, tanquam à principali parte, Adoratio nuncupatur, indeque Deus ipse ADORABILIS; id est, dignus ob summam excellentiam à creatura rationali honorari cultu religioso. Hic autem quo pacto conveniat Deo, cum satis intelligi nequeat, nisi perspectâ naturâ Cultûs sive Honoris, pauca de illo prænotanda veniunt in antecessum. Omnis Cultus aliquam dicit honorantis subjectionem; approportionatam scilicet rei honoratæ dignitati atque excellentiæ. Etenim

I. *Cultûs cujusvis, ejusque fundamenti, generalis consideratio.*

quiſquis major eſt & præſtantior nunquam quà talis minorem propriè dicto cultu proſequitur: minor verò qua talis, quoties rem ſe majorem cognoſcit, non poteſt non, ſi ex ratione agat, tanto ſe facere inferiorem, quanto illam agnoſcit ſuperiorem. Ex quibus intelligitur, genuinum omnis cultûs fundamentum eſſe ſufficientiam ac præſtantiam rei quam colimus: ut accuratiſſimè dixerit alibi Cicero, *Habet venerationem juſtam quicquid excellit*. Quod adeò verum eſt, ut inter homines quiſquis perfectione aliquâ eminet, quantum eâ eminere creditur, tantæ quoque exiſtimationis & venerationis ſit apud alios. Undè & quæcunque hominem exornant dotes fundamentum exiſtunt civilis alicujus honoris: uti manifeſtum eſt, & in bonis animi, qualia ſunt, mentis perſpicacitas, judicii dexteritas, ſapientia, fortitudo, manſuetudo, &c. & corporis, uti ſunt, robur, pulchritudo, &c. & denique, ut vocant, fortunæ, quo pertinent, nobilitas, divitiæ, ætas provectior, &c. Quæ omnia, quanto præſtantiora ſunt in aliquo, tanto magis exiſtimationem intendunt. Etiam quidem, fateor, rerum geſtarum magnitudo honorem meretur; ſed non per ſe, verùm duntaxat quatenus opus virum indicat, atque argumentum exiſtit ſufficientiæ quæ in agente latet: qua de cauſa quæcunque fortuitò, etiamſi feliciter, accidunt, quatenus nullam arguunt agentis ſapientiam & induſtriam, nullam etiam erga illum excitare ſolent venerationem. Neque eis quæ de honore dixi obſtat, quod etiam homines nequiſſimi, ob ſcelera ipſa, v. c. ſtrenuam compotationem, ſcortationem, &c. nonnunquam honorentur à quibuſdam; non enim id fit, niſi ab eis, qui depravato judicio aliquid excellentiæ in ejuſmodi quoque flagitiis ſe reperire autumant: ut quidem in ſpeciem honorentur tales, attamen re verâ honorandi minimè ſint. Cæterùm, cùm ipſo cultu minimè confundendum eſt ejus ſignum externum; quippe quod ad eſſentiam illius per ſe non pertinet: etſi neceſſarium exiſtat inter eos, quibus de interna animi veneratione non aliter, quam per adhibita iſtiusmodi teſtimonia externa, conſtare poteſt. Mitto plura, quæ pro dignitate hujus rei dicenda præſens pagina non capit. Nunc pro noſtro inſtituto ſatis erit hæc de Honore prænotaſſe: quippe quæ ad Religioſum Cultum tranſlata, illi explicando ſufficient.

Eſt

Est itaque Cultus Religiosus, Veneratio Entis sufficientissimi, per omnimodam sui submissionem. Quandò objectum religiosi cultûs assigno Ens sufficientissimum, pariter ejusdem indico fundamentum; quod est absoluta sufficientia, omnes omninò perfectiones involvens. Quandoquidem enim jam ostendimus, venerationis cujuscunque fundamentum esse rei honoratæ præstantiam, etiam supremi honoris, qualis religiosus est, fundamentum aliud nullum esse potest, quam summa perfectionis excellentia. Quo sensu præclarè Epicurus, apud Ciceronem, *tam eximiam esse*, ait, *& præstantem naturam Deorum* (Dei), *ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem.* Atque hinc rectè observarunt quidam Theologi, non satis accuratè dici, Deum *quà* Creatorem, Christum *quà* Mediatorem, esse adorandum. Quamvis enim verissimum sit, Deum, *qui* Creator est, Christum, *qui* Mediator est, adorandum esse; imò etiam, Deum, *quia* Creator est, Christum, *quia* Mediator est, esse adorandum (quatenus Creationis ac Redemptionis consideratio efficacissimè nos impellit ad cultum Deo debitum, tanquam gratitudinis officium, præstandum) minus tamen istæ phrases probandæ videntur, quatenus in speciem præ se ferunt, ac si Dei Adorabilitas fundetur in beneficio Creationis aut Redemptionis, & non potius in sola atque unica intrinseca Dei præstantia. Hæc (ut pergam) cum jam antè demonstrata sit infinita, omnisque honor, quemadmodum ostendi, suo fundamento debeat esse approportionatus, per sese liquet, nullum cultum Deo infinitè perfecto dignum à creatura finita præstari posse, qui non sit quousque esse potest quasi infinitus, id est, conjunctus cum totali atque omnimoda sui submissione.

II. *Deus Adorabilis tantum ob infinitam Sufficientiæ excellentiam.*

Et in hoc uno essentia ac anima Religiosi Honoris consistit; absque quo quicquid præstatur venerationis, nihil habet divini cultûs. Ex adverso quicquid à nobis fit ex istius subjectionis conscientia, etsi pro objecto immediato habeat res hujus vitæ, totum tamen reverâ divinus cultus est. Neque enim ullo pacto Deo nosmet magis submittere possumus, quam si ipsum agnoscamus actionum nostrarum quarumcunque (etiam quarum ipsi quodammodo, per arbitrii libertatem, videri poteramus domini) arbitrum unicum ac supremum. Estqne hic conceptus

III. *Actus & Signa divini cultûs pauci notati.*

primarium genuinæ ac masculæ Ethicæ fundamentum; quatenus ex Regno Dei morali, quod in creaturas suas rationales Is exercet, fluit quicquid æqui & boni in actionibus humanis reperire datur. Quod fusiùs aliquando demonstrare, si Deus vitam dederit & vires, conabimur, deducturi Moralem Philosophiam ex primis Juris Naturalis elementis: cujus rei neglectus nobilissimam disciplinam mirè reddidit sterilem. Nunc istum oceanum ingredi non sinunt præfixi huic tractatui brevitatis termini. Illis iisdem prohibemur excutere singulos actus, quibus religiosa hæc submissio absolvitur, quales sunt, Numinis Invocatio, Gratiarum actio, Fiducia, &c. quæ ut Pietatis partes sunt, & veræ Probitatis bases, ita ex professo in Ethica tractanda veniunt. Quo eodem pertinet disquisitio de Signis, per quæ interiorem animi venerationem coram Deo & hominibus testatam facimus. Verbo, ipsa rei natura docet, ea debere esse humillima, quatenus talia sola satis congrua sunt, ad exhibendam debitam animi Deo devoti submissionem.

IV. *Deus & solus & semper Adorabilis existit.* Cæterùm eo, quem jam explicuimus, modo Adorabilis est Deus & solus, & semper. Semper Adorabilis Deus est. Etsi enim ipso facto ab æterno, nullo existente præter se, adoratus non fuerit; erat nihilominus etiam tunc dignus, quem, casu quo existeret, reipsa religioso cultu veneraretur rationalis creatura. Quod tamen nullam arguit mutabilitatem in Numine, dum se honorari vult, tantùm quia dignus est; non quod sibi à nostro quicquam perfectionis accedat æstimio. Solus quoque imprimis Adorabilis existit Deus, quoniam nusquam extra eum reperire datur Omni-sufficientiam, unicum Religiosi cultûs fundamentum. Ut quivis alius alterius rei cultus religiosæ venerationi subordinandus sit: nullâ parte ei æquandus; multo minus præferendus. Imò verò sic pari passu ambulant Adorabilitas & Deitas, ut omne Adorabile meritò concludatur esse verum Deum; quodque naturâ Deus non est, id neque Adorabile sit aut haberi debeat. Nulli enim, ut dixi, præterquam Deo religiosi cultûs fundamentum competere potest. Quapropter mirè contumeliosi sunt in Deum, atque abominabili læsæ Majestatis Divinæ crimine sese polluunt, qui Angelos, aliasve creaturas, quantumvis Sanctas & excellentes, religiosè adorandas esse contendunt

dunt: cum tamen nihil habeant, ut Divinitatis, ita Adorabilitatis. Quo eodem fundamento ipsa ratio Idololatriæ reos arguit quoque illos, qui Christum Dominum nudum hominem credentes, religiosè tamen Adorandum contendunt. Quæ omnia uti reipsa πολυθεότητος inducunt, ita mirum est patronos invenire posse inter eos, qui pro uno Numine agnoscendo præ aliis stare videri cupiunt.

Adhæc, concidit ex traditis inepta & frivola distinctio inter Latriam & Duliam, tanquam diversas cultûs religiosi species; excogitata quibusdam ad turpem suam idololatriam palliandam. Cum enim ostensum sit, nullam venerationem esse religiosam, nisi quæ sit tanta, quanta esse potest, conjuncta scilicet cum omnimoda animi submissione, facilè intelligimus, Duliam, si sit cultus verè religiosus, Latriæ debere esse æqualem; aut, si æqualis non sit, sed aliquâ parte minor, ne quidem cultum religiosum esse. Porrò liquet ex demonstratis, errare Hobbesium vehementer; quando Religiosæ venerationis fundamentum revocat ad solam irresistibilem Dei potentiam. Quo ipso omnis genuinæ pietatis basin penitus subvertit. Etenim si in solius potentiæ existimatione consistat honor, utique servilis metus fuerit unica & vera religio; qui tamen pœnæ tantum formidinem, non virtutis amorem, generare aptus est. Nisi fortè pessimi quique, ipsique adeo Diaboli, Deum quoque ritè honorare credendi sint; quippe qui non possunt non agnoscere & æstimare vim irresistibilem Numinis, cujus potentem manum sentiunt atque experiuntur. Excusandi saltem in tantum, juxta hanc hypothesin, Indi, quando se cultum Diabolo deferre profitentur eo fine, ne noceat. Absit à nobis, ut probemus, quod per hanc sententiam probatur, illud Poetæ, *Primus in orbe Deos fecit timor*. Denique apparet, Naturalem Theologiam esse quam maxime Practicam, dùm non tantum cognoscendum Deum explicat, sed & religiosè colendum monstrat: etsi in his naturæ nostræ tenebris ignoret prorsus salutarem istius cultûs modum. Quem dum frustrà quæsiverunt gentiles, cœperunt ἐθελοθρησκεῖν, mixtis imperfectis Theologiæ Naturalis reliquiis depravatis Revelatæ Theologiæ traditionibus: undè malè compositæ Religionis insipida κρᾶσις, longissimè recedens ab isto cultu, quo qui clariori lumine ducuntur, per Dominum Jesum Unitatem in Trinitate, ac Trinitatem in Unitate supplices adorant.

V. *Religiosus cultus neque gradus patitur, neque vi Dei irresistibili nititur.*

EXERCITATIO DECIMA-SEPTIMA,

DE

DEO VIVENTE.

SUMMARIUM.

I. *Vita Dei ipsa ejus essentia rationaliter actuosa.* II. *Esse hoc modo Deum Viventem demonstratur.* III. *Vita Dei Independens & Immortalis.* IV. *Vita Dei quot modis actuosa?*

I. *Vita Dei ipsa ejus essentia rationaliter actuosa.*



Idimus præcipuas quasdam, quæ cum Independentia Dei immediatè connexæ sunt, Perfectiones; quarumque ideò, qua talium, nullum in rebus finitis deprehendere datur vestigium. Nunc ad illas contemplandas nos convertimus, quæ communiorem Spiritualitatis conceptum sequuntur, quibusque hactenus simile quid & analogum reperitur in quibusdam creaturis: etsi modus eas possidendi sit dissimillimus; dùm quod in Deo existit ratione quâdam simplicissimâ, infinitâ, essentiali, idem datur in rebus creatis mixtum, imperfectum, adventitium. Suntque hæc potissimum, Intellectus, Voluntas, Potentia; & si quæ alia ista comitentur. Supponunt illa VITAM Dei *Spiritualem*: quapropter de ea pauca dicemus in antecessum. Notamus illâ ipsam Divinam essentiam, ex se ipsa modo rationali absolutissimè actuosam. Num quid ab essentia verè distinctum dicat creaturarum vita? quibusdam disquiritur. Rectius, nostro judicio, sentiunt, qui negant. Verum hoc loco de eo disputare, parùm attinet; quandoquidem, quicquid etiam istius statuatur, in Deo saltem Vitam inter & essentiam nullum reapse discrimen esse admittendum,

dum, evincit abundè demonstratà antè Simplicitas: quâ Deus Vivens ipsa sua Vita est, & vitalis operatio; ipse nimirum sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beatitâs. Caeterùm, etsi unaquaeque vita in suo genere tam sit nobilis, ut non dubitet Paroemiastes canem vivum leoni mortuo praeferre, cum tamen non ejusdem ordinis sit quorumvis viventium Vita, quae illa Deo digna hujus loci sit, examinandum. Scilicet, quae essentia perfectissima ipsa Vita est, ejusdem, ut essentia, ita Vita, non potest non esse perfectissima. Semota ergò plurimum existit à Vita ista materiali & corporea, quam vivunt suo quodam modo, vegetativo Plantae, sensitivo Animantia. Nihil cum istis imperfectionibus commune habet ens perfectissimum, cujus sublimioris ordinis Vita est, totaque actuosâ quâdam rationalitate absolvitur: cujusque quatenus ectypon quoddam pro suo modulo exprimunt mentes creatae, etiam, inter alia, hoc sensu ipsae solae Imaginem Dei referre dicuntur.

Et vel ob hoc unum dubium esse nequit, quin rationaliter vivat Spirituum, rationaliter viventium, Pater & causa unica. Nisi vitâ careat origo & scatebra illa, ex qua quaecunque vivunt vitam hauriunt, & vitales facultates motusque arcescunt. Neque profectò perfectionis divinae infinitas patitur, ut iners & torpidum sit ens optimum, eoque careat praedicato, quod omnium caeterorum quasi anima est, & absque quo foret, ut ne suis quidem beatitatibus frui valeret Deus. Quin ipse res inanimes testimonium dicunt huic veritati, quando mirissimo sui artificio, ipsoque bruto quo in suos quaeque fines tendunt impetu, sui Creatorem ac Gubernatorem arguunt sapientissimè viventem, isto eas moventem vitali influxu, ut & quae non vivunt vivere tamen videantur. Quapropter gentilium etiam sapientissimi adeò non Viventis Moderatoris imperio ea omnia quae nobis obvia sunt subducere potuerunt, ut Divinam mentem mundi animam fingere maluerint, cujus aurae particulam possideat unaquaeque pars universi; dum II. *Esse hoc modo Deum Viventem, demonstratur.*

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, magno se corpore miscens.

Viventem ergò cogitet Deum oportet, quicunque rerum omnium causam primam ritè intelligere cupit, quae citra vitalem

lem influxum nihil eorum facit, quæ facit. Atque hinc graviſſima ſubeſt ratio, cur in Sacris paſſim promiſſionibus ſuis atque comminationibus Dominus adjiciat emphaticum illud, חי־אני *Vivo ego.* Vivit videlicet qui iſta annunciat, manu ſuâ certò perfecturus, quod jam mente ſuâ ab æterno formaverat conſilium ſemper actuoſus Deus. De quibus infrà plura.

III. *Vita Dei Independens & Immortalis.*

Nunc adhuc prætereundum hoc loco haudquaquam eſt, etiam prorſus Independenter vivere Numen; quod quam diligentiſſimè obſervaſſe, uſûs erit in ſequentibus longè maximi. Nimirum actio unaquæque conditionem ſui principii refert, & unumquodque eo modo eſt actuoſum, quo exiſtit: quare non poteſt non independenter vivere id, cujus prima & eſſentialis perfectio ipſa Independentia eſt. Adeo ut, quemadmodum peculiari quodam ſuo jure ὁ ὤν, ita etiam ὁ ζῶν; nec minus אחיה, quam אהיה, dici queat Deus: qui ut primum *Ens*, ita primum pariter *Vivens* eſt; dum, non uti cætera, vitam poſſidet mutuatitiam ac precariam, ſed vitam ſuam habet in ſe ipſo ex ſe ipſo. Atque hoc demùm eminentiſſimam facit in Deo vivendi rationem, eam largiens abſolutiſſimam perennis vitæ poſſeſſionem, quam neque intrinſecus defectus, neque extrinſeca vis, ullâ unquam morâ interrumpere, ullo unquam fine terminare, poteſt: quo nomine, cum Vita, *Immortalitatem* in ſe ipſo habet ſolus. Sed de hiſce jam ſatis.

IV. *Vita Dei quot modis actuoſa?*

Porrò, quâ ratione actuoſa ſit vivens illa Dei natura, expendamus! Et quâ aliâ, quam quæ maximè eſt rationalis? Secum videlicet Intelligendo & Volendo quæcunque; tum etiam Potentiæ ſuæ efficaci exercitio extra ſeſe ponendo, quicquid ſapientiſſimo conſilio præter ſe exiſtere vult. Ut non malè jam pridem hic notaverint eruditi, quemadmodum duplex Actionum genus, Immanentium videlicet & Tranſeuntium, ita quoque tres quaſi Facultates, tanquam totidem operum divinorum principia; Dirigens primum, quod Intellectus eſt; Imperans alterum, quod Voluntas; Exequens tertium, quod Potentia. Quorum quomodo nullum cum altero in ſigno rationis ſit confundendum, ſequens hujus rei docebit pertractatio. Dixi, ne quis erret, in ſigno rationis: neque enim re

verâ

verâ alterum hic ab altero diversum est, sed omnia à parte Dei actus idem purissimus. Quæ eadem causa erat, ob quam *quasi* Facultates eas appellavi, ne quis hic actum primum cogitet, qui ipsâ re alius sit quam actus secundus. De quibus plura suis locis.

EXERCITATIO DECIMA-OCTAVA,

DE

DEO INTELLIGENTE.

SUMMARIUM.

I. *Intellectus Dei explicatus & demonstratus.* II. *Modus intelligendi in Deo perfectissimus.* III. *Et nominatim quidem, Independens.* IV *Imò etiam Simplicissimus, & Immutabilis.* V. *Denique, Æternus quoque, Infallibilis, & Adæquatus.* VI. *Modi nostri cognoscendi imperfecti à Numinis Intellectu removendi.* VII. *Deus sese intelligit; & quo modo?* VIII. *Res quasvis à se alias Deum perfectè cognitas habere, demonstratur.* IX. *Possibilium Scientia in Deo datur per eorundem Ideas.* X. *Idque citra Divinæ Voluntatis decretum.* XI. *Futurorum, etiam contingentium, certa est in mente Divina Præscientia.* XII. *Existentia qualibet Deus plenissimè cognoscit.* XIII. *Etiam minima quæque ac vilissima.* XIV. *Scientiæ Divinæ in Necessariam & Liberam divisio.* XV. *Media Scientia quid, & quo fine à suis inventoribus excogitata?* XVI. *Absur-*

surditas ejus pluribus instantiis detecta. XVII. *Difficultatum in hoc negotio praecipuarum solutio.* XVIII. *Sapientiæ Divinæ mysteria reverenter agnoscenda.*

I. *Intellectus Dei explicatus & demonstratus.*



A Primo orsurus, non immoror vocibus INTELLECTUS & Cognitionis; quarum illa ex usu vulgari intelligendi vim, hæc ipsum ejus exercitium magis exprimit, quemadmodum vocabulis Scientiæ, Intelligentiæ, Sapientiæ, similibusque hic utimur, fermè ad variam cognitionis divinæ excellentiam pressius exhibendam. Nobis promiscuus erit ferè harum omnium vocum usus, per eas intelligentibus, Actum Dei Viventis perfectissimum, quo omnis omninò scibilis intimè sibi existit conscius. Conscium sibi dico Deum, quatenus mente suâ comprehendit sibi præsentissima, quæcunque intelligit. Quæ ut clarius perciperentur nobis, qui vix satis distinctè alios intelligendi actus quam qui sunt nostri concipimus, conferendæ hic forent nostræ perceptiones cum divina scientia: verum post pauca rectius id fiet. Intelligere Deum, prius demonstrandum est: si multum sit necesse. Rectè enim Philosophus: *Si mens divina nihil intelligat, sed ita se habeat ut dormiens, quodnam præcellens erit?* Scilicet quis causam primam eâ exuat perfectione, quæ inter alias una etiam princeps est. Neque agere potest ullo modo nisi rationaliter, quod neque casu agit aut bruto impetu, neque ad certos fines ab alio dirigitur: quorum utrumlibet respuit planè tum independens Divinæ vitæ perfectio, tnm omnis hæc Universi constitutio, istis librata, exasciata, perfecta, ponderibus, mensuris, numeris, ut nox nocti quoque indicet scientiam Opificis tantam, quantæ nullus existit numerus. Et quid conscientiæ testimonio efficacius? Numen quis agnoscat, quod non adoret? Quis verò, nisi idololatra nimium ἀσύνετος, adoret, quod intelligentiâ non præditum arbitretur? Sed mitto rem nimiùm manifestam. Potius, quo modo Deus cognoscat quæ cognoscit? quantum cognoscere poterimus, examinemus.

Ex

Ex antè dictis jam satis intelligitur, eum non posse non esse perfectissimum. Neque enim minus quam perfectissimum esse potest, quicquid ad consummatam entis perfectissimi perfectionem pertinet; præter quod ad Deum nihil pertinet. Ut haud ritè Dei Intelligentiam æstimet, qui tantam non agnoscit, quantus est ipse Deus. Atque evidentior generalis hæc veritas est, quam ut cujuspiam patiatur contradictionem: ut si tam facilis esset omnium consensus in ea, quæ perfectissimus ille sciendi modus re verâ involvit, nulla ulteriori disquisitione hic opus foret. At nunc febriculosa quorundam philosophemata de Scientia media, quâ Numen speculetur suarum creaturarum actiones liberas; vel etiam de conjectura, quâ divinet futura contingentia, necessitatem imponunt cogitationibus nostris in rebus cæterum satis certis nonnihil hærendi, atque universæ hujus impietatis fundamenta hîc suffodiendi. Non autem rectiùs tantarum rerum pro modulo nostro formabimus conceptum, quam si probè in mentem revocaverimus ea, quæ antehac de singulis perfectionibus Dei essentialibus notavimus; quibus conformis agnosci debet Divina scientia: nisi ens primum naturæ suæ non convenienter agere statuendum sit absurdissimè. Tùm etiam diligenter advertendum erit, quid imperfectionis adhæreat nostris cognoscendi modis, à Divinis procul dubio removendum: nisi antropomorphiticas cogitationes de Deo nimiùm fovere velimus; quas fovent re verâ, quotquot unquam hac parte errarunt. II. *Modus intelligendi in Deo perfectissimus.*

Istis accuratè observatis, intelligemus primùm, scire Deum quicquid scit Independenter. Certè, quod ens per Independentiam est id ipsum quod est, non potest id quicquam scire modo sibi congruo, nisi eo quò existit, id est, independenti: quemadmodum & jam dudùm demonstravimus, nihil esse Divinum, quod non sit independens. An verò quod sibi sufficit ad existendum, non pariter sibi sufficiet ad intelligendum? Et quis non intelligit, qui intellectu non caret, longè perfectius esse independenter scire, quam dependenter? Si sic, utique, si dependens esset, perfectissima non esset, Divina scientia. Et quid, obsecrò, tandem istud erit, à quo pendeat prima Intelligentia? Non saltem, ut in nobis, vim percipien- III. *Et nominatim quidem, Independens.*

tem movent oblata objecta; cum ista omnia processerint à causa prima tanquam ab agente, non bruto, sed maximè rationali; atque adeò universa ista sui ideis jam mente divinâ comprehensa fuerunt, antequam extiterunt. Ut non ex opere suo formato notionem ejus haurire necesse habeat supremus Τεχνίτης; sed contrà res quævis mensuram sui habeat Divinum Intellectum, tanquam causam exemplarem ad cujus amussim producta est. Easdemque ob causas ex nullis cognoscendi principiis genita esse potest vis Dei intelligendi præstantissima; nullius ideò indiga sensationis, experientiæ, ratiocinationis, similiumque imbecillium humanæ cognitionis adminiculorum. Nihil ergò vel dari vel concipi potest extra Deum, à quo ejusdem Intellectus ortum haberet quomodocunque. Cui minimè repugnat Dei Decretum, quod infrà Præscientiæ futurorum basin sumus posituri: non enim sic inducitur aliquid à Deo diversum, scientiam ejus præcedens, sed ordo tantùm aliquis concipitur inter ea, quæ diversimodè à nobis cogitata, re ipsâ idem sunt. Ordo verò noster concipiendi nullam infert dependentiam; cum nihil à se ipso dependere dici possit.

IV. *Imò etiam Simplicissimus, & Immutabilis.*

Cæterùm, quemadmodum ex Independentia divinæ naturæ omnes ejusdem perfectiones fluunt, sic quoque ex independentia divini Intellectûs alia ejusdem attributa facilè innotescunt. Videlicet, quia independens, etiam Simplicissimus est in Deo cognoscendi modus; ut nec pluribus actibus verè distinctis intelligat, nec ipse intelligendi actus ab intelligentis essentia quid diversum existat. Si enim alterius eorum ab altero aliqualis hic foret divisio, etiam, ut ista divisa in unum conveniant, parilis eorundem inter se requireretur compositio. Verùm omnem compositionis speciem absolutæ independentiæ prorsus repugnare, ubi de primi entis simplicitate egimus, probavimus sat multis: ut illa hic repetere nil sit necesse. Sufficit, rerum omnium causam supremam semet ipsum scire per semet ipsum, eodemque mentis in ictu cernere quæ sint, quæ fuerint, veniantque; quatenus in ipso continentur quæcunque unquam sunt vel esse possunt, ut nulla ei opus sit, ad alia à se cognoscenda, notionum à se distinctarum formatione vel multiplicatione. Atque hoc est, quod vulgò dicunt, Deum intelligere per essentiam;

tiam: cujus eminentissimæ perfectionis nimiùm in mentes creatas hodiè transfundunt, qui actionem cogitandi ab essentia earundem neutiquam distinctam arbitrantur: de quo alibi plura. Sed & Immutabilis est Dei scientia, ab objectis independens, ideoque nec eorum mutationibus subjecta, quæ ipsa potius constans est rerum mutabilium mensura. Planè ut oculus citra ullam sui vertiginem rotulæ circumactæ varios gyros intuetur; ita mens divina, ullius mutationis ignara, nullam patitur à rebus mutationibus infestis mutationem.

V. Denique, Æternus quoque, Infallibilis, & Adæquatus.

Ex quibus Æternam, omnisque etiam successionis expertem, eandem esse, nullo negotio conficitur; quatenus quod Ens sapientiæ suæ thesauros independenter possidet in se ipso ex se ipso, nulliusque rei ignotæ novam adipisci potest notitiam, ob immutabilitatem, id ante tempora seculorum, absque principio ullo, scivisse quod scit, manifestum est. Eâdem sequelâ summa & infallibilis Certitudo Divino Intellectui convenit. Quæ enim cognitio neutiquam pendet à rebus ipsis incertis, nec ullâ novâ certioris medii luce confirmari potest, nequit in eadem aliquem locum habere dubitatio, aut ulla oppositi formido. Tandem Adæquatâ concipiendi perfectione novit Deus quicquid novit; intimè penetrans omnem rerum essentiam, ac funditùs exhauriens qualiacunque earundem attributa. Ut absolutissimè Deus sciat quidlibet quod scibile est, & quousque scibile est; adeo ut quod ipse non scit (si sit fas ità loqui) quemadmodum prorsus nihil est, ita sciri nullâ ratione unquam possit. Etenim quòd quædam quandoque non plenè & clarè percipiantur, tantum oritur ex dependentia cognitionis ab objecto; quod quoties secundum se totum vim perceptivam non satis vividè afficit, conceptum sui parit imperfectum & obscurum. Quod itaque per independentiam suam objectis neutiquam subjicitur, etiam nullas istiusmodi patitur imperfectæ cognitionis causas. Alia quæ huc pertinent infrà. Nunc liquet, quam jure merito Deus cognoscere dicatur Comprehensivè, dum quâdam mentis suæ quasi comprehensione rem omnem complectitur; item Intuitivè, claro scilicet & distincto quasi intuitu totum quod in re cognosci potest pervidendo. Non aliæ desunt rationes, quibus amplius confirmari queat multiplex illa, quam jam demonstravimus, mentis

Divinæ in modo cognoſcendi eminentia. Verum & iſta ſufficiunt quæ attulimus, & mox quoque occaſio dabitur alia quædam attingendi.

VI. *Modi noſtri cognoſcendi imperfecti à Numinis Intellectu removendi.* Nunc operæ pretium erit attendiſſe diligentius (quod ſuprà obiter tangebamus) immenſam differitatem, quâ ratio cognoſcendi Divina diſtat à noſtra. Tribus verbis præcipua quædam hujus rei capita recenſebo; ex quibus lumen longè clariſſimum tractatui noſtro ſequenti affulgebit. Nimirum, Nulla eſt in Deo ſcientia habitualis, quieſcens quandoque, quandoque in actum tranſiens. Nullis indiget mens Divina cognoſcendi inſtrumentis aut occaſionibus. Nullas propriè loquendo format rerum notiones, nullas fingit imagines, quibus ſuæ intelligentiæ res ſiſtat præſentes. Nulla hic rei ignotæ comparatur ſcientia; nulla rei notæ inducitur oblivio, nulla obliteratæ notitiæ excitatur reminiſcentia. Nulla in præſcientia futurorum locum habet ſagax conjectura; nulla præſentium vel præteritorum per experientiam acquiſita certitudo. Nulla extra Deum datur conditio, à qua ſcientia divina ſuſpendatur. Nunquam componit aut dividit mens Divina; neque ullos abſtractos habet rerum conceptus. Nullas ex rerum convenientia ac diſcrepantia rationes conſerit; nullas ex cauſis concluſiones nectit. Hi omnes, & ſi qui plures his ſimiles, noſtri cognoſcendi modi, quemadmodum facillimè demonſtrantur Scientiæ Independenti, Simpliciſſimæ, Immutabili, Æternæ, Certiſſimæ, ac Comprehenſivæ in plurimis adverſari, tanquam perfectiſſimâ intelligentiâ prorſus indigni, diligentiſſimâ curâ ab ea ſunt removendi. Si quis conqueratur, iſtis omnibus abjectis, tenue ſupereſſe quod de Divina mente cogitet; regero ego illi, ſupereſſe infinita; ſed, quia infinita, conceptibus finitis altiora: cujus enim cogitationes non ſunt ſicuti noſtræ cogitationes, ejuſdem modus cognoſcendi noſtro ſublimior eſt, quantum cœlum altius eſt terrâ. Quam ſublimitatem qui conſcendere non poteſt (ut nulla poteſt creatura) potius quam temerario ſcrutinio vertiginem patiatur, humili eam modeſtiâ miretur: quæ via in tam nobis inviis longè tutiſſima.

VII. *Deus ſeſe in-* Enitendum tamen quouſque ſinit noſtra imbecillitas. Conducet huc plurimùm, conſiderare ſigillatim res circa quas Divina

vina Scientia modis jam recensitis actuosa est; tum etiam varias hujus, pro illarum vario statu, divisiones. Jam antè monuimus, extendi eam ad omne omninò scibile, ut verè sit & dici debeat *Omni-scientia.* De eo constabit clarissimè, si per partes agamus. Primarium primæ Intelligentiæ objectum absque dubio Numen ipsum est. Quandoquidem enim sui ipsius cognitio secundum se spectata perfectio est, nullaque congnitionis perfectio à perfectissimo cognoscente potest abesse, etiam ea Deo denegari nequit. Neque finit, Deum sufficientissimum se ignorare, ejusdem (de qua suo loco plenius) Beatitudo. Etenim qui virtutum suarum plenitudinem haud intelligit, is neque in eisdem rationaliter potest acquiscere; quatenus, sicuti ignoti boni nulla est cupido, ita quoque felicitatis non intellectæ, quantumvis magnæ, nulla esse potest cum complacentia fruitio. Et quod, obsecrò, perfectissimâ scientiâ dignius objectum esse aut cogitari potest, quam ipsum ens perfectissimum? Pulchrè Philosophus: *Manifestum est, mentem divinam intelligere quod divinissimum & honorabilissimum est; quo fit ut se ipsam intelligat.* Et profectò, se nisi cognoscat Deus, cognoscit nihil planè: quippe qui, propter independentem ac simplicissimum cognoscendi modum, suprà Deo vindicatum, extra se nihil cognoscere potest, nisi ex se & per se. Adde, res omnes à Deo diversas esse ab eodem prorsus dependentes; ut tanquam tales cognosci nequeant, nisi cognito ipso principio à quo pendent. Sed jam dudùm nimius sum in re manifesta. Non interim, ut nos Deum, sic ipse se intelligit: qui enim quæcunque novit novit adæquatè, etiam non potest is non consummatâ concipiendi perfectione penitus intimèque sibi esse notissimus. Quin ne actu quidem reflexo ad se penetrandum indiget, qui ipse simplicissimus idem est & cognoscens, & cognitio, & cognoscibile. Estque hæc sublimis illa Dei ipsius Theologia: cujus quidam in mente creata relucentes radii existunt Ectypon, referens pro subjecti capacitate qualicunque modo Archetypi sui perfectiones.

telligit; & quomodo?

VIII. *Res quasvis à se alias*

Præter se novit Deus alia quævis à se, q ualiacunqncea fuerint, & in quocunque statu. Si enim vel minimum quicquam fugeret Divinam Scientiam, non jam hoc ipso foret præstantissima;

Deum perfectè cognitas habere, demonstratur.

tissima; quatenùs negari nequit, perfectiorem esse notitiam quæ nihil prorsus ignorat, quam cui quædam subducuntur. Quin tantæ necessitatis hæc veritas est, ut si quid rerum aliquando Deum lateat, id nunquam Ipsum scire posse, dicendum sit. Tam omnem sciendi novitatem excludit scientiæ independentis simplicitas, immutabilitas, & æternitas. Et quid est, cujuscunque fuerit conditionis, quod non totum Deo tanquam causæ primæ subordinetur? Quæcunque verò Deo subordinantur, principium sui eum agnoscunt, non brutum, sed maximè rationale: quod arguit tum agentis primi vita perfectissima, tum varii in rebus productis perfectionum gradus; qui nulli forent, si ad extremum virium (quod est causæ ratione destitutæ) ac non certo potius selectu atque ex rationis præscripto, operaretur Numen. Nihil itaque est eorum quæ quocunque modo à causa prima dependent, quod non per omnia quo usque à se pendet, Deus habeat exploratissimum. Quæ rationes omnes quum non minus spectent possibilia, quam præsentia; futura, quam præterita; contingentia, quam necessaria; voluntaria, quam naturalia; cogitata, quam patrata; conditionata, quam absoluta; singularia, quam universalia; minima, quam maxima; etiam nihil eorum omnium agnoscimus, quod non æquali necessitate à mente divina plenissimè cognosci, sit statuendum. Neque profectò metuendum est, ne (quod nobis frequenter accidit) tot tantarumque rerum vel varietate distrahatur, vel multitudine confundatur, vel magnitudine obruatur, vel exilitate fatigetur Intellectus Dei. Ita qui cogitat, non se satis attendere ostendit modum intelligendi divinum, tum independentem esse, ut nullâ opus sit sciendorum investigatione; tum etiam simplicissimum, quo fit ut eodem actu parilique facilitate omnia ac unum intelligat. Quarum perfectionum à nostra cognitione absentia, tantum in ea parit defectum & molestiam, ut præstantissimarum quoque rerum scientiam sapientum scientissimus Salomon pronunciare non dubitaverit occupationem malam, quam qui multiplicat multiplicet dolorem.

IX. *Possibilium Scientia in*

Atquì, ne ullum supersit in hoc negotio dubium, earum rerum quas recensuimus præcipuas quasdam species breviter

viter percurremus, eas imprimis in quibus aliqua ſeſe offert difficultas; oſtenſuri, & illas Deo cognoſci, & ſimul, quo fundamento: utriuſque enim hujus conſideratio ad alterutrius intelligentiam, ut claram, ita certam, plurimum confert. Poſſibilia, qua talia, puram denominationem dicere à potentia aliqua activa, quæ eis in actum deducendis ſufficit, cujuſque ideò tanquam objecta conſiderantur, notum eſt. Indè quicunque perfectè intelligit cauſæ cujuſpiam potentiam, nihil is eorum poſſibilium ignorare poteſt, quæ in perfectione iſtius cauſæ virtualiter continentur. Ex quo conficitur, nihil ſaltem illorum Deum latere poſſe, quæ in ipſo, tanquam in cauſa, exiſtunt; qualia ſunt quævis Poſſibilia. Neque putandum eſt, præter iſta quæ ratione Divinæ virtutis Poſſibilia dicuntur, quædam etiam eſſe quæ ſint potentiæ alicujus alterius objecta; atque ideo Deo per cognitam ſuam potentiam non ilicò perſpecta. Quum enim cujuſvis rei creatæ virtus abſolutiſſimè à Deo dependens ſit, nihil certè à cauſa ſecunda produci verè poteſt, quod non priori quodam jure poſſibile ſit cauſæ primæ; atque ideò illi tanquam tale exploratiſſimum. Et quid poſſit Deus, quod non intelligat? Niſi abſurdiſſimè dicendus ſit aliquid poſſe ad inſtar cauſæ brutæ. Quoties enim agenti rationali aliquid poſſibile eſſe cogitamus, tantumque attendimus vim exſequentem, nil cogitantes de Intellectu tanquam de principio dirigente, mox id tanquam agens rationale cogitare deſinimus. Quæ veritas tantæ evidentiæ eſt, ut non minus rerum omnium producibilium Ideas, quam virtutem eas extra ſe ponendi, in Deo admiſerint Gentium ſapientiores. Verum de ſublimi illa materia, in qua Philoſophiæ Platonicæ cardo vertitur, brevitatis causâ ſatis hoc loco dicere non poſſumus; quare nec parùm dicere volumus. Verbo tantum moneo, per has rerum poſſibilium in mente divina Ideas nos nihil aliud intelligere, quam ipſam eſſentiam Divinam, à ſe ipſa perfectiſſimè cognitam, tanquam ſufficientem ad ſuas quaſdam perfectiones modo analogico & infinitè vario extra ſeſe exprimendas. *Deo datur, per eorundem Ideas.*

X. *Idque citra Divinæ Vo-*

Nullam in toto hoc negotio mentionem feci divinæ Voluntatis: quam utì recentiores Philoſophi genuinum ſtatuunt poſſibilitatis fundamentum, ita, Deum poſſibilia non cognoſcere

luntatis decretum. nisi vi decreti sui, contendunt. Perperam certè. Uti enim Deus suæ sibi perfectionis intimè conscius existit, absque ullo actu voluntatis intercedente, ita quoque & se intelligit sufficientissimum, & simul illa omnia quæ cum sufficientia ista immediato nexu cohærent, qualia sunt possibilia, absque ulla voluntatis liberæ determinatione: à qua non magis suspendi potest possibilitas rerum, quam ipsa Dei Potentia, quæ re vera est ipsa ejusdem Sufficientia. De quibus plenius constabit infrà, ubi de Potentia Dei dixerimus: quo loco etiam hujus opinionis fundamenta erunt refellenda, nimirum, Potentiam Dei à Voluntate ejusdem nullâ ratione differre; item, Deum posse etiam efficere, ut contradictoria existant. Cæterùm, quid de Impossibilibus hic sit sentiendum, quæ de Possibilibus tradita sunt satis docent. Scilicet, nihil est absolutè Impossibile, quod idem non sit contradictorium; id est, tale cujus alterum prædicatum sic alterum evertit, ut ne cogitatione quidem, ob mutuam destructionem, simul uniri queant. Cognoscit ergò Deus Impossibile, quousque id cognosci potest. Extrema scilicet quæ in Impossibili occurrunt, seorsim spectata, cognoscit plenissimè. Etiam unionem inter illa fieri non posse, id est, eandem cum suis perfectionibus non consistere, intelligit; qui quicquid suæ sufficientiæ adversatur non minus intelligit, quam quod ex eadem fluit. Extrema ergò tanquam inter sese unita non concipit, qui nihil concipit quod non suis perfectionibus continetur; ob quod ipsum neque ea unita producere potest. Nec ullus hinc sequitur scientiæ defectus, sed maxima potius ejusdem perfectio: cum enim quod absolutè est impossibile sit purum putum nihil, utique qui impossibile non scit, nihil non scit. Et quid est nihil non scire, aliud, quam omnia scire?

XI. *Futurorum, etiam contingentium, certa est in mente Divina Præscientia.* Possibilitatem rerum excipit earundem Futuritio & Non-futuritio. Atque hanc non minus quam illam penetrat divina mens, distinctissimè & perfectissimè cognoscendo tum ipsas creaturas futuras, tum etiam quænam re ipsâ fierent à singulis secundum omnem statum, quem toto temporis successu habebunt, quâvis hypothesi factâ, quâvis occasione oblatâ. Quæ occasiones cum sint infinities infinitæ, omnium maximè immensam vastitatem, amplitudinem, ac profunditatem Divi-

næ Sapientiæ declarant; nobis quidem incomprehensibilem, non tamen minus veram. Sileo, quæ tot futurorum contingentium eventus præcesserunt, illustria Vaticinia, totidem hujus Præscientiæ testes locupletissimos. Nobis ratione agendum est. Quando Futurum dicimus, rem denotamus, quæ, cum nondum sit, ad hoc tamen est definita, ut existat aliquandò: si enim ad hoc definita non sit, non magis futura dici potest, quam non-futura. Jam verò manifestum est, non posse quicquam suæ futuritionis esse causam: etenim quod ex se hactenus merum nihil est, nullam etiam sibi determinationem tribuere potest ad hoc, ut aliquandò, potius quam nunquam, existat. Causam ergò aliquam suæ futuritionis requirit quodvis futurum extra se. Nec eam qualemcunque; sed istam, quæ fecerit, ut de futuro nunquam verè dici potuerit, fuisse aliquandò non-futurum. Quæ enim res aliquando futura est, jam ab æterno fuit talis; cum, si nunc verum sit rem hanc aliquandò fore, idem ab æterno etiam verum fuerit. Æterna itaque futuritio æternum sui fundamentum exigit; quale nullum excogitare datur, nullumque aliud patitur divina independentia, præter æternam Æterni entis voluntatem, cujus æternâ definitione quod unquam futurum dici potest, jam ab æterno futurum fuit. Quumque Voluntatis suæ perfectissimo actu non possit non conscium sibi esse ens perfectissimum; utique futura quæcunque ignorare non potest, qui id per & propter quod singula futura sunt, quæ futura sunt, habet exploratissimum. Quid? quod rerum existentium nulla esse possit certa ac sapienter ordinata connexio (qualem esse, tum res ipsæ clamant, tum Primæ causæ sapientia postulat) nisi earundem seriem jam antè digesserit mens divina. At quî potuit, ni ea sic futura, non aliter, uti ordinaverit, ita præsenserit. Ut nulla re verâ agnosci possit Numinis Providentia, nisi quanta ejusdem agnoscitur Prævidentia. Estque rerum Non-futurarum, ex opposito, similis ratio. Neque futurorum contingentium contingentiæ quicquam obstat hæc Præscientiæ divinæ, in Dei decreto fundata, certitudo. Ipsum enim præfinitione suâ rei cuique suas quidem aptavit causas; sed non omnes secundum naturam suam necessarias & immutabiles: quare, si eæ secundum se variabiles sint, nulloque

certo nexu per ſe cum effectu cohærentes, meritò hic illarum intuitu dicitur contingens. Aliam enim contingentiam fingere quam quæ tota ad cauſas ſecundas veniat referenda, non permittit neceſſaria cauſæ primæ & in intelligendo perfectio, & in cauſando independentia.

XII. *Exiſtentia quælibet Deus pleniſſimè cognoſcit.* Tandem, quemadmodum quæ futura olim erant juxta Decretum Dei, ſuo tempore per actualem ejuſdem Providentiam exiſtunt Præſentia; ſic etiam quemadmodum Deus illa futura prævidet vi decreti, donec tempus advenerit quo producantur, ita actu eodem immutabili eadem pervidet Præſentia vi actualis providentiæ,. ſimulatque hoc tempus affulſerit. Hac de re dubitare non ſinit totalis cujuſvis creaturæ ſecundum omnia ſui prædicata à Creatoris ſui influxu dependentia; quæ non patitur quicquam in ea exiſtere, quod non, quantum habet entitatis, tantundem habeat dependentiæ. At jam antè probavimus, quicquid à Deo pendet pendere ab eo rationali modo: quapropter nihil quoque ab eo productum eſt, niſi cum influxûs ſui, tum procreantis, tum conſervantis, tum gubernantis, intimâ conſcientiâ. Ex quo rursùm infero, vel nullam eſſe Numinis Providentiam; vel, ſi ſit Providentia circa res creatas, non minorem eſſe earundem penes Deum, ita loquar, Pervidentiam. Scitè de hoc negotio Auguſtinus: „ Non multæ, ſed una ſapientia eſt, in qua ſunt immenſi quidem atque infiniti theſauri rerum intelligibilium; in quibus ſunt omnes inviſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per iſtam factæ ſunt: quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porro, ſi ſciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quod iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.

XIII. *Etiam minima quæque ac viliſſima.* Turpiſſimus itaque error eſt plurimorum Scholaſticorum, quando ad Singularia ſcientiam Dei extendi debere negant; æſtimantes nimirum divinum intellectum ex inopia propriæ mentis, in difficilibus ſuis de Univerſalibus nugis miſerè ſeſe torquentis. Quin, validiſſimis iſtis rationibus moti, nil nos metuimus affirmare, Divinam mentem in numerato habere omnes ac ſingulos ver-

vermiculos, omnes muscas, animalia omnia & partes singulorum, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris, omnes guttas maris, omnes pluviarum stillas; omnes omnium figuras, qualitates, conditiones, situs, motiunculas, momenta, modos, habitudines, tempora, loca; omnes omnium hominum cogitationes, affectus, & intentiones. Hæc omnia & singula ut à Deo absolutissimè pendent, ita eadem adeo clarè & perfectè ipse intuetur, penetrat, & comprehendit, ac si tota vis mentis illius in unum duntaxat illorum intenta foret. Neque ullam ista sciendo sibi conciliat ignominiam Deus magis quam faciendo; cum vel minima quoque creando suam propalaverit Omnipotentiam. Et quis ignoret minima, qui non pariter ignorare dicendus sit maxima; quorum momenta à minimis haud rarò pendent? Neque eædem causæ laborare nos hic sinunt de malis, falsis, imperfectis; quæ, uti eveniunt permittente Numine, & permittente ista non minus rationaliter, quam bona, vera, perfecta producente, etiam non magìs quam hæc illi possunt ignorari. Adde, & ista frequenter rerum optimarum ac perfectissimarum esse occasiones; neutiquam ergò ignoranda illi, qui hasce habet sine dubio perspectas. Ut absolvam, quod Numen demonstravimus cognoscere se ipsum infinitum infinitè per se ipsum; & in perfectissima sua Potentia, Possibilia omnia; in liberrimo Voluntatis suæ decreto, Futura omnia; in efficaci sua Providentia, Actualia omnia; id ipsum meritò dicitur perfectissimo sciendi modo cognoscere omninò omnia. Atquì hoc ipsum est quod de Deo demonstrandum ab initio sumebamus.

XIV. *Scientiæ Divinæ in Necessariam & Liberam divisio.*

Cæterùm ex hoc vario objectorum genere varia resultat Scientiæ Divinæ consideratio, & non una ejusdem, etsi in sese simplicissimæ, divisio. Missis nunc præ brevitate aliis, celeberrima ac receptissima ejus est distinctio in Scientiam Necessariam & Liberam. Illa est, quâ Deus ea cognoscit, quæ in alio statu, quam quo cognoscuntur, cognosci ab ipso absolutè non possunt; qualia sunt, tum Deus ipse; tum, quæ ex Divina Sufficientia per se immediatè fluunt, Possibilia. Hæc est, quâ Deus intelligit ea, quæ, si aliud decreto suo definire voluisset, etiam sub alio statu menti Divinæ objici potuissent

ſent, quam quo de facto nunc objiciuntur: qualia ſunt omnia omninò tum Futura, tum Non-futura. Prior illa nullam decreti Divini determinationem ſupponit, ſed fundatur in ipſa perfectiſſima Dei natura; undè & Naturalis dici ſolet: etiam ſimplicis Intelligentiæ; etſi quidam hanc ſumant ſtrictius, pro Scientia Naturali reſtricta ad objectum ſuum ſecundarium, videlicet Poſſibilia: etiam Theoretica, vel Abſtractiva, quibuſdam nuncupatur, quatenus cogitatur abſtractè ipſas poſſibiles rerum eſſentias conſiderare, nullâ habitâ ratione futuritionis. Poſterior hæc, ſive Libera Dei Scientia, in ſigno rationis, ſequitur actum divinæ voluntatis decernentem de rerum futuritione aut non-futuritione; undè etiam Viſionis appellatur, quatenus eâ Deus ab æterno prævidet res in quacunque temporis differentia vi decreti extituras, vel abſolutè non-extituras: Practicam quoque alii vocant, quandoquidem objectum ejus ſunt res, quatenus aliquando ſunt in actum deducendæ, vel in perpetuum ab omni actuali exiſtentia excludendæ. Ex quibus diſtributionis hujus non ſenſus tantum intelligitur, verum etiam ſufficientia. Nihil enim tanquam ſcibile poteſt cogitari, quod non ſit vel ipſe Deus, vel quid à Deo dependens; atque hoc iterum vel fluens ex ipſa Dei natura, vel ex indifferenti voluntatis placito. Quorum illud & iſtud Scientiæ Neceſſariæ, hoc Viſionis, objectum eſt.

XV. *Media Scientia quid, & quo fine à ſuis inventoribus excogitata?*

Non tamen iſta veritatis ſimplicitas ſatisfacit, quibus indifferens voluntatis ſuæ libertas, quam elegerunt propugnandam, unica philoſophandi regula eſt, quique potius quaſcunque veritates divinas turbare volunt, quam ut huic idolo quicquam decedere patiantur. Ἕνρημα invenerunt ſuperiori ſeculo Jeſuitæ; foverunt dein quivis liberi arbitrii patroni diligenter. Nimirum, hinc quidem pudebat certam futurorum liberorum præſcientiam Deo detrahere, cum Socinianis: indè tamen cum ea conciliare deſperabant ſupremam illam, quam ipſi fingunt, creaturarum rationalium ἀυτεξουσίαν. Quid ergo? Quo tutius tantis de rebus nugarentur, tertiam quandam placuit fingere Dei Scientiam, eamque inter iſtas duas interponere MEDIAM; ſic dictam, quod ſit mixtæ quaſi conditionis, conveniens ſcilicet partim cum ſcientia Naturali, quòd omnem divinæ vo-

luntatis

luntatis actum antecedat; partim cum Libera, quia (ut Auctores illi loquuntur) ſicut Deus per ſcientiam Liberam potuiſſet res futuras non-cognoſcere, ſi ſtatuiſſet eas non-producere, ita etiam per ſcientiam Mediam potuiſſet non-præſcire, quæ creaturæ re verâ facturæ ſunt, ſi pro ſua libertate non ea fuiſſent facturæ, ſed aliquid aliud. Itaque eam verſari volunt circa actiones liberas creaturarum rationalium, quatenus quid ipſæ, ſi quando in his vel illis circumſtantiis ponerentur, facturæ ſint ſecundum liberam voluntatis ſuæ inclinationem, prævidet Deus; idque (in quo rei cardo vertitur) ante ullum ſuæ voluntatis hac de re decretum. Qui rerum eventus quoniam à certa conditione ſunt ſuſpenſi, atque ſub conditione à Deo cognoſci ſtatuuntur, etiam ſcientiam hanc indè vocant Conditionatam. Ubi & hoc obſervandum eſt, ejuſmodi contingentium conditionatorum tam antecedens quam conſequens actu in certa temporis differentia hactenus non poni; ſed de hoc definiendum eſſe per decretum, poſt iſtam per ſcientiam Mediam prævisionem. Atque hoc pacto unicè ſalvari poſſe jactant & agentis creaturæ libertatem, & ſcientis Creatoris certitudinem. Poſtquam enim prævidit Deus, quò creaturæ liberum arbitrium, in his vel iſtis circumſtantiis collocatum, ſeſe ſit inclinaturum, jam demùm pro re nata decernit; atque ita prævisæ cauſæ alicujus creatæ volentiæ ſuam dein quoque adjicit voluntatem.

XVI. *Abſurditas ejus pluribus inſtantiis detegitur.*

At noſtro judicio nullum unquam fingi potuit commentum ſtultius atque abſurdius. Primum quidem ipſam rerum ſciendarum naturam hanc ſcientiam prorſus reſpuere, ſatis evincunt, quæ §. XIV. in hanc rem allata ſunt. Gravius eſt, quod in Divinas perfectiones non uno modo arietet hoc dogma. Enimverò quis ferendam putet in cauſa prima ſcientiam, quæ primitatem ejuſdem ac independentiam prorſus evertit? Nimirum præit, ex ſe ipſa determinando ſuo quodam jure ſemet ipſam, cauſa creata. Mox illam creaturæ prædefinitionem, ſuâ tum ſcientiâ, tum voluntate, ſequitur Creator. Imò ſequitur vix paſſibus æquis. Nullus enim excogitari poteſt circumſtantiarum ordo, qui ſufficiat fundandæ vel probabili conjecturæ, nedum certæ ſcientiæ, de electione liberi arbitrii; ſiquidem (quod contendunt adverſarii) natura ejus in hoc ſita eſt, quod

ſit

ſit facultas quæ, poſitis etiam omnibus ad agendum requiſitis, agere poſſit vel non-agere. De Fato verò quid dicemus; cujus omnium fortiſſimos ſe deſtructores gloriantur iſti? Certè id fatuiſſimum inducitur, & plus quam Stoicum; quatenus citra Divinæ voluntatis præfinitionem aliquid ſtatuitur futurum, idque tanquam tale à Deo cognoſci, propterea que ab ipſo decerni. Etiam de Divinæ voluntatis libertate quid fiet? Hanc nullam citra indifferentiam conſiſtere volunt. Ne quid ergò ea in homine patiatur detrimenti, fingunt præviderí determinationem voluntatis creatæ, antequam definiat voluntas Creatoris. At nullam hoc pacto huic relinqui libertatem, quatenus ipſa nil determinare poteſt, niſi id præcisè quod jam antè electuram præſcit creaturam, quis non videt? Et quâ obſecro ratione futurum id ſciri poteſt, in quo nullum planè fundamentum reperire datur, ob quod futurum potius credatur, quam non-futurum? quandoquidem præter ipſum Dei decretum (quod totum quam anxiè poſſunt hinc remotum volunt iſti) nihil unquam cogitare datur, cujus vi ab æterno aliquid ſcientiæ divinæ objiciatur tanquam futurum: cui difficultati nemo dederit exitum. Adde, quem hæc ſcientia infert, diſcurſum, ac ſucceſſivum cognoſcendi modum, Deo jam dudum negatum. Videlicet, nihil determinandum eſt Numini, quod non ſe facere oportere collegerit ex prævisâ actione ſuæ creaturæ. Pudeat profectò tueri tantum ſacrilegium, Dei pariter ac creaturæ naturam penitus ſubvertens, tamque mille modis in illam contumelioſum!

XVII. *Difficultatum in hoc negotio præcipuarum ſolutio.* Non tamen hujus patronis ſuæ deſunt ſubtilitates, quibus ceu rationibus eam commendent. Multùm adferunt Logicorum effatum, quo duorum contradictoriorum alterum ſemper verum, alterum falſum, pronunciatur. Undè ſequi putant, cum futurum & non-futurum contradictoria ſint, etiam ab æterno, antecedenter quoque ad Dei decretum, alterutrum eorum ſuam habuiſſe veritatem; conſequenter Intellectui Divino (quem nulla latet veritas) ante voluntatis determinationem, per ſcientiam hanc Mediam, cognitam. Verùm, ſi quod res eſt attenderent ſatis, intelligerent nullo negotio, antè Dei decretum rebus competere poſſe affectionem nullam, præter meram

meram possibilitatem: ut hactenus omnia sint & à Deo cognoscantur non alio modo, quam tanquam (si ita vis) non-futura: sed merè negativè; id est, tanquam talia, de quorum positivo ac definito statu, sive futuritionis, sive non-futuritionis, hactenus nil certi sit, aut sciri possit. Etiam in ore habent frequenter enunciationes hypotheticas, quibus rerum, earum quoque quæ nunquam evenerunt, conditionata passim in Sacris prædicitur futuritio: undè & Scientiam Dei, cujus per enunciationem aliquam talem conditionatam fit manifestatio, conditionatam esse concludunt. Sed errant longissimè. Potest enim absolutæ scientiæ signum esse enunciatio conditionalis. Quod facilè intelligitur, si attendamus, duarum rerum possibilium per voluntatem Dei factam esse potuisse ab æterno connexionem, ut tamen neutram earum unquam futuram decreverit & præviderit. Atque hæc talis duarum rerum connexio ad fundandam conditionatæ enunciationis veritatem sufficit, etsi nulla sit ipsius consequentis tanquam futuri per scientiam Mediam prævisio. Exemplis parcere jubet brevitas. Etiam cognitio hujus rei facilior erit, ubi actum fuerit suo loco de Decretis Divinis. Imprimis verò, per absolutam Dei prævisionem, citra Mediam scientiam, libertati nostræ vim inferri, vociferantur. Et fatemur lubentes eam inferri illi, non quam nos habemus, sed quam ipsi nos habere fingunt; junctam scilicet cum absoluta quadam αὐτεξουσία atque omnimoda istiusmodi indifferentia, quà quis, positis etiam omnibus ad agendum requisitis, agere potest vel non-agere. Hanc libertatem utì non patitur dependens creaturarum natura, ita eandem destrui per independentem Creatoris præscientiam, ipsa veritas est. Quid? quòd facilè sit demonstrare, ne quidem stante hac Scientiâ Mediâ, salvam esse posse talem voluntatis nostræ ἀδιαφορίαν. Id sufficit, si rationali complacentiæ (quę vera libertatis anima est) nihil obstet futurarum nostrarum actionum certa ac definita per Scientiam Visionis cognitio; quæ aliquam quidem arguit rei prævisæ necessitatem, nullam interim ei infert vim coactivam, quam libertati adversari utì damus, ita longissimè distare dicimus ab ea quam tuemur scientia. Sed & hæc ex infrà dicendis clariora evadent.

XVIII. *Sapientiæ divinæ my-*

At verò, detur etiam in hisce aliquid menti nostræ occurrere, quod non sit ei satis perspicuum. Non unum hoc est in infinita

 Dei

steria reverenter agnoscenda.

Dei Sapientia mysterium. Singula quæ de ea hactenus tradidimus maximam merentur Admirationem, pari cum Veneratione conjunctam. Hæc piam mentem docet, satius esse suam agnoscere in hisce ritè cogitandis curtam supellectilem, quam temerario ausu immensæ profunditatis tentare fundum: quippe quæ novit, non alibi magis quam in hac ipsa sublimitate sese commendare tantarum rerum majestatem. Eadem illa silere jubet, quoties scientiarum Deus, vel naturali rationis lumine docet, vel sublimiori revelatione dictat veritates, cogitatione nostrâ altiores, ingeniolo nostro impervestigabiles. Qui mutit hìc quicquam, tantum sapientiæ infinitati detrahit, quantum eâ rationis decempeda minor est. Beatus ille unus, qui in istum oceanum mentem suam totam transfundit atque immergit! Sed & quam hinc discimus Modestiam in pervestigandis tam sapientis Dei operibus! quorum summam exploratam habere, atque ipsorum perfectissimas in mente divina ideas ad plenitudinem usque cognoscere, idem profectò est. Jactent ergò alii suam hìc quandam quasi omniscientiam; putent nihil sibi occultum ex tot naturæ mirabilibus; definiant audacter de singularum rerum ortu atque constitutione, haud aliter ac si supremo Artifici fuissent à consiliis! Nobis tutius erit, curiosos nimium animi motus inhibere: quippe quibus persuadet tanta Creatoris sapientia, plurima esse, *quæ nos nescire voluit maximus Magister*, quæque etiam *scire non velle*, *erudita inscitia sit*. Denique, quid animi nobis esset omnibus, si continuò obversaretur Numen Omniscium, quod quæ nos gerimus audit que videtque, ipsisque animis nostris interest, mediisque cogitationibus intervenit testis καρδιογνώστης? Quem non ista vel cogitâsse dispudet, dum adeò nullam sentit esse suam sub oculis tanti Domini humilem reverentiam!

Hæc mente tacita cogitanti mihi stupor
Torporque sensus alligat;
Animus labascit, quum Tua miracula
Perpendit hæc Scientia:
Citius inibo numerum arenæ in littore,
Quot volvat æstus corpora,
Quamvis ocellis pervigil nunquam meis
Dulcem soporem indulsero.

EXER-

EXERCITATIO DECIMA-NONA,

DE

DEO VOLENTE.

SUMMARIUM.

I. Voluntas Dei paucis explicata & asserta. II. *Voluntas Divina non nisi perfectissimo modo actuosa.* III. *Voluntas Dei agnoscenda prorsus Independens.* IV. *Eadem Liberrima est; & quo sensu Indifferens quoque?* V. *Dei Voluntas Simplicissima, Immutabilis, Æterna.* VI. *Affectus omnes à perfectissima Voluntate removendi.* VII. *Deus semet ipsum vult perfectâ quadam complacentiâ.* VIII. *Alia quævis à se vult Deus; Possibilia nominatim, & futura.* IX. *Præsentia quæque Deus vult; etiam Mala, & quo modo?* X. *Distributio Voluntatis Divinæ in Beneplaciti & Signi.* XI. *Alia ejusdem in Occultam & Revelatam distinctio.* XII. *Pro concilianda altera illarum cum altera, monita duo observanda.* XIII. *Voluntas Dei Decernens vel Approbans; & hæc quæ?* XIV. *Decretum Divinum quid; & circa quæ versetur?* XV. *Decreti Divini existentia rationibus adstructa.* XVI. *Decretum Dei nullum multiplex, mutabile, suspensum.* XVII. *Difficultates hìc occurrentes breviter discussæ.* XVIII. *Quâ modestiæ cautelâ*

 arcana

arcana hæc Dei cogitanda. XIX. *Problematis, de Decreto Dei positivo etiam circa Non-futura, brevis consideratio.*

I. *Voluntas Dei paucis explicata & asserta.*



AD alterum Actionum Divinarum Principium progredimur, vita VOLUNTATEM; Actum illum Dei Viventis perfectissimum quo sibi placet in se ipso, atque etiam, propter se, in omnibus aliis à se. Non moneo, actum volendi primum cum actu secundo in Deo prorsus coincidere, neque adeò hoc loco de eisdem ab invicem distinguendis quicquam esse laborandum; cum id ex iis quæ de Simplicitate Dei jam antè dicta sunt intelligatur abundè. Nil interim id obstat, quò minus Voluntas hìc à nobis concipiatur ad instar Facultatis, indesinenti exercitio volendi perpetim operosæ: talis enim notio distinctiùs pro modulo concipiendi ac pressius permanentem Dei perfectionem, non tanquam Actionem, sed Attributum, actionis principium, nobis repræsentat. Pleniorem rei hujus intelligentiam dabunt sequentia. Dari verò in Deo Voluntatem, multis in antecessum demonstrare operæ pretium vix videtur; tantæ ea veritas necessitatis atque evidentiæ existit. Certè præcipuum rationalitatis prædicatum Voluntas est, atque indiviso nexu cum Intellectu cohærens: ut neutiquam eâ carere queat, cui jam antè Intellectum asseruimus, summa Ratio. Quid? quod sit perfectio inter alias quasvis facilè prima, dominum esse suarum actionum per supremam quandam αὐτεξουσίαν; quam qui in Deo non concipit, non jam is Numen concipit, sed brutum prorsus idolum. Et quæ possit esse rei Adorabilitas, penes quam nulla secundum Voluntatem boni malive est dispensatio. Adde pulcherrimum hunc Universi ordinem, ac miram illam totius naturæ in tanta partium vicissitudine constantiam: quæ refundere velle vel in Epicuri oberrantem vago casu fortunam, vel in Porticûs ferream fatorum seriem (ut ea hodiè vulgò explicatur) insanientis stultitiæ est, non sanæ mentis Philosophi; qui quocunque oculos circumfert, ista cumulatim obvia habet ubi-

ubiquè, quæ ne cogitari quidem queunt, absque dominio sapientissimi Numinis, definito quodam perfectissimæ Voluntatis consilio istæc omnia producentis, conservantis, gubernantis. Et quæ esse queat Voluntas in creatura, cujus non exsuperans plenitudo, modo Ipsi convenienti, existat in Creatore? Desino alia adserre, ne nimius sim in re obvia.

II. *Voluntas Divina non nisi perfectissimo modo actuosa.* Altioris indaginis est, & quænam Deus velit; & quo modo? Posterius hoc totum complector verbo unico, si dixero, actum volendi Divinum esse Perfectissimum. Neque, opinor, erit, quisquis Numen ens perfectissimum agnoscit, qui expresè assertioni nimiùm manifestæ ausit contradicere. Contradicunt tamen reverâ plurimi, haud aliam ferè formantes notionem de entis primi Voluntate, quam qualem suppeditat suæ propriæ voluntatis imperfectissimæ conscientia: nil attendentes immensum discrimen, quod est inter Voluntatem quæ ipsa subjecta est rebus, qualis est hæc nostra, atque eam cui subjiciuntur res ipsæ, qualis est illa Dei. Hic spiritus ille est, atque, ut ita dicam, quintessentia istius veneni, quo universam penè Divinorum Mysteriorum doctrinam virulenta Pelagianismi hydra fœdissimum in modum conspurcavit; hæc una radix tot sacrilegorum dogmatum, ac contumeliosissimorum in supremum Numen errorum, quibus, quæ verbis asseritur, re ipsa subvertitur, Divinæ Voluntatis perfectio. Distinctius ergò notare juvabit quædam capita, in quibus cardo hujus rei potissimum vertitur; sed pro instituta brevitate paucis tangenda potius, quam pertractanda.

III. *Voluntas Dei agnoscenda prorsus Independens.* Ac primò quidem loco firmiter tenendum est, omni omninò modo Independentem esse Divinam Voluntatem. Etenim, si communi quodam omnium sensu (eorum imprimis quibuscum hic agimus) rerum creatarum unaquæque eo cæteris creditur præstantior, quo pleniori quodam suo jure fruitur, minusque alterius arbitrio obnoxiâ utitur voluntate; utique manifestum est, tantum cuique voluntati deesse perfectionis, quantum illi detrahitur Independentiæ: ut quæ perfectissima agnoscenda est Voluntas, hoc ipso ab omni dependentiæ specie prorsùs sit absolvenda. Etiam unumquodque naturæ suæ convenienter operatur quicquid operatur. Itaque cujus entis esse

est ipsum Independens esse, illius quoque activitas in volendo non potest non per omnia parilem cum essentia involvere Independentiam. Et à quo, obsecro, pendeat arbitrium entis independentis, nisi ab aliquo à se independenti? Tale verò præter Deum cogitare, meram esse contradictionem, jam antè demonstravimus. Ergò, si præter Deum nihil independens, utique nec quicquam existit, quod non pendeat ab eo qui solus est independens. Verùm, non quovis modo à Deo pendet, quod ab ipso pendet, sed maximè rationali; ut nihil sit quod non sit ab Ipso productum, utì scienter, ita volenter, ut ita dicam. Ex quibus luce meridianâ clarius est, unumquemque qui non cupit fingere ens extra Deum à Deo independens (id est, aliquid præter Deum Deo æquale, aut majus) fateri debere, nihil omninò cogitari posse à quo pendeat Voluntas illius, qui nihil extra se agnoscit, quod ipsum à sua non pendeat Voluntate. Quæ cum ita sint, frustrà sunt quicunque aliquid concipiunt, à quo, vel tanquam ab objecto, vel tanquam à causa procatarctica, vel ratione quâvis aliâ, suspendatur qualicunque modo actus volendi in ente primo; quod tanquam prima ratio neutiquam agnoscitur, nisi sic suo singula disposuerit arbitrio, ut non independentis consilii mensura sit res volita, sic loquar, sed rei volitæ norma unica sit consilium Numinis independens.

IV. *Eadem Liberrima est; & quo sensu Indifferens quoque?*

Atque hanc Voluntatis Divinæ independentiam comitatur omnimoda ejusdem Libertas. Coactio saltem nulla cadit in ens quod non alterius lege, sed à se agit, independenti quâdam sui arbitrii complacentiâ. Scilicet, Spontaneitatem in agendo poscit Independentia; Rationalitatem, Intellectus Dei: hæc illi juncta ipsa Libertas est. Non tamen eâ solâ absolvitur quicquid in voluntate Divina existit libertatis: Indifferentiam quoque ad utrumlibet oppositorum eidem tribuimus. Tantùm ne ad quævis eam extendamus, cavendum est. Etiam (quod docebimus infrà) semet ipsum vult Deus, & quicquid perfectissimam suam naturam indiviso nexu comitatur, qualia esse possibilia suo loco ostendemus: verum minimè indifferenter; quandoquidem summa complacentia in summo bono summa quædam perfectio est, atque ideò ab ente perfectissimo omninò indivisa.

indivisa. Ex quo eodem principio fluit, ad ipsum actûs volendi exercitium minimè quoque indifferenter sese habere naturam Divinam. Neque enim planè non-velle potest, quod se saltem non-velle non potest. Quin & actus volendi secundum sese perfectio si sit (utì est; citra hoc enim ne unquam quidem in ens perfectissimum cadere posset) inseparabilis existit ab illa natura, quæ in se comprehendit consummatâ plenitudine quodvis perfectionum genus. Imò, non potest non indesinenter velle, quod à nullo externo, propter independentiam, vel in volendo impediri, vel ad volendum excitari potest. Quid ergò? Eadem illa voluntatis independentia, quæ non sinit Deum non-velle, arguit eum hoc vel illud præter se velle summâ cum ἀδιαφορίᾳ; quum nihil eorum quæ extrâ Deum sunt, quicquam necessariæ connexionis habeat cum natura Divina perfectissima. Vult ergò Deus rerum quarumcunque extra se contingentes status, affectiones, nexus, indifferenti prorsus voluntatis suæ determinatione ad hoc ut sint vel non-sint, tales vel aliæ sint, sic vel aliter cohæreant, &c. Atque hinc natum axioma, Actiones Dei ad extra esse indifferenter liberas; de quo suo loco plura.

V. *Voluntas Dei Simplicissima, Immutabilis, Æterna.*

Insuper Simplicissima Divina Voluntas est: actus scilicet unus idemque, quantacunque etiam fuerit multiplicis objecti varietas; imò nec ab essentia Volentis Dei diversus. Neque enim sinit retrò demonstrata Dei Simplicitas, quicquam, quod ipse non sit, in Deo dari. Ut omnis quæ hìc concipitur distinctio meræ rationis sit. Quod objiciunt de volitione Dei, ab essentia ejusdem necessariò reapse diversa, quòd hæc libera non sit, ut illa, sed necessaria, nullius id momenti esse, evincunt modo dicta de necessaria ipsius actûs volendi in Deo existentia; etsi libera sit & indifferens actûs istius necessarii in hoc aut illo objecto, secundum se contingente, terminatio. Ex quibus Volitionis hujus in Deo Immutabilitas sponte suâ sequitur. Quod enim perfectè simplex est, ac cum essentia immutabili unum idemque, id, manente eâdem essentiâ, non posse non manere idem & immotum, necessum est. Et quæ causa excogitabitur, quæ Numen perfectissimum & independens nolle faciat, quod voluit; aut velle, quod noluit? Omnis profectò

fectò consilii mutatio aut ex merâ animi levitate oritur; aut ex quadam vel imprudentia vel impotentia, quandò videlicet improvisi casus intercedentes. quos vel avertere vel mutare in manu non est, ea capere cogunt nova consilia, quæ apta sunt novis atque inopinatis mutatarum rerum circumstantiis. Eum verò fingere in Numine aut sapientiæ aut potentiæ defectum, ut rebus à se pendentibus suum subjicere arbitrium habeat necesse, stoliditatis profectò est ac stultitiæ omnem modum superantis. Absit itaque à Numine mutanda voluisse! quod, ut scitè ille, Majestatis diminutio est, & erroris confessio. Deniquè, si entis independentis atque infinitè perfecti perfectio sit immutabilis & simplex voluntas (utì esse ostendimus) dubium esse nequit, quin eadem quoque sit ac esse debeat Æterna, expers principii, carens fine, nullique obnoxia successioni: de quibus quandoquidem ex dictis constat, quicquam addere non est necesse.

VI. *Affectus omnes à perfectissima voluntate removendi.*

Quæ omnia cum ità sint, neque per independentis naturæ absolutam perfectionem aliter sese habere possint, liquet, quam jure merito suprà audacissimæ temeritatis reos egerimus homunciones, quos non pudet, ad suæ qualiscunque voluntatis modulum revocare tam stupenda supereminentis illius quæ in Numine existit mysteria. Eo usque tamen quidam eorum processerunt antropomorphiticæ insaniæ, ut Deum suis etiam laborare Affectibus contendant, affectu profectò nimium stolido ac perverso. Quasi scilicet in tranquillissima mente leves isti ac parum stabiles dominentur animi motus! quibus jactatur humana voluntas, ex hoc uno, quod sibi ex se ipsa stabilitatem promittere non valeat, sed indigentiæ ac votorum suorum complementum ab extrinseco arcessere debeat, sæque illis plerumque rebus affigat, quas in potestate sua nequaquam habet, & quæ, si vel maximè haberet, tamen, dum ipsæ instabiles sunt ac aurâ leviores, se ipsis firmiora quietis fundamenta animo præstare neutiquam possunt. Cœcutit profectò planè, qui non ex dictis videt clarissimè, longè aliam esse debere volendi rationem, & ab istis mutationibus atque imperfectionibus remotissimam, in eo, qui nullas suæ voluntatis causas extra se à quibus impellatur, agnoscere potest, sed qui ipso suæ voluntatis

tatis imperio sibi subjicit universa. Sunto animi Passiones perfectiones in illis, in quibus perfectio est appetere quod deest, fugere quod obest! non tamen sunt in Illo, cujus voluntas sui solius sufficientiâ satiatur usque adeo, ut ne cogitare quidem detur, quod ullam Ei adferre possit vel intensionem vel remissionem: dum nihil aliundè boni potest accipere, quod desideret; nihil Ei imminere mali, quod metuat; nihil idcirco objici, cujus impulsu immoto suo statu moveatur. Et certè quicunque Numen sibi fingunt adeò variabile, æstuans odio, percitum ira, amans, dolens, gaudens, pœnitens, sperans, desiderans, optans, ineptissimè ne istas quidem perfectiones in Deo agnoscunt, quas in suo Sapiente requirebant Stoici. Hunc sibi constare, in se divitem esse, non pœnitere, &c. affirmabant. Et affirmabant verè de perfecto sapiente; qualis cum sit nemo mortalium, illa quidem grandiloquentia statum delineat qui supra hominum esse videtur imbecillitatem, at qui dignissimus tamen est solo sapiente Deo. Tribuunt passim Numini Affectus Auctores sacri pariter ac profani, fateor; at cavendum, ne quid istis verbis innui putemus, quod sit præter voluntatis infinitè perfectæ decentiam. Quid ergò? Humano loquendi modo ea Deo tribuuntur ob similitudinem tantùm effectûs, quæ in nobis existunt secundum proprietatem Affectûs. Nos v.c. Pœnitentiâ ducti, cum ipso consilio mutamus opus; quodque antè & fecimus, & facere voluimus, dein quantum in nobis est destruimus, dum jam id esse nolumus. Deum pœnitere alicujus rei dicimus, quoties destruit quod fecerat; etiamsi nulla accidat ei voluntatis mutatio. Sufficit interim illa in opere externo convenientia ad fundandum de imparibus rebus parem loquendi modum. Cæterùm re ipsâ is, quem nec mœsta perturbant, nec læta demulcent (ut alibi scitè Augustinus) *amat, nec æstuat*; *zelat, & securus est*; *pœnitet eum, & non dolet*; *irascitur, & tranquillus est*: nimirum, *opera mutat, sed non consilium.*

VII. *Deus semet ipsum vult perfectâ*

Transeo ad illa expendenda circa quæ Divina Voluntas suâ actuositate versatur. Ea sunt omnia omninò, quousque secundum rationis dictamen volibilia esse possunt. Non enim ea perfectissima Voluntas esset, quæ non velit quæcunque velle potest.

quâdam complacentia. test. Si namque ei subducas aliquid, quod non velit actu, velle tamen posset Deus, detrahis revera ejusdem infinitæ amplitudini, independentiæ, immutabilitati, atque æternitati: quæ omnia à Divina voluntate non magis separari posse, quam ipsa voluntas separari potest à Deo, jam firmiter demonstravimus. Sed de singulis verbo! Inter ea quæ vult Deus, primarium objectum Ipse sibi est. Quum enim & summè perfectus existat, & adæquatâ concipiendi ratione istius suæ perfectionis intimè sibi sit conscius, non potest non complacentia summè rationalis planè in eo acquiescere, in quo intellectus nihil reperit, quod displicere queat. Ut objectum perfectissimâ voluntate dignissimum sit ens perfectissimum, in quo prorsus acquiescat: quæ ipsa in se ipso sine motu quies Beatitas illa Dei est; de qua deinceps. Imo reverà nihil vellet Deus, aut velle posset, nisi vellet id, propter quod vult quicquid velle potest; quatenus ob aliud, quam quod ipse est, nihil velle potest, qui dependenter ab alio velle non potest. At non ideo cogitandum, ac si Dei voluntas, quæ alia à Deo esse facit, etiam ipsum existere faci t, aut in esse perseverare, per modum causæ efficientis; ut hac ratione Numen dici deberet esse à sese quam maximè positivè: id enim quam sit absonum, dudùm ostendimus, ubi de Dei Independentia ac Sufficientia fuit agendi locus. Quapropter nudâ duntaxat complacentiâ quicquid Dei circa se Voluntatis est absolvitur.

VIII. *Alia quævis à se vult Deus; Possibilia nominatim, & Futura.* Etiam quævis alia à se Deus vult; ut quanta in eis est entitas, tanta sit Dei circa illa complacentia. Quicquid enim præter Deum est, quemcunque id habuerit statum, eum omnem dependenter habet ab illo qui solus est independens. At quicquid pendet à Deo, pendet ab ipso summâ cum ejusdem complacentiâ; quatenus non minus hæc, quam ipsa conscientia, in modo operandi qui rationalis est involvitur: cum nihil rationaliter aliquid producat, in quo sibi displicet, dum id producit. Si quid ergò esset nolente Deo, id à Deo non foret; sine quo tamen eorum quæ sunt nihil esse potest. Sed per partes! Possibilia Deus non potest non velle, qui suam Sufficientiam, quæ possibilium radix, non velle non potest. Nolim tamen Possibilia ad Voluntatem Dei sic referre, quasi hæc, determinando

nando illa ad ſtatum poſſibilitatis, eorundem eſſet cauſa. Nullo tali voluntatis actu hic opus eſſe, ad hoc ut res ſit merè poſſibilis, palàm fiet ex iis quæ de Potentia Dei ſuo loco venient dicenda. Conferantur & ea quæ jam in hanc rem dicta ſunt, *Exercitat.* XVIII. §. X. Suffecerit, ſimpliciter ſibi placere Deum in ſua Sufficientia, concepta ab intellectu ſuo ut eſt expreſſibilis extra ſe modis infinitè multis ac variis. Alia verò Futurorum ratio eſt. Futuritio enim, cum ſit determinatio rei poſſibilis ad hoc ut aliquando tranſeat à non-eſſe ad eſſe, aliquam ſui cauſam neceſſariò requirit. Eam in futuro ipſo non-exiſtente reperire non datur, quoniam antequam eſt merum nihil eſt, nec magis ſuâ naturâ definitum ad hoc ut aliquando, quam ut nunquam, ſit. At neque, ut poſſibilia, ita Futura indiviſim fluunt ex eſſentiali aliqua ac neceſſaria Dei perfectione. Non alibi ergò Futuritionis cauſam reperire datur quam in ſolo Entis Primi arbitrio, cui, hæc vel iſta olim eſſe futura, ab omni æternitate ſecum definire placuit. Quæ determinatio cum ſit actio Voluntatis, etiam Deum Futura velle, dicendum eſt: de quibus poſt pauca plura.

De Præſentibus nihil laborandum; cum tota eorum exiſtentia ab actuali Dei influxu pendeat: quem quum non niſi liberrimè exerat Deus, patet nihil exiſtere, quod non exiſtere velit. Major de actionibus moraliter malis, ſive de Peccatis, difficultas eſſe videtur. Non tamen de malitiæ iſtius ſubjecto, ſive phyſica actione; quippe quæ ſecundum ſe poſitiva, adeoque bona eſt, & in tantum voluntate Dei comprobata. Verum de ipſa ἀνομίᾳ, ſive actionis malitia morali quid dicemus? Ea procul dubio boni privatio eſt; atque hactenus rationalis complacentiæ, quæ tantum in bono eſt, objectum eſſe nequit. Et tamen eam accidere nolente prorſus Deo, etiam dici non poteſt; cum multiplex Numinis circa mala iſtiuſmodi Providentia (infrà probanda) efficaciter evincat, ea Voluntati Divinæ haud planè ſubduci: utì neque ullus eſſet defectus, ſi boni abſentis præſentiam efficaci voluntate ponere, utì poteſt, ita vellet, Deus. Nunc ergò, cum non ponat eam, vult procul dubio non producere bonum, ad quod producendum non tenetur. Quorum illud voluntatem Dei permittentem circa mala

IX. *Præſentia quæque Deus vult, etiam Mala, & quo modo?*

mala versari evincit; hoc tamen istâ voluntatis permissione nihil labis Deo affricari, docet. Quæ difficilia videri possent in hoc negotio, ea intelligentur rectiùs, ubi suo loco dixerimus de Dei circa peccata creaturarum rationalium Providentia actuali; quæ æterni hujus consilii est quasi executio.

X. *Distributio Voluntatis Divinæ in Beneplaciti & Signi.*

Expendenda sequitur varia Divinæ Voluntatis, pro varia objectorum diversitate, ac vario nostro considerandi modo, distributio; nihil ejusdem secundum se spectatæ detrahens tum simplicitati, tum immutabilitati, tum independentiæ. Vulgaris illa est, quâ alia *Signi* dicitur, *Beneplaciti* alia. Hæc significat ipsum volendi actum prout is in Deo est: Illa notat eundem illum volendi actum, quatenus eum nobis manifestavit Deus signo qualicunque. Non lubet disquirere, Nùm, quæ dicitur Voluntas Signi, appellari potius debeat Signum Voluntatis? Ubi enim de re constat, de voce litigare nihil attinet. Imprimis quandoquidem appellatio illa hoc loco nequaquam incongrua videtur, propterea quod nullum signum inane hic occurrit, sed id omne suum signatum certò connotat atque includit. Signa verò præcipua quibus Numen suam voluntatem rationalibus creaturis plerumquè patefacere consuevit, haud malè ad quinque referuntur, comprehensa versiculo: *Prædicit*, *Prohibet*, *Permittit*, *Præcipit*, *Implet*. Ex quo liquet, non omnem manifestationis modum pertinere præcisè ad Mandata; etsi synecdochicâ locutione voluntas Signi etiam *Mandati* dici solet. Excellens nimirum voluntatis Signi species est voluntas Mandati, quâ Deus creaturis rationalibus præscribit legem, cui ceu normæ adstrictas vult earundem actiones: quam ob rem quidam hanc voluntatem etiam dixerunt Moralem; cujus usus longè maximus est in Philosophia Practica, ubi de Regno morali quod Deus exercet in homines agitur.

XI. *Altera ejusdem in Occultam & Revelatam distinctio.*

Cæterùm, quandoquidem existunt plurima, de quibus definivit quidem Deus secum, nihil tamen nobis aut per prophetias, aut per præcepta, aut per eventum, aut alio quocunque modo manifestavit, haud de nihilo in ordine ad nos Voluntas Dei dispescitur in *Occultam* & *Revelatam*, distinctione illi priori affini, si non ferè eâdem. Ridicula quidem visa ea fuit quibusdam; sed sine ratione. Etenim, non omnia saltem

nos

nos latere quæ Deus vult, palam est, ipsæque docent res præteritæ, quas ut extitisse, ita non sine voluntate Dei extitisse, omnes novimus. Ab altera parte, plurima eorum nobis occulta esse, quæ jam voluntate Dei definita sunt, arguunt, tum immensa Divinæ Voluntatis cum intellectus nostri angustiis comparatæ amplitudo, tum etiam qui quotidiè accidunt, non sine æterna supremi Numinis providentia, inopinati nobis rerum casus. Quid hìc carpat inscitia? Duntaxat cavendum est sedulò (quod neglectum ansam dedit cavillandi) ne unquam voluntatem Revelatam, sive Signi, illi quæ est Occulta, sive Beneplaciti, opponamus: quasi nimirum Deus voluntate Revelatâ aliquid velit, cujus oppositum placeat ac decreverit voluntate Occulta; vel contrà. Non ferre istusmodi pugnam inter voluntatis suæ signum & beneplacitum, veracissimum Dei candorem, infràvidebimus.

XII. *Pro concilianda altera illarum cum altera, monita duo observanda.*

Quid ergò? dicat quis. Nonne præcipere potest Deus creaturæ, ut faciat, quod tamen facere re verâ non vult? Nonne prædicere peccata, quæ vult non-fieri? Potest ista Deus: sed non ideo signum suo signato vel minimùm erit difforme. Etenim Præceptum signum est, non istius quod Deus re verâ aliquandò evenire vult, verum obligationis tantùm ad officium, cui creaturam suam adstrictam se velle, præcepto manifestat. Iterùm, Prædictio signum est, manifestans Dei voluntatem, non de obligatione creaturæ imposita ad hoc faciendum quod prædicitur; sed de eo, quod simpliciter, etiam sæpissimè præter debitum creaturæ rationalis officium, aliquandò est futurum. Conferatur ergò Præceptum cum voluntate Dei obligante, cujus est signum; Prophetia cum voluntate Dei decernente, cujus est signum; &c. nec quicquam in hoc toto negotio esse poterit difficultatis. Maximè, si id quoque observemus, non alio sensu signa à nobis debere accipi, quam quo ex intentione Dei offeruntur. Potest tacitâ conditione ex mente Dei restringi signum, quod parum attendenti videri potest absolutum; potest quandoque (quod potest quisque, sine veritatis dispendio, imò cum laude prudentiæ, vir bonus) ex parte suam voluntatem manifestare Deus, quam totam manifestasse putabit imperitus. His similibusque casibus diligenter cavendum, ne extendamus signum latius, quam quousque id extendi voluit

Deus, ipse signorum à se datorum interpres omnium optimus. Exemplis hæc non illustramus, brevitatis causâ. Interim si hæc ipsa, lumine naturæ de Divina voluntate notissima, satis accuratè attendisset eximius cæterùm Theologus pariter ac Philosophus, nunquam ei excidisset, quod excidisse merito nollent viri doctissimi, Fidei Divinæ posse subesse falsum. De quo agendum alibi ex professo.

XIII. *Voluntas Dei Decernens vel Approbans; & hæc quæ?*

Non desunt, quibus voluntas Beneplaciti eadem statuitur cum voluntate Decernente. Sed minus accuratè. Etsi enim verissimum est, Decretum Dei esse ipsum beneplacitum ejusdem circa rerum futuritionem, non tamen hæc duo æquè latè patent. Etiam circa se ipsum ac merè possibilia versatur Deus suo Beneplacito; non tamen id, utì docebunt sequentia, Decretum dici debet. Ut sileam res præteritas & præsentes; quæ, qua tales, & in quantum futuræ esse desierunt, rigidè loquendo, Decreti non quidem, Beneplaciti nihilominus, objecta sunt. Accuratiùs itaque dicemus voluntatem Beneplaciti, vel *Decernentem* esse, vel *Approbantem*: quarum quemadmodum illa infert rei nondum existentis futuritionem, ita hæc entis cujuscunque existentis comitatur prædicata realia qualiacunque. Ut reverâ quæ ante rei existentiam dicebatur voluntas decernens, eadem illa, re jam existente, vocetur approbans. Undè componere licebit controversiam, an & quo sensu dicere liceat, Decreta Dei habere finem? Sed de Decreto plura, ubi aliquid de Approbante voluntate præmiserimus. Notat ea summam illam complacentiam, quâ Numen & in se ipso, & in omnibus aliis à se diversis, in quantum à se sunt, tanquam voluntati perfectissimæ conformibus, acquiescit. Quæ quomodo intelligenda sint, satis jam est explicatum §. VII. VIII. IX. ut ea hoc loco repetere non sit necesse. Id interim hìc prætereundum minimè est, unamquamque rem, quemadmodum ea existit vera, quia refert perfectiones quas complectitur exemplar ejus in mente divina, ita quoque pariter esse metaphysicè bonam, hoc ipso quòd approbante Divina voluntate existat. Non interim putandum est, hanc voluntatem approbantem re productâ verè esse posteriorem. Neutiquam: sed simul sunt, rem produci à Deo, & comprobari; cum causæ rationalis sit, nihil

hil agere, in quo non sibi, dum id agit, placeat; imo &, in cujus idea in sua mente, etiam ante rem productam, non perfectissimâ complacentiâ acquieverit. Sed de voluntate Dei Decernente, sive Decreto, philosophandum est aliquanto diligentiùs.

XIV. *Decretum Divinum quid; & circa quæ versetur?*

Decretum quandò dicimus, intelligimus actum Divinæ voluntatis perfectissimum, quo possibilia quævis determinata sunt ad hoc, ut futura sint, vel non-futura. Huic actui quatenus summa veluti prælucet sapientia, Consilii nomine frequenter is venire solet: remoto tamen à voce metaphorica omni isto, qui in nostris consiliis habet locum, deliberandi modo, juncto scilicet cum multiplici ignorantia ac longa inquirendi mora, nec non addubitatione molesta, quâ animus sæpe hùc illùc dividitur; quæ omnia Intellectum Dei perfectissimum prorsùs respuere, docent quæ hac de re suo loco dicta fuerunt. Præcognitio etiam nonnunquam dicitur: verùm metonymicè; quatenus ipsum decernendi actum practica futurorum scientia indivisim comitatur. Sed rem prosequamur! Ea omnis absolvitur determinatione possibilium ad statum (liceat & nunc & deinceps ita loqui) futuritionis vel non-futuritionis. Quandoquidem autem futuritio non nisi rebus non-existentibus convenit, atque non-entis nullæ sunt affectiones, liquet hunc actum Dei immanentem esse, qui qua talis nihil ponit extra Deum, sed denominationem futuritionis duntaxat infert in ipso fundatam. Decretum notabam versari circa possibilia; id est, circa ipsas perfectiones Divinas, mente Divinâ conceptas tanquam expressibiles extra Deum per potentiam. Harum quasdam futuras esse, facit Decretum. Id verò sciendum, nomine Futurorum etiam tum Præsentia tum Præterita comprehendi hoc loco: ut enim ista omnia aliquando non-extiterunt, ita quoque antequam extiterunt æterno Decreto objecta fuerunt, tanquam futura, etsi postquam extiterunt futura esse desierint; quod idem in omni futuro, quando actu existet, obtinebit. Dixi, Decreto [illegible] finita esse possibilia, ad hoc ut sint futura; potius qu[illegible] Deo sint producenda: futuritio enim suo sensu [illegible] eis, quæ ad efficientiam Divinam referri pro[illegible] qualia sunt mala turpia, sive peccata. [illegible]

Decreti Divini in Effectivum, & Permiſſivum : quorum illud notat voluntatem Dei de rebus bonis in tempore efficaciter producendis; hoc voluntatem ejuſdem de malis turpibus in creaturis rationalibus permittendis, ſive non-impediendis.

XV. *Decreti Divini exiſtentia rationibus adſtructa.*

Dari in Deo Decretum circa res futuras, admittunt facilè quotquot Providentiam dari admittunt : undè & ſine dubio æternæ Providentiæ nomine idem paſſim venire ſolet. Et profectò, quum manifeſtum ſit, non eſſe ſapientis quicquam agere, cujus ſecum non antè iniverit certas rationes, deque quo intentionis ſcopum ac ordinem non formaverit, utique de Numine ſapientiſſimo minimè dubitare fas eſt, quin id univerſa operetur ſecundum conſilium illud voluntatis, quod jam antè rerum productionem ſecum conſtituit. Imò, niſi vi Decreti, nequicquam ut futurum præſcire poteſt Deus. Undè enim ſciet obſecro, niſi ex ſe, qui ſcire nihil poteſt dependenter ab alio à ſe ? Ex ſe ergò ſi ſcit quod futurum eſt, in ſe utique fundamentum futuritionis ipſum continere oportet. Verum nullum tale excogitare datur, præter hoc divinæ voluntatis beneplacitum, cujus vi, hæc vel iſta, quæ futura ſcit, ideò futura ſciat, quia ſe illa ad futuritionem ordinaſſe novit. Pari ergò paſſu ambulant in Deo futurorum præſcientia, atque eorundem per Decretum ad iſtum ſtatum præordinatio : quapropter etiam hanc Præcognitionis vocabulo inſigniri, jam ab initio notavimus. Et certè ipſa futuritionis vox involvit connotationem alicujus cauſalitatis quâ aliquando erit, quod hactenus non-eſt. Si ſic, utique in cauſam cauſarum tandem illa reſolvi debet; à qua uti res futuræ pendent rationaliter, ita omninò ſcienter volenter. Etiam, niſi ſit aliquod dominans primæ voluntatis in futura imperium, ac certus corundem ſelectus, quid cauſæ eſt cur non quot poſſibilia, totidem ſint futura? Et, cur non jam quondam fuerint, quæ olim erunt, aut unquam eſſe poſſunt? Datur ergò Decretum, ſi detur Deus à quo pendeant ...ia.

...n tantà hujus veritatis vis eſt, ut negare non tam conentur ...etum, quam tale potius fingere quale poſcunt præ...uris opiniones, exigentes iniquiſſimâ temeri... ſupereminentiam ad volitiunculæ noſtræ finitæ

finitæ simulacrum. Isti bene multa ei subducere mallent, si audèrent: dum ejus suppudet, inducunt saltem nobis Decretum, quod causas morales habeat extra Deum & temporariam originem; quod multiplex sit & diversum; quod ambulatorium sit & mutabile; & quid non? Tale nimirum, quod verbis ne quidem ponit, re ipsâ penitus tollit, dignum voluntate optimâ maximâ Consilium. Nos omnibus istis simul & semel viam jam præclusimus unâ istâ voce *perfectissimi*. Perfectissimam enim voluntatem esse non posse, nisi sit absolutè independens, liberrima, simplicissima, immutabilis, æterna, invictis rationibus planum fecimus §. II. III. IV. quæ istic dicta, cum hùc imprimis pertineant, non jam denuò inculcabimus. Concidunt iisdem argumentis, quas tantopere depereunt hodierni liberi arbitrii patroni, plenæ absurditatis distinctiones, quibus ipsum decernendi actum adversarii (non enim eos nostros notamus, qui commodum, objectorum ratione, vocabulis quibusdam istis tribuunt significatum) alium Efficacem faciunt, Inefficacem alium; alium Absolutum, Conditionatum alium; alium Antecedentem, Consequentem alium; alium Generalem, Specialem alium. Nos verò, secundum antè demonstrata, non minimam partem pii istius sensûs ac religionis, quam creatura rationalis Deo suo debet, in eo consistere credimus, ut nullum Decretum agnoscatur Divinum, quod non à parte sui & Efficax sit, & Absolutum, & Antecedens, & Speciale.

mutabile, suspensum.

XVII. *Difficultates hìc occurrentes breviter discussæ.*

Neque ad admittenda in Deo ista multiplicium, ac suspensorum, ac mutabilium Decretorum commenta nos cogunt illa, quæ obmurmurat corruptæ rationis immodestia ac malesana subtilitas. Fatum Stoicum hac sententiâ induci, importunè vociferantur. Sed re verâ satis fatuè. Quid enim commune habet series causarum per sese ex invicem fluentium, ipsumque Deum involventium (ita enim Stoicos sensisse volunt. An benè? vel unus Seneca meritò dubitare facit) cum catena rerum, quæ nullam per se connexionem habere, sed omnem illam unicè debere asseritur liberrimo solius Dei concatenantis placito? Quin potius, quantum à Stoicismo pariter ac Epicureismo (uniuntur enim in hac chimæra duo hæc contradictoria) isti absint,

qui aliquam rebus ex ſeſe tribuunt futuritionem, citra diſponentis Dei arbitrium? equidem non video. Urgent, noſtram theſin abolere omnem contingentiam. Sed fruſtrâ. Ut enim res unaquæque in hoc contingens eſt, quod intrinſecam nullam habeat neceſſitatem, vel etiam nullam ex natura rei cum cauſis ſecundis & proximis connexionem, ita nihil ei detrahit abſoluta Dei voluntas. Interim ratione decernentis Dei nihil dici aut cogitari debere contingens, tam aſſerimus intrepidè, quam ſumus certi, nullam poſſe ponitalem contingentiam, quæ non tantundem ſecum trahat independentiæ; cujus vel ſpeciem creatura nulla admittit. Neque etiam mediorum uſum hoc pacto è medio tollimus. Non enim minus de mediis, eorumque cum fine connexione, ordinatum dicimus per Decretum, ac de fine ipſo. An verò medii tollitur neceſſitas, quando docetur, tantum per illud, juxta decretum, obtineri poſſe finem? Gravius eſt, quod objiciunt, abſoluto Decreto inferri neceſſitatem peccandi; eâque poſitâ, peccati culpam transferri ex creatura in Deum. Verùm omnis neceſſitas hæc extrinſeca duntaxat eſt, quæ non tollit ſpontaneitatem illam intrinſecam, quâ creatura facere non vult, quæ ſui officii eſſe novit, idque conſilio deliberato, ex propria malitia, nihil intuens divinum decretum. Nec denique naufragium patitur noſtra libertas. Non enim illa conſiſtit in indifferenti contingentia reſpectu Dei, quæ reverâ ſupremæ cujuſdam independentiæ eſt, ſed in rationali complacentia: at hæc magis ſtabiliri non poteſt, quam ſi immutabili decreto ſtatuatur definitum eſſe, non niſi cum tali complacentia hoc vel iſtud acturam fore creaturam rationalem.

XVIII. *Quâ modeſtiæ cautelâ hæc arcana Dei cogitanda.* Acquieſcet iſtis facilè devota Deo mens, cui arridet maximè ſobria ſapientia in illis quæ ſine timore atque tremore etiam cogitaſſe ſummum exiſtit nefas. Suam voluntatem divinæ pediſſequam mavult humiliter agnoſcere, quam abſurdo ludibrio Numini affingere voluntatem, quæ aliundè præſtoletur determinationem. Polluant non uno modo tantarum rerum myſteria ſophiſtæ; irrumpant in hæc adyta importunâ curioſitate temerarii; metiantur ad ſui ſensûs hebetudinem infinitam volendi vim ſtolidi: ipſa humi repere habet tutius, quam altius aſſurgendo.

gendo pennas amittere in sublimi, gravissimoque lapsu Icarii conatûs debitas luere pœnas. Nondum, quantum quæ sunt Dei excedant humana, intelligunt satis, qui non id unicè satagunt, ut quâ parte acies oculi caligat ad tantum splendorem, istic imprimis attendant, ne quam decernendi vilitatem transscribant Numini perfectissimo. Cæterùm utilior cura est, vias suas humili reverentiâ, &, quæ indè nascitur, piâ quâdam, ut ita dicam, securitate, commendare arbitrio Illius, à cujus nutu pendet quicquid rerum existit. Et satisfacit sibi hic facilè, qui revelatæ voluntatis legem religiosâ observantiâ unicam agnoscit & habet agendorum normam; quippe qui certus est, talibus non nisi faventissima esse occultæ voluntatis consilia. Plura scire, ut sua nihil refert, ita ea tutò mirari, quam cum periculo rimari, mavult. Confer *Exercit.* XVII. §. XVIII.

XIX. *Problematis, de Decreto Dei positivo circa non-futura brevis consideratio.*

Coronidis loco verbo tangendum nobilissimum Problema: Num Deus possibilia Non-futura tantum negativè non voluerit esse talia; an verò ea non-futura decreverit actu voluntatis non minus positivo, quam quo versatur circa ea quæ sunt futura? Nobis posterior sententia habetur verior, quippe quæ Decreti Divini perfectioni magis videtur congrua. Quandoquidem enim constat, possibilia quævis suâ naturâ esse (venia sit voci) decernibilia, quumque sit de conceptu Decreti perfectissimi ad omnia quæ objectum ejus esse queunt sese extendere, res ipsa loqui videtur, partem possibilium longè maximam, Non-futura puta, ab infiniti Decreti amplitudine minimè esse removendam. Et profectò, utì non-futurum plus dicit quam merum possibile, ita quoque aliquod non-futuritionis fundamentum, ultra id quod meræ possibilitatis est, venit agnoscendum. Id verò non sufficit sola decernendi non-actio; ea enim rem merè possibilem à non-futura qua tali non discernit, cum & antecedenter ad decretum in signo rationis circa purè possibilia considerari queat actionis decernendi negatio. Et quid si nil unquam extra se producere voluisset Deus; num ideò ab eo removendum foret omne decretum? Utique foret, nisi de non-futuris quoque id esse statuendum sit. Quumque indubium existat, Deum scire non-futura, quid aptius dicemus, quam cum illa scire vi decreti, quo ea talia voluit? Certè

nisi sic, id tandem cogitandum erit, necessum habere Deum lustrare quasi rerum vi decreti futurarum seriem, ut indè demum, quid non futurum sit, ex opposito concludat. Atquì à perfectissima scientia nimium alienus est talis cognoscendi modus. Adde, nullam dari viam compendiosiorem ad exitum dandum plerisque, iisque gravissimis, difficultatibus pro adstruenda Scientia Media adferri solitis, quam si cogitemus rerum non-futurarum, utì ipsam non-futuritionem, ita quoque nexus quosvis possibiles Deo vi sui Decreti existere exploratos. Quo dato, ridiculum prorsus est quicquid ex enunciationibus conditionatis res non-futuras spectantibus in hanc rem operosè adserunt Molinistæ, eorumque sequaces. Confer. *Exercitat. præcedent.* §. XVII.

EXERCITATIO VIGESIMA,

DE

DEO SANCTO.

SUMMARIUM.

I. *Virtutes quo sensu Deo tribuendæ; & earum à nostris discrimen.* II. *Sanctitatis Divinæ notio quid involvat?* III. *Dei Benignitas, Gratia, Misericordia, Amor.* IV. *Veracitas Divina explicata & asserta.* V. *Deum fallere posse, si velit; vel verbale mendacium proferre, absurdè dici, ostenditur.* VI. *Justitiæ Divinæ, nominatim Vindicativæ, brevis consideratio.* VII. *Deum, vi Justitiæ, non posse non punire peccata, monstratur.* VIII. *Palmariæ difficultati paucis obviam itur.*

I. *Virtutes quo sensu Deo tribuendæ; & earum à nostris discrimen.*



Uemadmodum ad creatæ Voluntatis debitam perfectionem pertinent VIRTUTES MORALES, ad promptam observantiam illius quod ex rectæ rationis dictamine bonum est atque honestum animum disponentes, ita nequaquam suprema hæc rationalis entis ornamenta Divinæ

Vo-

Voluntati sunt deneganda. Nimirum, dictaminis rationis sive æternæ legis, auctor atque conditor ipse Deus est; quippe qui unus ipse summa ratio est. Quod itaque Numen necessariò sibi placet in se ipso, id in nullo sibi placere potest, quod non sibi ipsi, tanquam summæ rationi, sit congruum. Scilicet, sibi placere in eis quæ sibi adversantur nequit, qui ipsi sibi simplicissimo adversari nequit. Interim quales sunt nostræ, tales etiam primi entis Virtutes esse, nequaquam cogitandum est. In creatura rationali eæ accessoriæ quædam qualitates sunt; quæ uti abesse quandoque prorsus possunt, sic quoque suam patiuntur per gradus intensionem ac remissionem. In Deo Virtus occurrit, quæ sit, non adventitium accidens, sed ipsa perfectissima Numinis voluntas, quatenus constantissimè ea vult quæ sibi existunt conformia. Vexata non minus atque celebris illa est Jurisconsultorum definitio, quâ ipsis discribitur Justitia, Constans voluntas jus suum cuique tribuendi. Haud perperàm qui accuratius philosophantur eruditi complures jam olim in ea notarunt, Virtutem nullam nostram, si exactè loqui velimus, dici posse ipsam nostram voluntatem, quandoquidem ea omnis quoddam illius existit adjunctum; ac tale, cujus haud illa est constantia, ut non sæpissimè in suo exercitio, etiam in optimo quoque, deficiat. De Deo secundum exactam verborum proprietatem solummodo dixeris, Virtutem ejus esse ipsam constantem ejusdem voluntatem. Tollit enim simplicitas Divina virtutem inter & essentiam discrimen; respuit immutabilitas ejusdem vel minimam inconstantiam. Quamobrem, qui non tam virtute præditum, quam potius nil nisi Virtutem Deum esse dixerit, Deo dignè loquetur. Ad hanc collata nostra virtus ejus vix umbram assequitur; dum quæ maxima nostra perfectio est, ut in nobis est, in Deum ne quidem cadere potest. Etiam quam dissimile Numen suis existit creaturis, in illis ipsis quoque, quorum ratione hæ imaginem illius gerere dicuntur! Ut virtutes intelligant neque suas, neque Dei, quos nostrarum, ita loquar, semi-virtutum imperfectiones Deo adscribere non pudet.

Cæterùm, universum Bonitatis istius Moralis in Numine complexum rectè unico Sanctitatis nomine comprehenditur; quo *II. Sanctitatis Divinæ no-*

 quo

tio quid involvat? quo aliud nihil intelligimus, quam ipsissimam illam constantem Divinæ voluntatis cum sua natura conformitatem, de qua jam diximus. Tantùm notandum, non duntaxat ipsum in se Sanctum esse Deum, sed & hanc Entis primi Sanctitatem alterius cujusvis Sanctitatis in rebus creatis normam primam existere, atque exemplar perfectissimum, in exacta affectuum conformatione cum illa divinæ rationis rectitudine imitandum. Qua una in re quemadmodum consistit creaturarum rationalium puritas omnis ac moralis integritas, ita imprimis hoc pacto quanta possunt assimilatione infinitæ bonitatis referunt imaginem, suamque summam obtinent perfectionem atque pulchritudinem. Sed de hisce alibi plura: nunc ad ipsius Dei Sanctitatem redeo. Ea variè sese exerens circa varia objecta variam plurium Virtutum subit denominationem. De earum in nobis diversitate disputant Ethici: sed ista contentio parum utilis visa fuit quibusdam, qui non absque ratione arbitrati fuerunt veram virtutem non nisi unam in homine reperiri. Ejus quicquid fuerit, hoc saltem loco de virtutum numero nil erit laborandum, ubi omnem veram pluralitatem secludit indivisa simplicissimi entis per omnia sui identitas. Atque indè distinctarum virtutum tantùm Deo tribuendam dixi denominationem. Omnem illam pertransire nec mentis nostræ est, nec hujus chartæ.

III.
Dei Benignitas, Gratia, Misericordia, Amor.

Paucis itaque tantùm attingemus nobilissimum illud par, Veracitatem scilicet, & Justitiam; duo illa omnis genuinæ pietatis ac cultûs Deo debiti columina firmissima & longè præcipua: nisi tertium adjungere velis, BENIGNITATEM. Est hæc, constans illa voluntas, quâ creaturis suis, in quantum à se sunt ac sibi conformes, benevult Deus. Quæ Benevolentia etiam GRATIA quandoque dicitur, etiam MISERICORDIA, etiam AMOR; ad indigitandam scilicet ejusdem vehementiam, simul & objectorum circa quæ se exerit varium statum. Sensus ejus fugere nequit aliquem, quem non planè fugit sua omnimoda à supremi Numinis liberrima dispensatione dependentia. Testis ejus locupletissimus ista Dei beneficentia, quâ, etsi suis contentus existeret opibus nostrique nihil indigus, suas tamen perfectiones, nullâ adactus naturæ necessitate, nullo obligatus meriti debito, ex pura bonitatis abundantia, modis tam infini-

tè variis, voluit liberalissimâ munificentiâ communicare rebus extra sese, homini præ omnibus illis. Sed cum magis ardua tractanda præ manu sint, non prosequimur rem facilioris studii, cujusque nimis quam manifesta in quovis Dei opere obvia sunt vestigia.

IV. *Veracitas Divina explicata & asserta.*

Ad VERACITATEM itaque Dei! Notat hæc constantem illam Dei voluntatem, quâ homini nihil unquam manifestat aut manifestare potest, quod non suæ menti simul ac rebus ipsis ad amussim sit conforme. Perindè vero est, num immediatè Deus aliquid manifestet, num in ista manifestatione certis quibusdam utatur signis. Quòd enim Veracitas nostra in signis potissimum eorumque cum mente nostra conformitate locum habeat, indè est, quod aliis nihil nos persuadere queamus absque signorum adminiculo. Eisdem frequenter utitur Deus; & quando utitur, signa semper exactè sunt conformia tum animi sensui, tum rebus ipsis: ut utramque veritatem & Ethicam & Logicam hac Veracitate comprehendi velimus. Et si de priori constiterit, nullum de posteriori poterit esse dubium reputanti animo suo ea, quæ de exacta rerum omnium cum intellectu divino congruentia diximus, quando de Intellectu divino diximus? Nunc ergò, numquid quod sit contra animi sensum Deus revelare queat? videndum est. An verò dubitari potest, utrum simplicissimus Deus loquens sibi eidem sentienti queat adversari? Manifesta certè ista foret Dei secum ipso pugna. Et quì possit summa ratio rationalem creaturam ad id credendum obligare, quod alienum est à rei veritate (quæ cum mente Dei pari passu ambulat) id est, quod alienum est à recta ratione, sive quod contrariatur lumini intelligendi quod Deus ipse rationali creaturæ indidit? Juberet ergò rationem à se conditam abnegare, si quod reverâ falsum est credere juberet. At tale quid juberet, si falsa revelaret: cum omnis revelatio Divina, simulac nobis patefit, vim obligandi ad credendum quod revelatur secum ferat. Imò, quæcunque excogitari queunt mendacitatis causæ, omnes eæ absunt longissimè ab ente perfectissimo. Nos Insipientiâ nostrâ atque Imprudentiâ ipsi falsum pro vero amplectentes utì haud rarò erramus, sic sæpè incauti alios nobiscum in errores trahimus: tale nihil pati Omniscientiam Dei, ela-

clarum est. Etiam Malitia sua atque veritatis odium ad falsum dicendum hominem nonnunquam impellunt; nec non invidia, jactantia, similesque pravi affectus: quos omnes procul habere primam Veritatem, Bonitatem, Sanctitatem, manifestum est. Denique Impotentia nostra, quâ fit ut scopum sæpè obtinere nequeamus, nisi dolo circumveniatur quicum nobis res est, mendacii saltem officiosi usum nobis commendare videtur, si non ut licitum, tamen ut quasi necessarium: sed neque istiusmodi necessitas urget Omnipotentem rerum gubernatorem, qui nutu suo flectit quarumcunque creaturarum voluntatem ad sibi præstitutos fines & scopos. Respuit itaque prorsus perfectissima natura divina, uti omnes falsiloquii causas, ità ipsam quoque, quamcunque fingas, mendacitatem.

V.
Deum fallere posse, si velit; vel verbale mendacium proferre, absurdè dici, ostenditur.

Quæ cum ita sint, mirandum profectò est, inveniri posse hodiè, qui tanquam sapientiæ haud vulgaris arcanum persuasissimum esse cupiunt, id pertinere ad suam Numini asserendam tum sapientiæ tum potentiæ infinitatem, ut credamus, nihil illi deesse ad struendam fallaciam, satisque eum habere sagacitatis ad consuendas artificiosè fraudes, ut Deus *fallere, si velit, possit.* Assertio certè cruda, neque assensum impetratura ullius, cujus non in dictata Cartesii sit obsequiosus magis affectus, quam pia ad Sanctissimi Dei Veracitatem attentio. Is (ut alia præteream ipsius hac parte placita) quando benè *negarat, Deum mentiri, vel esse deceptorem*, mox, quasi nimium dixisset, sese correcturus, ineptâ limitatione thesin universim verissimam absurdè restringit. Se enim, ait, *ibi de mendacio quod verbis exprimitur non fuisse locutum, &c.* Ut „nolit reprehendere illos, qui „concedunt Deum per Prophetas verbale aliquod mendacium „(qualia sunt illa Medicorum, quibus ægrotos decipiunt ut ip„sos curent, hoc est, in quo desit omnis malitia deceptionis) „proferre posse. Hoc si sit verum, nullum unquam Divinum lumen sive naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ, certam animis persuasionem ingenerare poterit, de infallibili rei patefactæ veritate. Si enim verbale mendacium, ad instar Medici, proferre possit Deus, quis, non id passim eum fecisse in plurimis, de quibus Rationis & Scripturarum lumine constare putamus, evicerit? Ad mendacium præcisè *verbale* hic recurrere nil juvat; quan-

quandoquidem qui verbis manifestare potest falsum, etiam quovis alio modo id potest. An vero ille hic fortè lateret (quod absit!) Atheismus, posse quidem Deum mentiri in Sacra Pagina, in qua signis *verbalibus* utitur; non autem in naturali ratione, in qua nobis res manifestat, ut illi volunt, per innatas ideas, sine verbali sermone? Horret animus tantæ blasphemiæ rimari mysteria. Interim, quid aliud quam hoc ipsum reverâ contendant ex illa cavea doctores, qui rotundè profitentur, S. Scripturam in rebus naturalibus sæpius loqui secundum erroneam vulgi opinionem? vix video. Verbis enim erroneis id proferre quod neque menti dicentis est conforme, neque rei consonum, quodque eo fine profertur ne quis in suo errore turbetur, est formaliter mentiri, sive *verbale mendacium* proferre; quum præter ista tria ad mendacium qualificatum, ut ita loquar, nihil amplius requiri videatur. Quantum enim ad damnum attinet, quod quis in mendacio alicui adferre intendit (in quo omnem mendacii malitiam ponere videtur Cartesius, utì docet exemplum Medici ab eo allatum) id ad mendacium qua tale nil pertinet: cum hoc idem etiam per veritatem quis intendere quandoque possit. Quam pulchrè interim de fide nostra mercantur, qui Divinis oraculis *verbalium mendaciorum* nubem istam offendunt, clarioribus scilicet Cartesii ideis dissipandam, viderint Theologi, queis istarum rerum custodia imprimis commissa est. Nos intrepidè asserimus, de nulla re naturali (alia alterius loci sunt) in tota Sacra Pagina extare enunciationem vel unicam, quæ non exactissimè cum accurata & Philosophica rei veritate queat conciliari. Verùm tanti est, reclamante Deo naturæ auctore, ista cudere pseudo-philosophemata, queis sua constare nequit veritas, nisi divina cadat auctoritas. Ajunt quidem isti (ut ad primam assertionem redeam) se duntaxat dicere, Deum fallere posse, si velit; at nunquam velle, nunquam velle posse. Verùm, etiam plus dicere, jam audivimus. Et, si vel hoc tantum dicerent, num ergò concipiendam in Deo potentiam arbitrantur, quæ voluntatis fræno coerceatur, ne in mendaciorum flagitia prorumpat? Apage impietatem! Planè non potest quod velle non potest, qui quod potest, non nisi rationaliter potest; id est, non nisi præeunte, ut intelle-

ctu, sic voluntate. Et quid dicis, posse, si velit, quem velle non posse constat, quod dicis posse? Pari jure dixeris, v.c. arborem posse loqui, si velit; quam id per naturam suam velle non posse, intelligis. Pudeat nugacissimæ vanitatis in re gravissima! cujus momentum aliquanto diutius hìc nos detinuit: quapropter alia quæ hujus loci sunt præterimus in præsens.

VI. *Justitiæ Divinæ, nominatim Vindicativæ, brevis consideratio.*

Ad JUSTITIAM Dei progredior, Constantem illam voluntatem id retribuendi creaturæ rationali, quod ipsius est secundum legem: nimirum, vel, post consummatam omnem ejus obedientiam, remunerando bonum, ex liberali pacto secundum gratuitam promissionem, quâ, supereminenti suæ bonitati convenienter, unicuique se tanquam summum bonum quærenti pollicitus est beatam sui fruitionem ac communionem; vel etiam, propter sanctissimæ legis violationem, pœnas irrogando, ex merito, secundum sanctionis pœnalis, legi adversus immorigeros ejus transgressores adjectæ; formulam. Ad debitam tantæ rei discussionem plura spectant, ardua non minus ac utilia, quàm quæ capit angustia hujus nostri tractatus. Quapropter de posteriori hac Justitia, quæ *Vindicativa* appellari consuevit, pauca dixisse erimus contenti. Objectum ejus duntaxat est creatura rationalis; quippe quæ una & legis argumentum, & legislatoris potestatem, & suam ad illum subjectionem, & denique qui ex transgressione resultat reatum, intelligere potest atque agnoscere. Neutiquam ergò, utì quibusdam visum fuit, huc pertinent bruta, quæ per ipsam suam naturam mentis expertem, utì non legis, sic nec pœnæ propriè dictæ, existunt capacia. Quin & jus infligendi pœnas ad solam creaturam peccatricem restringendum esse, clamat notio pœnæ, demeritum peccati evidenter supponens. Ut ad oppositam sententiam nimiùm forsan accedere videantur, qui, jure quodam dominii, innocentem etiam creaturam malis tristibns affligere posse Deum, contendunt. Quasi id ferat conformitas cum beatissimo Numine! quasi infinitæ bonitati congruum sit, odisse opera manuum suarum! quasi deceat justissimum judicem adeo non dispari modo habere hactenus fidelem suæ Majestatis cultorem atque improbum perduellem! Cæterùm jus pœnas sumendi à legis suæ transgressoribus Deo competere, nemo negare potest, qui non voluerit

luerit planè tollere è medio dominium Dei in creaturam rationalem, atque hujus ab illo moralem dependentiam. Etenim quæ cogitari potest suprema potestas legislatoria, quæ non armata sit pari potestate legis executoriâ? Sine hac nullam veram vim obligandi illa haberet: absque ea enim liberum foret unicuique ei sese subducere impunè, atque ita re verâ à legis observantia sese suo arbitrio, ut ita dicam, dispensare. Quàm itaque evidens est creaturarum rationalium dependentia in genere moris, tam per se clarum est jus hoc Dei, tanquam dependentiæ istius vinculum necessarium atque insolubile.

VII. *Deum vi Justitiæ non posse non punire peccata, monstratur.*

Ita quidem facilè intelligitur ex natura τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, quo qui æternam legem transgrediuntur approportionatâ tanto delicto pœnâ existunt digni. An verò tales aliquando ipso facto, sic exigente naturâ divina, sint necessariò puniendi? quæstio gravis est ac tremenda. Istuc redit res omnis: An ex libera voluntatis indifferentia, per absolutam potentiam, Deus remittere queat peccata citra satisfactionem; an verò, posito peccato, Justitiæ Vindicativæ exercitium per naturam Dei sit prorsus necessarium? De absoluta potentia sermo est: non de ordinata, juxta decretum; de qua lis nulla esse potest inter orthodoxos. Iterùm, de ipsa pœna quæstio est: non de ejusdem vel modo, vel gradu, vel tempore; in quibus omnibus ex æquo atque sapienter dispensandis plurimam valere Dei tum Clementiam, tum Dominium, omnes etiam lubenter agnoscunt. Istis suppositis restrictionibus, propositæ quæstionis partem posteriorem tenendam arbitramur, utpote maximè congruam & sanctissimæ naturæ divinæ, & omnimodæ creaturarum dependentiæ, & denique nostræ fidei mysteriis. Rejectis benè multis quæ huc pertinent in aliam occasionem, unam breviter adferam rationem, quæ quidem nobis invicta esse videtur atque instar omnium. Non posse esse creaturam rationalem absque obligatione ad colendum Deum tanquam talem, per se claret. Obligationem hanc derivandam esse haud aliundè quam à lege, non minus manifestum est. Legem absque sanctione pœnali legem non esse, sed potius consilium, liquet, quia eâ non additâ impunè licet vivere arbitrio, non legis, sed suo. Jam ergò commisso peccato, eoque sine satisfactione re-

 misso,

misso, quærere lubet, quo demùm pacto tali in casu peccatrix creatura maneat sublex? Non certè ratione obedientiæ activæ; ab ea enim peccator peccando defecit, & factum infectum fieri nequit. Non etiam ratione obedientiæ passivæ; reatum enim cum pœna remissum supponimus. Ecce! renunciat creatura obligationi legis quod ad observantiam activam, peccando; renunciat Deus obligationi legis quoad pœnam, remittendo: soluto itaque utroque hoc obligationis vinculo, præter quod tertium non datur, solvitur re verâ actus aliquis moralis alicujus creaturæ ab omni obligatione legis divinæ. Hoc cum fieri nequeat citra abnegationem divinæ excellentiæ, manifestum est, etiam peccata impunita remittere, Deo haud esse possibile.

VIII. *Palmariæ difficultati paucis obviam itur.*

Ad quæ quod regeri possit, ego quidem nihil planè video. Objectiones omnes sigillatim excutere, non finit brevitas. Interim hoc ipso nostro argumento jam suppeditavimus, quo facilè prosternitur fortissimus ille pro adversa sententia Hercules. Actiones Dei, ajunt, ad extra, quas inter est punitio, sunt indifferenter liberæ. Verum abusus canonis verbo detegitur. Etiam legislatio procul dubio actio Dei ad extra est. An ergò indifferenter quoque libera? Imò libera: sed quo pacto? Ab æterno indifferenter liberum erat Deo hominem condere, aut non-condere; consequenter etiam, legem ferre, aut non-ferre. Verum, posito jam conditum esse, neutiquam moralis ejus dependentia Deo relinquit indifferenter liberam legislationem. Pari ratione, peccatum permittere, aut non- permittere, Deo ab æterno fuit indifferens; atque hactenus etiam punire; aut non-punire. Sed, posito peccato, non jam quod per se liberum erat Deo, scilicet punire, indifferens ei relinquit moralis creaturæ rationalis à Deo dependentia: utì demonstravimus. Alia & plura qui cupit, consulendus illi Gisbertus Voetius, Præceptor quondam noster & Collega memoriæ perquam venerandæ, qui egregium hac parte accurationis experimentum dedit in sua Diatriba de Jure & Justitia Dei, quæ extat Select. Disp. Part. Primâ. Absolvo isto Virgiliano:

Discite Justitiam moniti, & non temnere Numen!

EX-

EXERCITATIO VIGESIMA-PRIMA,

DE

DEO POTENTE.

SVMMARIVM.

I. *Potentiæ cum Intellectu & Voluntate Dei connexæ demonstratio.* II. *Ejus interim à Voluntate Divina distinctio rationibus adstructa.* III. *Atque à difficultatibus quibusdam vindicata.* IV. *Potentia Deo asserta Simplex, Independens, Infinita, Irresistibilis.* V. *Divinam Potentiam nulli posse fieri communem.* VI. *Objectum Divinæ virtutis neque Deus ipse, neque contradictoria.* VII. *Possibilitas rei quâ talis nihil reale est, sed denominatio tantum externa.* VIII. *Radix proxima Possibilium est Dei Potentia; prima, Intellectus ejusdem.* IX. *Potentiæ Divinæ in Absolutam & Ordinatam divisio explicata & asserta.*



D considerandam supremi Numinis POTENTIAM progredimur: Sufficientiam istam viventis Dei, quâ extra sese ponere quæcunque perfectissimæ rationi haud repugnant ei est promptissimum. Tantam videlicet possidet Ens perfectissimum Sufficientiæ abundantiam, ut non duntaxat ipsi sibi infinito sufficiat, sed &, quia sibi infinito, producendæ cuivis alteri finitæ entitati, quæ præter ipsum vel concipi potest. Quæ tamen, nequis erret, ratione plurimùm dispari intelligenda veniunt. Etenim quæcunque possibilis est præter Deum bonitas, per omnia dependentiam I. *Potentiæ cum Intellectu & Voluntate Dei connexæ demonstratio.*

notat ab ista prima Sufficientia, tanquam à fonte suo ac causa suprema: quâ verò sibi Numen sufficit Sufficientia, propter ipsam suam independentiam, omnem cujuscunque causalitatis notionem atque vel umbram removet à sese quam longissimè. Commodùm autem hujus Attributi tractationem ei quæ fuit Divinæ Voluntatis subjicimus, quando nihil unquam ipso facto extra Deum ponit Potentia, de quo non jam antè æterno Voluntatis decreto penes Deum exactè fuerit prædefinitum. Quid? quod efficax atque independens suique juris intelligi nequeat voluntas, quæ non comitem habere cogitatur tantam in exequendo virtutis facilitatem, quantam habet in formando consilio tum sapientiam tum constantiam. Adeò cum Intellectu & Voluntate perfectissima connexa est Potentia, ut priora ritè in Deo non agnoscat, qui de posteriori quoquo modo dubitat. Quin, quisquis non Deum negat, Potentem Deum neget nemo: tam existit manifestum, independentiam id nequaquam possidere atque perfectionis infinitatem, quod non sibi suâ virtute quidvis subjicere valet, potentique efficientiâ quicquid extra se perfectionis esse potest ex sui ipsius perfectione derivare sufficiens est. Et quæ ulla dependentium causarum dari queat Potentia, quæ non ultimâ analysi in causam causarum primam & independentem debeat tandem resolvi? Non id nescivērunt Gentiles; quando quem supremum hominumque Deûmque *Patrem* finxerunt, eundem passim *Omnipotentem* celebrarunt.

II. *Ejus interim à Voluntate divina distinctio rationibus adstructa:*

Etsi verò cohæreat indivisim cum perfectissimo Intellectu & Voluntate Potentia perfectissima, attendendum tamen est quam diligentissimè, ne pro modo concipiendi nostro conceptus hujus cum notione alterutrius illorum confundatur. Perperàm id agunt, cum Scholasticis qnibusdam, novellæ sapientiæ antistites. Quandò scilicet ex præconcepta opinione istam Dei formarunt ideam, quæ nihil menti exhibeat præter meram cogitationem perfectissimam, quæque omnis intelligendo ac volendo absolvatur, non nisi alterutro modo Deum extra se actuosum esse posse, sequitur: quamobrem & quævis actio Dei transiens eisdem nihil esse dicitur, præter efficacem ejusdem voluntatem. Verùm non unam hæc sententia involvit absurditatem. Dictum jam est Divinæ Potentiæ conceptum ad eum

qui

qui Omnisufficientiæ est prorsus pertinere. Hanc autem à Voluntate Dei distinctum attributum esse, nemo inficias ire potest, cui non lubitum fuerit mirâ confusione universam Divinæ perfectionis infinitatem, quæ Omnisufficientiæ existit basis, solius voluntatis notione absolvere. Adde, quòd jam ab æterno voluerit quæcunque sunt aut erunt, etiam cum non-fuerunt, omnisque adeò volentia actio immanens sit, per se nihil actu constituens extra Deum; cum contrà actuale Potentiæ exercitium rem ponat ipso facto existentem: qui modus operandi ratione effectorum diversissimus nisi sufficiat fundandæ distinctioni rationis ratiocinatæ, ut vocant, Potentiam inter & Voluntatem, haud scio, quid tandem remansurum sit cujus intuitu attributa Divina ab invicem distinguere licuerit. Neque hoc tantùm: etiam actuosa Dei voluntas circa non-entia versatur; illa quoque quæ nullam unquam habitura sunt actualem existentiam, qualia sunt non-futura, quippe quæ ideò talia, quia ad hunc statum positivo decreto sunt determinata. Jam verò quærere lubet, num asserendum etiam videatur, Deum ab æterno actuosâ suâ Omnipotentiâ id fecisse, ut eorum multa, quæ esse possunt, sint non-futura? Ita scilicet actuale Omnipotentiæ exercitium in nihilum tandem terminari poterit, nisi à Voluntate distinguatur. Porrò, in Sacris sæpius ea Deus posse dicitur expresse, quæ tamen haud eum voluisse experientiâ constat. Quis huic rei, sine Voluntatis à Potentia distinctione, dabitur exitus? Imò, & sese velle Deum modo perfectissimo, jam demonstravimus. Quumque potuisset Deus, si ita visum fuisset, pro liberrimo placito, se tantum velle, nec quicquam præter se, potuisset utique actuosa esse Voluntas citra exercitium Potentiæ. Nisi quoque hæc philosophatio contendere velit, Numen haud minus sese posse ac velle. Sileo monstrificorum conceptuum syrma, quod ista Potentiæ divinæ cum Voluntate confusio secum trahit insolubili nexu; qualia sunt, v. c. Omne possibile esse futurum; quodque futurum non est neque idem possibile esse. Adeoque &, possibile potuisse fieri impossibile, atque impossibile possibile. Hinc, potuisse etiam Deum efficere ut duo contradictoria sint vera. Cum, ante decretum nihil debeat dici possibile.

bile. Sic ut, omnis Dei ſcientia viſionis dici debeat, quatenus ad res extra Deum refertur. Iſta ſimiliaque multa, quibus univerſa rei Theologicæ facies immutatur, tueri neceſſe habent, atque reipsâ etiam hodiè tuentur, qui Potentiam Dei à Voluntate nullâ parte diſtinctam eſſe contendunt. Deniquè, niſi quæ ſit inter illa duo differitas, haud equidem capio, quo demùm pacto iſti Doctores aſſerant, Deum poſſe facere ut contradictoria ſint vera, ſi velit; fallere poſſe, ſi velit; &c. An verò muſteâ ſubtilitate dicendum erit, Deum velle iſta, ſi velit; aut, poſſe, ſi poſſit? Num potius inauditâ abſurditate contendent, Deum etiam velle facere contradictoria, etiam velle fallere? Utique; ſi dicendus ſit ea poſſe, atque inter poſſe ac velle Dei diſtinguendum non veniat.

III. *Atque à difficultatibus quibuſdam vindicata.*

Neque metuendum eſt, ne, ſi admittatur inter divinam Voluntatem & Potentiam quam urgemus differentia, ſequatur, voluntatem Dei inefficacem eſſe; quippe quæ per ſe nihil ponat, ſed à Potentia ad agendum debeat applicari. Utì enim Intellectus non ideò inefficax dici debet, quòd Deus tantum intelligendo nullum opus externum efficit, ita nullo majori jure id de Voluntate cogitare licet. Eſt ſua, ut Intellectùs divini, ita quoque Voluntatis, ſi ſic loqui lubet, efficacia in hoc, quod nullâ unquam parte aut iſte in præcognita rerum certitudine fallatur, aut hæc in prædeterminata earundem futuritione fruſtretur: idque eo ipſo, quòd omnia per inſuperabilem infinitæ Potentiæ actuoſitatem talia reipsâ ſuo tempore conſtituantur extra Deum, qualia ab æterno ea, quemadmodum decrevit, ita præſcivit. Quod ſi inefficacem quis idcircò Voluntatem divinam appellare voluerit, quòd non ipſa immediatè ponat rerum exiſtentiam ſimpliciter volendo, viderit is, ne pari ſequelâ eandem inſipientem arguat, propterea quòd non Voluntas res præſciat, formaliter loquendo, ſed Intellectus. Fortior non eſt objectiuncula, quâ inferunt, omnia Dei opera paſſim referri ad ejuſdem Voluntatem, tanquam ad cauſam ſuam & fontem. Hoc enim ut concedimus, ita nullam videmus rationem, ob quam opponi debeant hoc loco, quæ re verâ ſubordinata quaſi ſunt. Utiquè per Voluntatem ſuam res producit, qui citra ejus decretum nil producit; quique cum volentiæ ſuæ nutu conjungit effi-

efficientiam ſuæ manûs. Scilicet, etiam Sapientiâ ſuâ Numen agere quicquid agit haud abſurdè dixeris, quatenus *cuncta ſuperno ducit ab exemplo*. Sit ergò imperans rerum omnium principium Voluntas divina! Sed non id obſtat, quo minùs exſequens principium ſtatuatur Potentia: utì dirigens principium Intellectus eſt. Neque multùm moramur difficultatem, quam occurrere ajunt in concipienda aliqua actuoſitate cauſæ primæ, quæ non ſit ipſa volitio. Ut enim nos minimè ii ſumus, qui rerum omnium, etiam divinarum, claras ac diſtinctas jactamus ideas, ita facilè damus, modum operandi infinitè perfectum à finito ingeniolo exhauriri non poſſe. Quo tamen minimè compellimur, ad ea confundenda, quæ ſuo modo diſtinguenda eſſe, non una ratio efficaciter evincit. Imprimis, cum nec ipſi adverſarii ſatis explicare queant, quo pacto tantùm volendo Deus res extra ſeſe conſtituat. Verùm deſino addere plura, cum jam dudum in his ſim prolixior. Sed aliquanto diligentius confutandus erat error, cui multi alii haud levis momenti ſuam debent orginem.

Itaquè poſſe Deum, conſtat; & ſic quidem, ut poſſe ejuſdem non ſit ipſum velle. Quod tamen accipiendum tantùm eſt pro eo concipiendi modo, quo ſeſe iſta duo menti noſtræ offerunt. A parte rei enim adeo reſpuit divina ſimplicitas omnium plurium verè diſtinctorum diverſitatem, ut fatendum ſit, Potentiam Dei eſſe ipſam actuoſam ejus eſſentiam, quatenus ea ſufficit coëxiſtentem ſibi ponere creaturam quamcunque. Abſit ergò ut perfici concipiatur ab ullo ſuperaccedente actu; quales ſunt vel habitus in operando facilitantes, vel actus ſecundi quibus ab otio ad exercitium tranſit agendi facultas, vel qualeſcunque modificationes aut determinationes undecunquè oriundæ. Eſtque ea haud minima Numinis perfectio, quòd etiam in operando actus purus ſit, atque agens per eſſentiam; quam qui quocunque modo ad creaturas transferre conaretur, in entis ſimpliciſſimi eminentiam injurius is nimiùm foret. Etſi enim cum quibuſdam ſentiam, nullâ ſufficienti ratione demonſtrari poſſe, potentias rerum creatarum ab eſſentiis earundem reapſe differre; ipſæ tamen haud exeunt in actum abſque multiplici mutatione, dum in operatione ab habitibus juvantur, ab obje-

IV. *Potentia Deo aſſerta Simplex, Independens, Infinita, Irreſiſtibilis.*

ctis moventur, ac deniquè quiescunt modo, pro re nata, modo operantur. Quod discrimen inter illam Dei Potentiam ac nostram accuratè notandum, ut quod subindè humano modo de Deo cogitamus, non nisi Deo dignè huic tribuendum esse, probè discamus. Interim non simplicissima tantum sed imprimis quoque independens agnoscenda est divina virtus; ut nullum sibi hìc locum vendicet vel ratio motiva quâ ad agendum extrinsecùs excitetur, vel causarum instrumentalium in efficiendo necessitas. Supervacaneum foret id hoc loco adstruere, quando jam antè pluribus evicimus, nihil divinum dici debere, quod non omni modo sit independens. Cumque pariter demonstratum sit, indivisim connexa esse independentiam & infinitatem, non minus infinita quam independens Dei virtus æstimanda est. Infinita scilicet omni modo, sive ipsam ejus perfectionem inexhaustam spectes secundum se, sive modum operandi impervestigabilem, sive immensam rerum producibilium amplitudinem. Testis existit hæc ipsa *visibilis creatura, jam inde à mundo condito manifestans æternam* sui Creatoris ut *Divinitatem* sic *Potentiam*: quemadmodum alibi instituit Gentium Doctor. Quæ cum ità sint, nullam excogitare datur resistentiam, quæ Deo, exercere volenti eam quâ pollet independentis virtutis infinitatem, obicem ponere, vel moram ullam injicere queat aut difficultatem. Estque hæc victricis Potentiæ divinæ irresistibilitas, juncta cum æterno immutabilis Voluntatis consilio, atque absoluta infallibilis Præscientiæ certitudine, unicum omnis sanioris Theologiæ palladium: quo salvo, salva demum sua existit primæ causæ independens activitas, atque intemerata sua primo motori potestas atque gloria.

V. *Divinam Potentiam nulli posse fieri communem.*

Quandoquidem verò talis est Divina Potentia, qualem jam delineavimus, per se liquidissimum est, haud alteri cuicunque eam esse communicabilem. Non enim illa quæ Dei est communicata dici potest, nisi communicata sit & simplicissima, & independens, & infinita, & denique ea cujus unica radix est inexhausta Omnisufficientiæ plenitudo. Talia creaturæ transscribere quis potest, qui non prorsus confundere velit, illius cum ea quæ Dei est, notionem? Imò, neque finitum subjectum infinitæ virtutis capax est, nec infinita virtus ab infinita natu-

natura ſeparabilis eſſe poteſt. Ut mirum profectò ſit, chimæricum iſtiuſmodi conceptum etiam Doctoribus quibuſdam Chriſtianis in mentem venire potuiſſe. Quæ iſti objiciunt de myſtica duarum naturarum in Domino Jeſu unione, deque ea, quam indè fluere opinantur, idiomatum communicatione reali à natura ad naturam, cum fori Theologici ſint, prætereo. Verbo expedienda difficultas alia, oriunda ex operibus ſphæram finitæ activitatis longiſſimè excedentibus, quæ tamen etiam creaturas quaſdam produxiſſe credimus, hiſtoriæ Sacræ divinâ fide perſuaſi. Sed notandum, illam miraculorum ſtrictè dictorum patrationem ad virtutem propriam cauſarum ſecundarum, earundemque efficientiam realem referendam minimè eſſe; ſed omnem, quæ in effecti miraculoſi productione exeritur phyſica activitas, eſſe unius Dei: quippe qui ſolus, tanquam naturæ univerſæ auctor & dominus ſupremus, hujus legibus non adſtringitur; atque ideò de eiſdem ex plenitudine poteſtatis pro arbitrio diſpenſare poteſt. Id illius nequaqam eſſe, quod tanquam creatum naturæ legibus ſubeſt, res ipſa loquitur. Et tamen, fateor, hominibus quibuſdam miracula iſtiuſmodi paſſim tribuuntur. Neque ſine cauſa. Cooperati ſcilicet ſunt ii circa miraculi patrationem. moralem ſaltem quandam cauſalitatem exercendo, ſubjectum ad ejus fidem diſponendo, divinas promiſſiones applicando, complementum earum Deum flagitando, ſymbolo quopiam prodigia obſignando, ſimilibuſque aliis operandi modis, quibus, ſi propriè loqui voluerimus, miraculi patratio veſtitur potius, quam ipſo facto cauſatur. Ut nihil hic compareat, quod, quatenus ad creaturam pertinet, non ſit finitæ potentiæ, quodve quicquam detrahat eis, quæ pro vindicanda ſoli Deo Omnipotentiæ gloria adduximus.

VI. *Objectum divinæ virtutis neque Deus ipſe, neque contradictoria.*

Nunc, quænam iſta ſint quæ infinitâ ſuâ Virtute poſſit Deus? ordine nobis expendendum venit. Innuebam id jam ab initio, quando ajebam, per Potentiam Deo promptiſſimum eſſe extra ſeſe ponere, quæcunque perfectiſſimæ rationi haud repugnant. Scilicet, ea duntaxat divinæ Potentiæ objiciuntur, quæ extra Deum exiſtere apta ſunt: ut circa ſemetipſum aut proprias ſuas perfectiones potentiæ ſuæ exercitio actuoſum Numen concipi nequaquam debeat. Etenim, quandoquidem omnis vis

activa cogitanda necessariò est tanquam causalitas quæpiam, omnisque causa causato suo naturâ existit prior, quis non videt, rationi planè adversum esse, siquis statuat entis alicujus attributum, qualis est Potentia, ipsius sui subjecti essentiam vel procreare posse vel conservare? Ut liqueat, quam hac parte clarè & distinctè philosophetur Cartesius, quando nihil dubitat, Dei *Potentiam tam exsuperantem agnoscere, ut planè sit causa cur ille esse perseveret*; quia videlicet, *in quo tantum est potentiæ, ut rem extra se positam conservet, omnino tanto magis se ipsum sua propria potentia conservat.* Profectò, vel absona ista nimium vox est, vel absurdissima assertio! Verùm de hisce etiam actum nobis retrò, *Exercit.* IV. §. 11. Tantum ergò objecta extra Deum respicit de qua agimus Potentia. Sed quæ illa? Dixi, quæcunque rationi perfectissimæ haud repugnant; sive, quorum ideam Deus in sua mente gerit; qualia sunt absolutè omnia omninò quæ concipi queunt citra contradictionem, seu mutuam prædicatorum essentialium repugnantiam. Quæ enim usquè adeò incompatibilia sunt prædicata, ut intellectui ne quidem repræsentari possint, istæc omnia à Potentia divina secludimus, ob ipsam ejus perfectionem. Ob ipsam, inquam, divinæ virtutis perfectionem: quippe quæ non sinit eam cogitare ad instar bruti impetûs; quo pacto tamen concipienda foret, si quod intelligere nequit producere posset Deus. Ut nefas sit primæ rationi tribuere Virtutem, quæ citra prævium intellectûs actum, quicquam quod non mente conceperit, formare queat. Atque hìc iterum ad partes vocandus foret Cartesius; ex cujus mente, *liquet, Deum non potuisse determinari ad faciendum, ut verum foret, quod contradictoria nequeant esse simul*; *ac proinde, potuisse illum statuere contrarium.* Verùm, quam sit absurdum hoc Weigelianæ sapientiæ mysterium, nunc non ostendam, qui jam dudum plurimis instantiis urgentissimis id præstiti *Exercitat.* peculiari, quâ expendebam, *An Deus possit contradictoria?* In illo labore brevitatis causa in præsens acquiesco.

VII *Possibilitas rei quâ talis nihil reale est, sed de-*

Ex dictis concludere licet, quid statuendum sit de rerum Possibilitate, ejusque Radice seu fundamento; de quibus tot difficiles nugas tradunt Scholastici Doctores. Ipsa videlicet rei possibilitas per se spectata aliud nihil notat, quam puram putam de-

denominationem, desumptam à potentia causæ, cujus efficientiâ id quod possibile dicitur aptum est transire à non-esse ad esse. Quæ denominatio cum à parte rei possibilis nihil reale sit, sed meram tantum dicat relationem, rectè ratiocinari hoc loco videntur, qui possibilia quamdiu non existunt non-entibus annumerant; planè ad instar rerum futurarum, quæ quamdiu & in quantum merè futuræ sunt, nihil reale continent, sed denominationem duntaxat à divinæ voluntatis decreto derivandam. Quapropter frustrà entitas quæpiam fingitur nominalis, quæ rebus possibilibus æquè ac existentibus sit communis; frustrà ab essentia existentia distinguitur, ut illa etiam possibilibus, hæc eis solummodò quæ extra causas posita sunt, convenire dicatur; frustrà, ut verbo absolvam, tam immensâ inutilium notionum hùc pertinentium multitudine nimiùm oneratur, ac bonam partem sterilis atque fœda redditur pars Philosophiæ nobilissima, omniumque facilè princeps, Metaphysica. *[De]nominatio tantum externa.*

VIII. *Radix proxima Possibilium est Dei Potentia; prima, Intellectus ejusdem.*

Clarum est ex allatis, ut ad rem redeam, proximum omnis possibilitatis fundamentum esse causæ primæ atque universalis Potentiam activam: ut ideò quid sit habendum possibile, quia id Deus suâ potentiâ producere potest. Verùm, an hìc prorsus subsistendum sit, num verò aliqua ratio prior reddi queat, cur hoc Deus possit, illud non possit? nova quæstio est. Nos sanè ex iis quæ jam de Dei potentia disseruimus clarere omninò arbitramur, reddi posse ac debere. Est nimirum Idea in mente divina rerum producibilium principium dirigens, Potentia exequens: consequenter, quemadmodum, saltem pro modo concipiendi, in causa rationali ordine naturæ prius est rem concipere, quam producere, ità quoque prius erit rem concipi posse, quam produci posse. Si itaque quæras, quid pro primo, sive ultimo, ut appellare lubet, possibilitatis fundamento sit habendum, respondemus, id esse Intellectum divinum, quatenus is horum aut illorum prædicatorum est repræsentativus. Ut si accuratè philosophari cupiamus, dicendum sit, rem quampiam esse possibilem, quia Deus eam potest producere; posse autem Deum eam producere, quia in ejusdem idea in divina mente nulla involvitur contradictio. Atque hoc sensu possibilitatem hanc, quam vocant intrinsecam, illâ, quæ extrinseca dicitur, priorem esse, apertum

tum est. Solet fermè hoc loco de his atque istis singularibus rebus disquiri, num eas posse dicendus sit Deus, nec ne? Verum quum major harum quæstionum pars parùm utilis sit, saltem plus justo curiosa, nos secundum ea quæ jam demonstrata sunt, tutissimum habemus, unam duntaxat regulam hanc generalem probè observasse: Quæcunque contradictionem non involvere certò constat, ea Deum posse, docet ejus Sufficientia; quæ eam involvere omninò certum est, ea non posse Deum, docet ejusdem Sapientia; de quibus non clarè liquet, temerarium est atque profanum in alterutram partem definire. Nominatim, de ultimo possibili, num id à Deo produci ipso facto possit? disputant. In controverso sensu negandum videtur. Certè, quotcunque & quantascunque res creatas Deus unquam produxerit, eas omnes suâ naturâ finitas semper esse, necessum est. Ab altera parte, tanta Dei est Potentia, quanta ejus existit perfectio, id est, infinita. Quumque finiti ad infinitum nulla sit proportio, concludendum restat, nunquam perfectionum creatarum amplitudinem existere posse tantam, quæ re ipsâ adæquata sit immensæ virtuti Divinæ, sicque hujus plenitudinem exhauriat.

IX. *Potentiæ Divinæ in Absolutam & Ordinatam divisio explicata & asserta.*

Cæterùm, quo rectius percipiatur, quem ad modum eadem res Deo quandoque possibilis pariter atque impossibilis dici queat, notanda venit Potentiæ divinæ distinctio vulgaris, quâ in Absolutam & Ordinatam dispescitur. Illa meram Dei Sufficientiam significat, quatenus ejus vi existere potest id omne quodcunque in primæ causæ intellectu non involvit contradictionem; nullamque ea relationem ad decretum connotat, quandoquidem pro modo concipiendi actum voluntatis decernentis antecedit, dum ei suum objectum, puta merè possibilia, substernit. Hæc notat Sufficientiam Divinam, quatenus per eam re ipsâ aliquando sunt ponenda quæ æterno decreto ad existentiæ statum determinata sunt; sive notat virtutis divinæ determinationem, ad illa certa possibilium genera actuanda, quæ liberrimo voluntatis placito à se facienda fore Deus ordinavit. Ex quo apparet, plurima nunc ipso facto Deo esse impossibilia, ex hypothesi scilicet immutabilis decreti & infallibilis præscientiæ, imò etiam prædictionis nonnunquam, quæ eadem, si meram

Numi-

Numinis Potentiam spectes, secundum sese possibilia dici debent. Parco exemplis, etiam in Sacris obviis. Non nescio, hanc Potentiæ divisionem improbari hodiè quibusdam, qui mallent omne possibilitatis negotium ità in solidum ad Dei Voluntatem referre, ut illius solius determinationi tribuendum foret, quod hæc vel ista res possibilis sit, alia non item. Verùm nos, utì voluntatem complacentiæ minimè hinc secludimus, sic opinamur, in concipiendis possibilibus tanquam talibus nullas Decreto partes esse, sed solius Intellectûs ac Potentiæ divinæ considerationem sufficere. Cum ipsa namque perfectione causæ primæ, à se intellectâ tanquam quomodocunque expressibili extra se, possibilia immediatè cohærent. Quumque istam perfectionem suam Ens primum non possideat aut intelligat vi decreti, etiam possibilia vi decreti non sunt facta talia. Sed jam §. 11. inter alia allata sunt plurima, quæ hùc transferre, ad distinctionis hujus tum utilitatem tum necessitatem confirmandam, vel leviter attendenti fuerit facillimum.

EXERCITATIO VIGESIMA-SECUNDA,

DE

DEI MAJESTATE

ET

BEATITUDINE.

SUMMARIUM.

I. *Majestas Dei conspicua in absoluto & independenti Ejus in quævis Dominio.* II. *Dominium Dei concipiendum non nisi sanctissimum; & in sola Ejus per-*

perfectione fundatum. III. *Dominium Dei Morale per Legislationem, ejusdemque Executionem.* IV. *Non omnem Legem nobis Moralem fluere ex ipsa Dei natura.* V. *Majestatem Dei non ritè aestimari nisi humillimo venerationis affectu.* VI. *Beatitudo Dei tanta quanta in Eo perfectionis plenitudo.*

I. *Majestas Dei conspicua in absoluto & independenti Ejus in quaevis Dominio.*



Uum ergò non quantae sunt vires Divinae Omnipotentiae tanta sit ejusdem efficientia, verùm infinita possibilium multitudo in abysso perfectionis primae causae sit relicta, atque illa ipsa quae ex ea educuntur ratione attributorum & circumstantiarum existere possent modis longè diversis ab eis quibus nunc actu existunt, de tanti selectûs origine meritò cogitatur. Et quam illam dabimus aliam, praeter absolutissimam Numinis *Potestatem*? ad quam idcircò nonnihil nobis hìc subsistendum est. Per eam intelligimus, supremum jus disponendi de rebus quibuscunque tanquam suis pro liberrimo voluntatis divinae placito. Cujus Dominii independentia quandoquidem legis omnis ab alio praescriptae prorsus est impatiens, ipsumque coruscat stupendâ incomprehensibilis Gloriae effulgentiâ, Potestas haec Dei, sumtâ voce in sensu plenissimo ac maximè emphatico, MAJESTAS rectissimè nuncupatur. Eam Deo convenire, tam evidens est, ut vix sit operae pretium de eo disquirere. Deum solum independentem esse, jam olim demonstravimus. Tantum ergò caetera omnia habent dependentiae à Numine, quantum habent perfectionis; atque ideo totum quod sunt Dei sui sunt. Notissimum verò, unicuique in rem suam competere jus ac potestatem de ea faciendi quod lubet. Undè nec enti perfectissimo haec praerogativa est deneganda. Ex quo simul facilè colligitur, infinitum esse hoc Dei Dominium. Sic postulat infinita Dei perfectio, sic dependens creaturarum natura, quae non sinit quicquam earum subduci arbitrio illius, cujus merâ munificentiâ sunt id omne quod sunt.

Fateor,

II. *Dominium Dei concipiendum non nisi sanctissimum, & in sola Ejus perfectione fundatum.*

Fateor, non ad istos actus extendenda Numinis Potestas, quibus ipsum suæ Sanctitati, aliisve perfectionibus, adversaretur. Non tamen ideò infinitè perfecta esse desinit. Utì enim perfectioni alicui adversari maxima imperfectio est, ità id demum habendum omni modo perfectum, quod suâ naturâ nulli perfectioni repugnare potest. Ex quo sequitur, quum primi entis Sanctitas & Potestas pari passu ambulent, etiam Potentiam ejus & Potestatem æquè latè patere; ut quantæ sunt in Deo vires tantum sit jus, & quantum vicissim jus ejus tantæ pariter vires. Atque hoc Divinæ Potestatis fastigium est, quòd illi & quod lubet liceat, & quod licet possit. Subsidet longè infra eam quicquid est sic dictæ in hominibus Majestatis, quæ viribus quandoque utitur ultra jus, & sic in tyrannidem abit; vel jus suum paribus viribus nequit exsequi, atque ita contempta vilescit. In Deo uno conspirant *παντοκρατορία καὶ πᾶσα ἐξουσία*, Omni-potentia & Omni-potestas. Nec jam longè quærendum erit Potestatis hujus fundamentum. Certè, ea infinita & independens jam demonstrata est, atque ideo nihil adscititium pro basi sua agnoscit. Sola est infinita & independens Dei perfectio, quæ infinitum & independens Dominium fundare apta est. Quid? quod sua Deo competat Potestas in ipsa possibilia; in quibus utì nihil reale est, ita nihil invenire datur, undè Deo in ea nascatur jus. Res ipsa loquitur, quando experientia dictat, non omnia fieri, quæ fieri possunt. Undè? Nisi quod sic suo jure de eis disponat causa prima, in cujus virtute ea continentur. Non ergò satis attendunt sublimem illum titulum, quo Deus rerum omnium Dominus est, qui hìc confugiunt ad Dei beneficium, vel creaturæ maleficium, vel aliud quodcunque quod Deus ipse non est. Quasi modis quibusdam acquirendi, utì nos, indigeret Numen, ad vindicandum sibi in rem quampiam Dominium!

III. *Dominium Dei morale per legislationem, ejusdemque executionem.*

Præter generale hoc Proprietatis Dominium, quo Deus de quibusvis rebus statuit pro arbitratu, eas conservando, vastando, donando, &c. specialioris considerationis est Dominium Jurisdictionis strictè dictæ, cujus territorium quasi est universa creaturarum rationalium multitudo. Nimirum, quantum quid habet à primo ente dependentiæ, tantum in id juris habet

habet Deus. Quamobrem necesse est, Deo esse peculiare quoddam Dominium in creaturarum rationalium rationalitatem ipsam, ejusque exercitium; quod ipsum tanquam tale ad res alias ratione carentes extendi nequit. Involvit hoc Potestatem significandi rebus rationalibus tanquam subditis moralem suam dependentiam à Numine, atque ad eam agnoscendam obligationem omnimodam. Quod cum sine Lege fieri non possit, utique jus habet Deus ferendi leges, quas regulas esse velit obedientiæ sibi præstandæ à subjecto, utì moralis dependentiæ, ità præcepti, capace. Ex quo Jus aliud sequitur, sanciendi nempe legem pœnali comminatione; quatenus absque ea potestas legislatoria vim obligatoriam vix satis efficaciter exerit; cum citra ipsam penes rebellem subditum stet sese impune istâ suâ erga superiorem obligatione eximere. Undè porro fluit jus infligendi pœnas propter demeritum violatæ legis, secundùm sanctionem pœnalem. Per quæ omnia apparet, concipi non posse rationalem creaturam, in quam Deo non competat plenissima Potestas tum legislatoria, tum legis executoria. Quam quomodo Deus, tanquam Rex pariter & Judex, ipso facto circa hominem exerceat, non hujus loci est disputare, sed ad actualis Providentiæ considerationem pertinet. Quæ speciatim Dei Potestas sit circa peccati permissionem, imputationem, punitionem, dispensationem, & quæ sexcenta istius commatis huc spectant plura, cum paucis expediri nequeant, nihil in præsentiarum de iis dicere malumus quam parum.

IV. *Non omnem legem nobis moralem fluere ex ipsa Dei natura.*

Tantum planè præterire non possum nobilissimam controversiam, Num Deo etiam jus sit præscribendi suis creaturis rationalibus præceptum aliquod, tanquam morale, quod tamen ex natura sua aut essentialibus perfectionibus minimè fluat? Prænoto (nequis in voce lusus fiat) id morale dici, quod homini universim naturà notum est tanquam regula morum. Nescio, quomodo affirmativa videri possit quibusdam dubia, quin falsa. Saltem Deum legem ferre posse homini, quæ non fluat ex sua natura, indubium est. Quid si tulerit circa res de quibus hodiè lege nihil est definitum? Quid si omnes eà obligatos velit? Quid si tanquam naturæ auctor conscientiis hominum eam inscripserit? Non posse, undè demonstrabitur? Imò

verò imprimis ad declarandam Divinæ Majestatis excellentiam, & plenissimi in hominem juris demonstrationem pertinere videtur, quòd præceptis etiam positivis, sive officiis, quæ non aliter bona sunt nisi propter arbitrariam Dei jussionem, creaturam rationalem adstringere possit. Specimen luculentum exhibet in ipso integritatis statu (si ex fide Christiana id huc adferre licuerit nobis Philosophis) mandatum circa arborem scientiæ boni & mali. Quin & hodiè præcepta de Incestu, Polygamia, Furto, ut plura sileam, quæ nobis juris naturalis & moralis sunt, esse re verâ juris divini positivi atque liberrimi, luce meridianâ clarius videtur. Saltem rationes audire lubet, quibus conficiatur, ista omnia mandata necessariò fluere ex perfectissima Dei natura. De quibusdam tamen aliis posterius verè dici, largimur. Displicet idcircò vehementer illa in oppositum planè abiens quorundam sententia, quæ tam amplam concipit Dei potestatem, ut omnium quæ præcepit contrarium præscribere, si voluisset, potuisse contendat. Medium tenere suadet ratio.

V. *Majestatem Dei non ritè æstimari, nisi humillimo venerationis affectu.*

Sed desino scrutari Majestatem; cujus arcana pervestigare nefas eis, queis devoti obsequii gloria relicta tantum est, cum submissa humillimæ venerationis æstimatione. O! si tantæ effulgentiæ radii mentis oculos ut decet perstringerent, quàm non adeò securè philosopharemur de Potestate Domini, cujus amplius est hoc ipso universo territorium! Quid, si de ea persuasi satis essemus ut oportet, superbiremus usque eò sæpè vermiculi, & non potius istius lucis fulgore contabesceremus ad instar ceræ, viribusque planè conciderermus? Quid, si hæc cordi sint nobis, .tanti Numinis leges sanctissimas toties transgredimur petulanter, neque vindicem manum metuimus Judicis, cujus non minor est in exequendo suo jure Potentia, quam in ferendis legibus Potestas? Sed & quæ ista Regum hujus seculi fascinatio est, simulac aliquam in universi puncto quod inhabitamus particulam suo subjecerunt imperio, supremam nescio quam somniantium legibusque solutam potestatem? Altior profectò est istis altis; cujus gratiâ precariò tantùm imperant potentissimi terrarum domini, hujus Regis mancipia duntaxat & servi. Quid itaque illorum indignationem toties plus justo metuimus,

tuimus, & non multo magis horremus violatæ Divinæ Majestatis crimen? Venerabiles etiam sunt summo jure Magistratus, in quibus aliquam suæ Majestatis relucere voluit Deus imaginem: sed imaginem tantum; ut discamus primo loco eum revereri, cujus delegatâ auctoritate isti imperant, cujusque sceptrum cœlestes etiam venerantur potestates. Denique, quid passim de Providentia primæ causæ sumus queruli; cujus gloriæ servire bonum majus est, quam totius mundi tenere imperium. Intendat tantum mens debitis tanto Domino obsequiis: eritque hæc via brevissima ad obtinendam veram ac imperturbabilem animi tranquillitatem; dum tutelam in omni fortuna certissimam promittit fideli subdito amica cum immensæ Potentiæ pariter ac Potestatis Monarcha, societas. Caveamus ante omnia religiosè, ne fœdissimo sacrilegio quid nostrum unquam fingamus, per quod quicquam limitetur summa Majestas; cujus sese ubique tanta prodit effulgentia, ut ipsa ratio dictet abundè, probandam esse ceu optimam præ aliis Religionem, cujus prima ac præcipua cura est, suam Divino Numini per omnia semper & ubique asserere supremam Legibusque solutam potestatem.

VI. *Beatitudo Dei tanta quanta in eo perfectionis plenitudo.*

Tandem de Dei BEATITUDINE addam verbum; ut quę Divinorum Attributorum meditatio ab Infinitate perfectionis fecit initium, in eadem contemplatione finiatur. Est enim nihil aliud Dei Beatitas, quam ipsissima perfectionum infinitas, quatenus in ejus fruitione perfecta cum complacentia acquiescit. Ut sit in Deo quædam quasi sui ipsius, tanquam boni sese satiantis, constantissima, maxima cum voluptate, absque ægritudinis ullius mixtura, fruitio. De ea demonstranda nihil laborandum. Felicitatem jam olim quis dixit statum bonorum omnium congregatione perfectum. Infinita ergò quum sit Numinis perfectio, etiam minor esse nequit ejusdem Beatitudo. Imò sese fruitur ex se ipso per se ipsum, qui per independentiam suam & simplicitatem solus ipse sibi & Beatitudo est, & beatus, & beatitudinis fruitio. Sed nimiùm tantæ detraherem excellentiæ, si balbutire pergerem de re, quam mens nulla assequi, lingua nulla effari, potest; cujusque idcircò anhelanda potius fruitio, quam scrutanda plenitudo: quippe quæ non nisi sensu ipso percipitur ab eis, quos ritè ad se accedentes.

tes in tanti boni communionem admittere, atque hoc ipso terque quaterque beare, dignatum aliquando fuerit benignum Numen.

Ergò sub alarum velut umbra tecta Tuarum
Mortales statuent corda quietà fide.
Hic velut irriguà saturos pinguedine pascet
Fortunata Tuæ divitiis aula penus.
Plena voluptatum potos ad flumina duces,
Deliciis saturent omnibus unde sitim.
Tu fons ille sacer, Tu vena beata salutis,
In vitam latices dans salientis aquæ.
Ite igitur nigro torpentia flumina cœno!
Non bibit è vili gurgite nostra sitis.
Ite! Sitit superi dias mens fluminis undas,
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.

EXERCITATIO VIGESIMA-TERTIA,

DE

DEO CREANTE.

SUMMARIUM.

I. *Productio rerum à Deo facta non indigentiæ sed sufficientiæ argumentum.* II. *Creatio quid; & ad quæ sese extendat?* III. *Admittendæ Creationis necessitas demonstrata.* IV. *Difficultatibus præcipuis in hoc negotio occurrentibus obviam itur.* V. *Creandi vis ita solius Dei est, ut in ejus societatem nulla veniat creatura.* VI. *Creandi actio numquid notet à Deo diversum?* VII. *Productio creaturarum Deo, uti liberrima, ità facillima.* VIII. *Mundum ab æterno creatum fuisse, repugnat.* IX. *Quando tamen præcisè fuerit productus, natura*

ra non docet. X. *Creationis universæ tum ordo tum modus per naturæ lumen incertus planè.* XI. *Cartesii in eo omni definiendo notata temeritas.* XII. *Cartesiana mundi Genesis Mosaicæ quam multis modis adversa.* XIII. *Frustrà palliata ab Auctore fictionis audacia.* XIV. *Mundus hic creatus, nobis quidem indefinitæ, re ipsâ tamen finitæ amplitudinis.* XV. *Indèque majorem, imò & plures alios, creare potest Deus.* XVI. *Difficultatum hìc moveri solitarum amotio.* XVII. *Finis creati mundi, ultimus Dei gloria, subordinatus homo, rectè statuitur.* XVIII. *Objectæ à Cartesio in oppositum rationes paucis excussæ.* XIX. *Ex visibilibus creaturis majestatem Creatoris invisibilem venerari discit pia mens.*

I. *Productio rerum à Deo facta non indigentiæ sed sufficientiæ argumentum.*



Tiamsi, ob eam quam hactenus per partes prosecuti fuimus pro modulo perfectionis infinitatem, ex se ipso per se ipsum Beatissimum existat Numen, haud tamen illi repugnat opulentiæ suæ manifestare immensitatem, extra se aliquid producendo; quo ostendat, non duntaxat sibi, sed & rebus aliis extra se, sufficere tantam plenitudinis abundantiam. Ut nimium ineptiat argutatio Epicureorum, inferentium, non posse Deum agnosci Universi auctorem, quòd sic vel frustrà, vel ex inopia consortii suæ creaturæ, id produxisse dicendus foret; quorum illud Numinis sapientia, hoc ejusdem sufficientia non patitur. Verùm, neque Deum intelligunt, neque rem à Deo diversam, qui sic philosophantur. Saltem jam dudùm, ubi de Independentia Dei egimus, probavimus, nec hujus nec illius naturam id sinere, ut quicquam existat, quod non vel ipse Deus sit, vel res à Deo dependens. Quid ergò? Rei cujuslibet productio per se arguit tantummodò, inde quidem causæ producentis sufficientiam, hinc verò rei productæ omnimodam ab isto suo principio

cipio dependentiam. Quamobrem nihil existit efficacius ad illustrandam causæ primæ perfectionem, quam ipsa rei præ aliis excellentissimæ Creatio: planè quemadmodum non melius quanta sit Solis perfectio intelligitur, quam ex copiosissimis quos quaquaversum ex corpore suo emittit radiis. Verbo, quodcunque operatur Deus, non id vel frustranei laboris, vel indigentis naturæ existit argumentum, sed luculentum potius exundantis bonitatis testimonium. Quæ ut percipiantur rectius, quem hactenus in se Maximum cogitavimus Deum, nunc eundem in operibus Optimum contemplari fuerit pretium operæ. Sic autem videbimus amictum Majestate & Gloriâ ex adyto quasi sui prodeuntem in hoc Universum rerum omnium Creatorem, Conservatorem, Gubernatorem, potentissimum, benignissimum, sapientissimum. Atque ultimus iste erit Meditationis nostræ de Deo tractatus, ut utilissimus, ità minimè hìc prætereundus; quippe qui conferet plurimum ad amplius persuadendam certitudinem omnium, quæ huc usquè docuimus. Neque enim fieri potest, ut non vehementer in suo quem de Deo habet sensu mens nostra confirmetur, quando videt non alium Eum apparere in operibus, quam qualem debere in semet ipso existere ex Independentia jam, à priori quasi, demonstravimus.

Primum quod in qualibet re spectandum occurrit, est prima ejus positio, seu primum existentiæ momentum; ac cui causæ & causalitati illud debeat. Idcircò etiam primo loco illa Dei actio spectanda venit, cujus vi existere cœperunt quæcunque existunt. CREATIONIS nomine ea vulgò occurrit; sumtâ voce quatenus notat, Actionem Dei transeuntem, quá quicquid existit à se diversum ex nihilo produxit. Transeuntem Dei actionem dico; per se scilicet aliquid constituentem extra Deum: quo nomine à Decreto distinguitur. Hoc rei creandæ futuritionem duntaxat ponit; illa actualem rei creatæ existentiam. Ut minus accuratè Creatio quibusdam definiatur efficax Dei voluntas: ea enim per se extra se nihil efficit, sed tota tantum immanens est. Verùm hac de re etiam suprà egimus, ubi de Divina Potentia disserebamus. Facit autem hæc actio creaturam transire ipso facto à nihil ad aliquid; ut quod antè non-erat jam

II. *Creatio quid; & ad quæ sese extendat?*

jam sit, quodque prius dici poterat solum possibile, aut futurum ad summum, nunc actu verè existat. Parùm autem refert, num id de Nihilo absolutè & simpliciter sic dicto accipias, num etiam de nihilo illius rei quæ producitur; qualis actio est, quâ quid efficitur ex materia per se secundum ordinem & leges naturæ inhabili ad id, ut indè fiat, quod per virtutem divinam ex illa producitur. Neque enim posterior hæc, Mediata vulgò dicta, minus propriè Creatio est ac illa prior, sive Immediata; quandoquidem ejusdem virtutis est aliquid producere ex puro nihilo, ac est id conficere ex subjecto nullo modo apto, adeoque non plus quam merum nihil ad rei noviter ex se productæ existentiam conferente. Cæterùm, ad illa quæ existunt à Deo diversa Creationem restringimus. Ut enim ens primum citra contradictionem concipi non potest unquam transitum fecisse à non-esse ad esse, ita nullam actionem cogitare datur, quâ vel ipsum circa se, vel aliud circa ipsum creando versetur. Restat itaque, illa solùm Creationis objecta esse, quæ tam debilis sunt entitatis, ut, nisi potentioris causæ influxus accedat, ex sese nihil sint; qualia sunt contingentia quævis, quæ ob hoc ipsum possunt non-esse quod sunt, quia quod sunt aliquando non-fuerunt. Atque hùc pertinent omnia quæ existunt præter Deum, totumque adeò qua latè patet hoc Universum: solius enim Independentis Dei privilegium esse existendi necessitatem, jam dudùm ostendimus.

III. *Admittendæ Creationis necessitas demonstrata.* Suppeditat autem hæc ipsa, de qua loquor, rerum nobis obviarum contingentia fundamentum pulcherrimi argumenti, pro demonstranda Creationis non tantum possibilitate, sed & (datâ hypothesi, existere Mundum) necessitate: in quo negotio laborarunt plurimi, sæpè minus accuratè; cum tamen certum sit, vix aliud dogma occurrere in universa Philosophia, quod plus adferat momenti, quam hoc ipsum solidè adstructum, ad Religionem Christianam confirmandam, contra Atheorum atque Epicureorum insultus. Ut verbo dicam: Nisi ex nihilo productæ sint res quæ sunt, undè illud est, quod earum quælibet ad non existendum per sese æquè sint indifferentes quam ad existendum? Sed juvat paulò explicatius urgere vim ratiocinii, quod imprimis efficax arbitror ad totum hoc conficiendum. Neminem

minem ejus vires latere poterunt, quicunque revocaverit in mentem duas veritates jam antè firmissimè adstructas. Prior est, Independentiam sic unius Dei prædicatum esse, ut per naturam suam nulli alteri attribui possit. Evidens hoc postulatum est, sive ipsam in se attendas Independentiam, prout ea suo loco à nobis explicata fuit; sive infinitatem perfectionis, quam & Deo soli propriam, & cum Independentia insolubili vinculo connexam esse, jam antè ostendimus. Si itaque mundus hic noster Deus ipse non sit (quem non esse, docet absentia perfectionum hactenus de Deo demonstratarum) utique neque Independens est: quod si non independens, neque etiam Necessariò existens; per ea quæ retrò *Exercitat.* VII. §. V. demonstravimus. Est ergò mundus ens contingens, quod ex sese haud magis existit, quam non-existit; atque ideò, hoc ipso quod existit, causam aliquam sui arguit extra se, quæ faciat eum existere potius quam non-existere. Si enim aliquam extantiæ suæ rationem in sese contineret, ipso facto neque dependens foret, neque contingens. Existit ergò hoc universum virtute alicujus causæ. Sed quomodo? Sic ut in existentia sua perseveret: atque ita quidem, ut ejus hodiè non sit heri, neque heri hodiè, neque cras alterutrum illorum. Ecce itaque durationis lapsum ex præterito per præsens in futurum; consequenter & partes, partiumque successionem! Ea verò ubi dominantur, istic æternitatem locum habere non posse, invictè jam *Exercitat.* VIII. §. V. probavimus. Atque istud alterum eorum erat, quæ hoc loco prænotari cupiebam. Ex quibus pro eo quod nunc intendebam brevi collectione sic infero. Per ea quæ jam allata sunt, Mundus neque fuisse ab æterno, neque sine causa sui existere potest. Quumque quod æternum non est, necessariò aliquando non-fuerit, manifestissimum evadit, mundum quidem aliquando non-fuisse, attamen virtute suæ causæ deinceps extitisse; sive, quod eodem redit, eum per potentiam efficientis transiisse à non-esse ad esse. Atquì hoc ipsum est, productum esse per Creationem; cujus rei veritatem demonstrandam sumseramus.

Neque virbus hujus argumenti quicquam detrahet, qui ad id declinandum studuerit excipere, dici posse, genitum fortè esse hoc universum ex materia quapiam præjacente; utì inter an- IV. *Difficultatibus præci-*

puis in hoc negotio occurrentibus obviam itur.

antiquiores in Ethnicismo Philosophos plurimi opinati fuerunt: adeoque ex antè dictis non sequi ejusdem ex nihilo Creationem. Etiamsi enim lubens largiar, non mihi videri solum rationis naturalis lumen suppeditare demonstrationes, quibus plenè conficiatur, mundum hunc ex nulla prævia materia formatum esse, stat nihilominus suo talo nostra ratiocinatio. Ex quocunque enim præexistente corpore hanc universi molem originem suam traxisse finxeris, de illo eâdem facilitate eadem demonstrantur, quæ jam de mundo ipso demonstravimus; scilicet, nec independens, nec æternum id esse posse. Atque adeo, utì mundi ipsius, ita rei cujusvis alterius contingentis, ultima tandem analysis fiet (an mediatè, an immediatè, parùm facit ad rem præsentem) in causam quampiam, quæ eam fecerit esse, cum antè non-fuerit; id est, quæ eam creaverit. Sufficiet autem ad sobrietatem sapere cupienti adstructa jam tam evidentis veritatis necessitas, tametsi intellectûs captum excedat modus ille operandi quo ex nihilo fiat aliquid. Profectò, non, si sapimus, mirum videbitur, aliquid hìc occurrere nobis inaccessum. Nempè vix claram & distinctam notionem habemus istius activitatis, quæ à finita causa procedit, exeriturque secundum naturæ leges jam constitutas & obvias: quanto minus comprehendemus illam, quæ ipsam naturam spectat ut primùm constituendam, eam sicuti antecedens ita longissimè excedens; quæque fluit non ab ente quopiam finito legibus naturæ adstricto, sed ab eo qui incomprehensibilem æternæ suæ divinitatis & potentiæ amplitudinem hac ipsâ actione manifestare intendit. Quare, nisi conceptus ejusdem nobis homuncionibus foret inconceptibilis, neque ipsa operi tam admirabili excitando sufficiens foret, neque Deo digna, quam exindè enarrat cœlorum expansum, gloria. Sit itaque imperv estigabilis tanti Numinis via, dummodo nihil includat contradictionis; quam involvere hanc alicujus ex nihilo productionem, haudquaquam putandum est. Per se quidem notum videtur illud tritum, ***Ex nihilo nihil fit***; quatenus scilicet ex nihilo, per ipsum nihilum, sive virtute ipsius nihili, nihil produci potest; nihilque adeo alicujus principium esse nequit. Verum haudquaquam illi repugnat, cum qui sufficientissimus est non sibi tantum sed & aliis à se, facere,

facere, ut ex nihilo, tanquam à termino à quo, utì loquuntur, ab ipſa potentiæ ſuæ infinitate, tanquam à principio, id exiſtere incipiat, cujus antè dabatur nihil. Prorſus ut rei contingenti nunc exiſtenti minimè adverſatur, ſi, deſtituta influxu cauſæ cujus vi exiſtit, exiſtere deſinat, ſicque quod eſt aliquid fiat nihil.

V. *Creandi vis ità ſolius Dei eſt, ut in ejus ſocietatem nulla veniat creatura.*

Interim, quamvis infinito Numini Creationem minimè faciat impoſſibilem hæc difficultas, haud tamen adeò nullam eam eſſe arbitror, quin conficiat omninò, quavis finitâ virtute majorem requiri ad id ut quicquam creetur. Certè nihilum rei creatæ principium eſſe non poſſe, jam diximus. Ipſum itaque creans rei creatæ in ſolidum omnem quam per creationem habet eſſentiam dare debebit. At quì poterit creatura? Num ſuam ſuæ creaturæ dabit eſſentiam? Non utique, niſi unum à ſe ipſo hoc pacto diviſum, & ſic re verâ plura, fiat; vel ſeſe ſaltem in aliud tranſmutet. Nùm potius quam ipſa non habet alteri dabit eſſentiam? Atquì in effectu nihil eſſe poſſe quod non in cauſa præextiterit, certa veritas eſt. Reſtat ergò, creare illius ſolius eſſe, qui modo incomprehenſibili ob perfectionum ſuarum infinitatem aliis de ſuo poteſt dare, neque ipſe tamen ideò habere minus. Imò, quam nulla ſit in nihilo aptitudo ad aliquid, ritè cogitemus; conſequenter quam nulla inter iſta duo proportio. Agere verò abſque ulla proportione inter terminum à quo & terminum ad quem, ut cum Schola loquar, neutiquam ejus eſt, cujus, quemadmodum eſſentia, ſic potentia, omnem proportionem excedere, hoc eſt, infinita eſſe nequit. Adhuc, Creatio actio eſt, naturam in ſuo eſſe conſtituens. Quid autem clarius, quam quod naturam conſtituit referendum id duntaxat eſſe ad virtutem ejus, qui naturæ rerum, tanquam auctor ejuſdem, præeſt; non ad debilem efficientiam illius, cujus omnis vis naturæ legibus adſtricta ſubeſt. Et quì ſufficiat aliis à ſe creandis, quod ipſi ſibi conſervando ſufficiens non exiſtit; qualis non exiſtit quævis per ſeſe contingens creatura? Quam ridiculum, ſtatuere, id facere poſſe ut nihil fiat aliquid, quod facere nequit, ut aliquid non fiat nihil. Atque evertunt hæ rationes Creationem craturæ poſſibilem, non immediatam tantum, ſed & mediatam: utram-

que enim ejusdem virtutis esse, ob non majorem subjecti inhabilis, quam ipsius puri nihili, ad opus creandum ineptitudinem, §. II. notavimus. Quin, ne instrumentalem quidem caussalitatem hac parte creaturæ relinquimus, quandoquidem tota instrumenti natura in aptitudine ad usum consistit; qualis re verâ in eo nulla est, nisi in ordine ad subjectum in quod agit, vel circa quod versatur. Atquì subjectum hìc vel planè nullum est, vel, quod eodem redit, nullo modo aptum ad productionem rei, quæ per Creationem ex eo efficitur. Detestandum itaque sacrilegium est eorum, qui non dubitant Angelos aliasve creaturas cum Deo in Creationis societatem admittere, saltem ut comministros; nimium profectò obscurantes effulgentem in opere creationis divinæ Majestatis gloriam. Quæ à miraculis per creaturas patratis petita hìc objici possent, jam suprà *Exercitat.* XXI. §. V. diluta sunt.

VI. *Creandi actio numquid notet à Deo diversum?*

Quandò autem solum Deum rerum omnium Cratorem statuimus, attendendum est diligenter, ne quid cogitationibus nostris admisceamus quod perfectissimo perfectionum quarumvis creatarum Auctori quicquam detrahat. Removenda hinc est quam longissimè primo loco omnis sive compositio sive mutatio, qualem inferunt operationes creaturarum; quæ, quemadmodum agunt per actionem ab essentia distinctam, ab otio transeunt ad actum, ab actu redeunt ad quietem. Errat, qui concipit Creationem tanquam aliquid quod Deus ipse non sit, sed ei in tempore superaccesserit. Certè in Deo nihil est, quod, ob Simplicitatem jam antè demonstratam, Deus non sit; nihil in creatura, quod non, ob dependentiam ejus & contingentiam, sit creatum: atque ideò nulla fingenda creatio, quæ non à parte Creatoris activè spectata ipse Deus creans sit, à parte Creaturæ passivè considerata ipsa res creata. Tertium quid, quod nec Deus sit, nec creatura, monstrificum prorsus est, omnique rationi nimiùm adversum. Quamobrem si, prout se à parte rei habet, Creationem menti distinctius repræsentare voluerimus, ipsa æterna Dei sufficientia cogitanda venit, quatenus ejus vi in tempore Deo coëxistere incipit res alia à Deo, idque cum omnimoda ab ea tanquam à principio suo dependentia. Talis res ex nihilo producta cum nulla Deo ipso facto coëxtiterit ab æterno,

no, neque etiam extitit ab æterno illius denominationis, quâ Deus Creator dicitur, fundamentum: atque ideò minus accuratè Deus ab æterno dicetur fuisse Creator; etiamsi possederit quicquid in actu creandi absolutæ perfectionis involvitur.

Porrò, nequaquam sentire fas est, ex aliqua naturæ necessitate Deum creasse quod creavit, ad instar causæ, quam vocant, emanativæ. Sicuti enim res quævis extra Deum Divinæ perfectionis infinitati, si sint, nihil addunt, si non sint, nihil detrahunt; ita nulla inter perfectissimi Numinis essentiam, & productarum ab ipso creaturarum existentiam, ex natura rei est connexio. Atque ideò, liberrimè creasse Deum quod creavit, certum est; ut vel nihil planè creare, vel aliud creare, vel alio modo atque ordine creare, si voluisset, potuisset. Qua de re dubitare non sinit quod antè observavimus, tum de modo operandi enti perfectissimo tribuendo non nisi perfectissimo, qualis procul dubio est liberrimus; tum speciatim de Dei absoluto atque supremo in possibilia quævis Dominio ac Potestate. Tenendum deniquè, absque labore, mora, ac defagatione operatum fuisse Deum, quandò creavit. Sic exigit independens infinitæ activitatis efficacia, cui nihil resistere aptum est, cujusque eminentiam maximè commendat prompta ad nutum Creatoris rei creatæ extantia. Adde, quæ idem postulat, immediatam nihili atque entis oppositionem: ea, ut mixturam extremorum non patitur, ita respuit successivum à nihilo ad aliquid transitum, & cum eo languidam ac moram trahentem creandi actionem. Undè liquet, quam parum magnificè de re tanta, sentiant, qui serie benè longa eam nobis delineant novam mundi genesin, quæ regulis mechanicis adstricta, tantùm successivâ particularum configuratione & concursatione absolvitur. Quasi verò vectibus atque machinis eguerit Numen in Universi fabricatione! quæ Velleji apud Ciceronem stoliditas est. Sed plura hanc in rem dicenda erunt: de eis enim quæ nostri hujus mundi Creationem speciatim concernunt nonnihil adhùc differendum.

VII. *Productio creaturarum Deo, uti liberrima, ità facillima.*

Et quidem de productionis hujus Universi tum tempore, tum etiam ordine atque modo, disquiritur. Primum quantum attinet, in genere dictat ratio, sic saltem necessariò aliquod primum extitisse Creationis momentum, ut ab æterno Mundus

VIII. *Mundum ab æterno creatum*

fuisse, repugnat. hic creatus neque fuerit, neque fuisse potuerit. Contrarium enim quisquis tueri vellet, statuere cogeretur, mundum creatum ab æterno potuisse verè coëxistere suo Creatori; cum, ut jam notavimus, citra ejusmodi rei creatæ & causæ creantis coëxistentiam, Creatio, si propriè loqui cupiamus, non consistat. Atquì æternitatem perfectionem esse in imperfectam illam durationem, quæ successiva est, minimè cadentem, semel iterumque jam evicimus. Conferatur, §. III. Imò etiam æterna Creatio æternam, atque ideò re verâ infinitam, causarum subordinatarum seriem secum trahit: cujus consequentis absurditatem demonstravimus clarè; *Exercitat.* II. §. III. Quin ipsam tantùm Creationis notionem secundum se si attendamus, nectit ea hìc nodum insolubilem. Quis enim cogitet actionem, quæ faciat creaturam transire à non-esse ad esse, qui non hoc ipso concipiat hujus non-esse antecedere ejusdem esse? Verum de quo dici potest, quòd antequam esset non-fuerit, de eo interminata existentia affirmari nequit. Æternus ergò non est mundus creatus, ideò quia creatus. Neque obstat, quam hùc adferunt quidam, Potentia Dei; quæ, ajunt, ut ipsa æterna est, ita arguit quolibet momento possibili, id est, ab æterno, mundum creari potuisse. Etsi enim certum sit, æternam esse divinam potentiam, nihil tamen indè conficitur aliud, quam ab æterno possibile fuisse ut mundus existat; existat nimirum naturæ suæ convenienter, id est, duratione, utì successivâ, ita principium habente. Potuit ergò æterna potentia ab æterno quolibet possibili momento initium existentiæ dare huic universo. Sed quemadmodum citra contradictionem non potest creaturæ dare essentiam cujus duratio successiva ipso facto omne possibile momentum temporis collectivè includat, sic neque æternam creaturam creare potest. De æterno Dei decreto minus laborandum est, cum id sit actio immanens, nihil æternum à Deo diversum per se constituens; quale quid reapse constitueret æterna Creatio: quapropter ab illo ad hanc nulla legitima atque efficax est hac parte sequela.

IX. *Quando tamen præcisè fuerit pro-*

Interim, accuratè loquendo, mundus non tam in, quam potius cum tempore, est productus: id est, unà cum productione mundi initium cepit duratio ejus successiva, quæ est ipsum

ipſum tempus. Ut muſtea ſit eorum ſubtilitas, qui rem creatam ante tempus eſſe potuiſſe aſſerunt; quia tempus contendunt non eſſe ſine motu, ac potuiſſe Deum materiam creare quieſcentem. Sed attendere debuiſſent, motum eſſe aliquid tempore accidentarium, non eſſentiale (nam & ipſi motui ſua ſucceſſiva duratio, ſive tempus, competit) quatenus in dimetiendis temporum partibus nos pro menſura motum ſumimus. Quâ autem anni tempeſtate initium ſumſerit tempus mundanum, ſive, ut rectius dicam, in quo Zodiaci ſigno in prima rerum productione ſol extiterit, ne quidem in ſubſidium vocatâ ſacrâ Auctoritate, expediri ſatis poteſt. Pro ſolſtitio hyemali vix ulli, pro æſtivo pauci; pro æquinoctio alterutro plærique definiunt: ſed debili nimis fundamento, quam ut huic rei immorari debeamus. Quod idem ferè dicendum de primi creationis momenti à noſtro hoc præſenti tempore diſtantia. Etſi enim Chronologia Sacra collata cum profanis annalibus ſextum millenarium præter propter exindè elapſum eſſe doceat, ſolùm tamen naturæ lumen ne quidem probabili conjecturæ locum facit. Quandoquidem enim nullos ætatis ſuæ characteres ſibi impreſſos habet mundus, & non niſi ex effectis de cauſæ liberrimæ actionibus concludere datur, nemo niſi temerarius quicquam de hac re definiverit. Non deſunt tamen nobis, qui citiùs aut ſeriùs mundum creari potuiſſe, ſtrenuè negant. Atquì, cum ſolius æterni ſit non poſſe exiſtere vel citius vel ſerius, quid iſti ſibi velint, neſcio. Niſi forſan hoc pacto viam ſtruere contendant opinioni, quæ nullos agnoſcit in Univerſi hujus ut extenſione, ſic quoque duratione, limites. Aliàs enim, ſi non nimiùm nugari lubitum fuerit, otioſam excitando logomachiam (quandoquidem nullus de Deo rectè ſentiens ignorat, in ordine ad Divinam æternitatem nihil citum aut ſerum dici debere, aut poſſe) quo modo ex naturæ lumine negari poteſt, citiùs aut ſeriùs creari id potuiſſe, de quo quando creatum ſit, ne quidem per naturam conſtat? Et quid ni, ſitu corporum cœleſtium (à quibus quemadmodum menſuram temporis ſumimus, ita etiam durationis longioris aut brevioris determinationem) exiſtente hodiè qualis eſt, ſol hic ab initio ſui, ſi Deo viſum fuiſſet, abſolvere potuiſſet per Zodiacum non ſexies mille, ſed

ductus, natura non docet.

ſed vel centies mille circuitus? Verùm deſino eſſe copioſior in re manifeſta.

X. *Creationis univerſæ tum ordo tum modus per naturæ lumen incertus planè.*

De modo & ordine, quem ſervaverit cauſa prima in excitanda hac mundi mole, ex ſolo naturali lumine non magis liquet, quam de præciſo creationis tempore. Quicquid enim ratio manifeſtat de Divina operandi ratione, id totum vel à priori quaſi, deducendum eſt ex perfectiſſima Opificis natura, vel, quaſi à poſteriori, colligendum ex inſpecta ipſius operis conſtitutione. Neutra contemplatio quicquam ad negotium hoc ſatis expediendum conferre poteſt. Deum ſi ſpectes, independens ejus libertas atque ſupremum in res quaſvis dominium, cum infinita tum ſapientia tum potentia conjunctum, non ſinit nos ullam ejuſmodi Creationis methodum excogitare, ut non mille aliis viis ea æquè facilis atque expedita eſſe potuerit Creatori. Neque juvat obvia univerſi diſpoſitio. Qualemcunque enim aſſignaveris originis modum (dummodo talis ſit, qui neque perfectioni divinæ, neque hodiernæ mundi ſyntaxi atque phœnomenis in eo obviis, manifeſtè adverſetur) is omnis, ob jam memoratam ſapientiſſimi ac potentiſſimi agentis pleniſſimam in operibus extra ſe producendis libertatem, fermè æquè probabilis videri poteſt: nulla ſaltem iſtius exiſtit neceſſitatis, ut certa atque indubitata haberi debeat. Solus ipſe Deus, quid hìc voluerit, cum modo alio atque alio agere potuerit, de ſuo opere teſtari aptus eſt. Atque ita Chriſtiani cœleſti oraculo didicimus, ſextiduanâ Creationis morâ ſurrexiſſe hanc Mundi machinam: eâ operationis ſerie, ut cum ipſo primi diei exordio exordium ſumſerit univerſa mundi materia, ab ipſa jam prima ſui origine Cœlo conſtantem, Terrâque à cœlo diviſâ, ac Mari ubique diffluo circumfusâ; mox altero hæmiſphærio illuſtrata luce primigeniâ, quæ triduanâ, Solis nondum conditi vicaria, ſuâ circumvolutione nocturna diurnaque tempora diſcriminabat. Jactis hiſce naſcentis mundi quaſi fundamentis, orbem terrarum primùm habitabilem facturus Creator, atque exundante liquore evoluturus, altero die bonam aquarum partem in altum ſubvectam juſſit conſtituere Nubes: daturas in ſublimi admiranda mundi ſpectacula Meteora. Tertiâ luce fecit aſcendere montes, deſcendere valles, Mari ſic ſuis oſtiis concluſo

cluso, ac divino imperio veluti vecte oppessulato, quo residuâ aquarum diffusione detecta passim terra; mox, picturato Plantis solo, extitura amœnissimum mundi viridarium. Sequenti originum die concameratam orbis nostri testudinem Cœlum cælavit opifex perpetuis mundi luminibus, in scenam æthercam productis Sole, Luna, reliquisque innumerorum syderum choragiis. Parato hunc in modum domicilio, quæque suis sedibus datæ fuerunt incolæ: progenitâ quinto die ex communi aquarum gremio omni avium atque piscium sobole; illis in aëra dimissis, his in materno sinu retentis. Quibus, ad consummandum mundi vivarium, addita fuit sexto die terrestrium animantium genesis; quam mox excepit sanctius his animal, pulchritudinis passim sparsæ compendium, ipsus homo, dè terræ quidem limo, ad Cosmopæi tamen imaginem, formatus, rerum creatarum futurus dominus, qui easdem suo Creatori devoveret.

Hanc universi operis ideam, ex natura non sciendam, delineant sacræ Ephemerides: quæ indubitatæ fidei esse oportet inter quosvis, qui infallibilem divinorum oraculorum auctoritatem ritè se agnoscere profitentur. Non tamen hodiè eorum numerus deest, quos juvat, contemptâ, sepositâ saltem, narratione Mosaicâ, totos sese tradere confictis pro lubitu hypothesibus toto cœlo ab ea recedentibus. Quod Ethnici pro suo quisque captu alia atque alia finxerint atque pinxerint rerum primordia, à genuinis istis originibus longè diversa, condonari utcunquè poterat hominibus in meris tenebris hac parte palpantibus. Sed quòd isti quoque, quibus cœlitùs patefactum est tanti operis mysterium, usque eo suis hìc ausint indulgere ideis, ut à tam clara luce recedere nihil metuant, id verò facinus indignissimum existit, neque ulli cui Creatoris gloria cordi est ferendum. Iliada commentorum canit Cartesius, Principiorum suæ Philosophiæ parte Tertiâ & Quartâ: ubi tantâ confidentiâ de mechanica hujus mundi, ut structura, sic quoque origine, disserit, ut majori haud potuisset, etiamsi vel Deo conditori extitisset à consiliis. Quod si aliquanto major fuisset Viri erga Sacras Scripturas reverentia, absterrere debuisset à temerariis conatibus vel una illa gravissima Dei concio, quæ extat

XI. *Cartesii in eo omni definiendo notata temeritas.*

tat ultimis in ſacro Jobi codice capitibus. Provocat ibi Creator induſtriam humanam, ad expedienda, ſi poſſit, ſtupenda vaſti operis miracula: quorum interim minutiſſimas rationes exploratiſſimas ſe habere ſibi perſuadent nuperi homines; percunctanti Deo ad ſingula reſpondere parati ex ſolis Carteſii ſui, ſi ſint vera hujus vaticinia, principiis. Cogitatio profectò parum eſt modeſta, ne dicam in Deum contumelioſa, ea velle mente comprehendere, quibus excogitandis nulla par eſt, niſi infinita ſupremi Numinis, intelligentia: cujus ſolius exiſtit definire modum, quo omnia facta ſint, aut fieri etiam potuerint. Sed qualem nobis narret idealis mundi vorticoſus conditor genituram, audire, niſi res longa foret, eſſet operæ pretium. Totum negotium, ut verbo dicam, merâ arte mechanicâ abſolvitur, materiâque ſecundùm regulas ejus motâ. Mentio Dei, quæ apud Moſen in tanti opificii molimine utramque facit paginam, vix rara alicubi aſperſa eſt, neque multo ſæpius, quam tantum ut ne credas Lucretium te legere aut Epicurum. Neque id mirum. Nullam enim planè in Cœli Terræque formatione Deo reliquam facit operationem nova Mundi Geneſis, præterquam materiæ (forſitan æternæ, vel undecunquè ſuppeditatæ; neque enim de ejus origine quicquam Auctor laborat) per inditum motum in particulas diviſionem, earumque per ſervatam eandem motûs quantitatem diverſimodam motionem. *Quæ pauca ſufficere ei videntur, ut ex iis, tanquam cauſis, omnes qui in hoc mundo apparent effectus ſecundum leges naturæ oriantur.* Uſque eo, ut *non putet alia ſimpliciora, vel intellectu faciliora, vel etiam probabiliora rerum principia poſſe excogitari.*

XII. *Carteſiana mundi geneſis Moſaicæ quam multis modis adverſa.*

Quam hæc prosùs indigna ſit Divinâ Majeſtate philoſophatio, quamque nihil contineat quod aſſurgat ad illam grandiloquentiam, quâ ipſe ſuum opus in Sacris commendat Creator, utcunquè jam notavimus. Quam malè inter ſe cohæreat iſta vorticoſarum fabellarum textura, niſi id phyſici potius fori foret, non uno modo unicuique vigilantius ad cernenda vera oculos deducenti, oſtenderem facillimè. Tantùm, quam exiſtant hiſtoriæ Sacræ inimica, atque Viro Dei Moſi in barbam contradicentia, illa nudiuſquartus in Carteſii cerebello nata commenta, non poſſum non planum facere hoc loco inſtantiâ ſolum-

summodò unâ atque alterâ, ab unius Telluris productione petitâ. Cæterùm, ex ungue leonem! In ipso primi diei rerumque omnium exordio æquè Terram creatam fuisse ac Cœlum, exertim narrat Genesis Mosaïca: Cœlos tamen fluidos præëxtitisse jam dudum, ac non nisi post plurium indè æstatum lapsum, efformatam fuisse Terram, fingit Genesis Cartesiana. Triduum antè productas Stellas extitisse globum nostrum terraaqueum, docet Genesis Mosaïca; Ipsam stellam eum primitùs fuisse, quæ, multo tempore post Solis & Fixarum existentiam, maculis tandem involuta, ac variâ crustâ crassiori tecta, indèque in motu suo languescens à valentiore vicini Solis vortice absorpta, atque in istam orbitam in qua hodiè oberrat circa solem compacta, in corpus solidum & opacum abierit, tellusque qualis nunc est esse cœperit, prolixè fabulatur Genesis Cartesiana. Unius tantum telluris, tanquam partis universi principalioris, ac cœlis contradistinctæ, meminit Genesis Mosaica: Planetis eam annumerat in Solis cœlo cum cæteris fluitantem; eamque non unam tantum, sed, si mechanicis suis regulis convenienter philosophari cupiat, in infinitis vorticibus sine fine multiplicatam, fingere necesse habet Genesis Cartesiana. Aquis ab origine sui tectam, ac tertio primùm die emergentem, telluris faciem exhibet Genesis Mosaica: aridæ verò ubique superficiei, paulatim factæ rimosæ, collabente crustâ, ac quibusdam ejus fragmentis substratarum aquarum fundum petentibus, sicque superfluitante liquore, erupisse mare, pingit Genesis Cartesiana. Sed quid διχοστασίαν tantam paucis comprehendere laboro? cui, si singula, utì rei momentum postulat, prosequi vellem, volumen Cartesii Principiis grandius conscribendum foret. Etsi verò de re tanta in præsentiarum non liceat adferre in medium quicquid istùc pertinet, non tamen planè hoc loco silenter transmittere poteram Helenam, cujus amoribus ad furorem usque infatuatur hodiè orbis eruditus, etiam Christianus.

XIII. *Frustrà palliata ab Auctore fictionis audacia.*

Alibì quidem novæ Geneseos Auctor testatur, se, quando in Mosaicam historiam inciderat, miratum fuisse ejus cum suis hac parte cogitatis consensum. Mirum autem, pro eo demonstrando nihil unquam eum tentasse. Quod tamen fecisse impri-

mis cordi esse debuisset homini, cui nihil magis in votis erat, quam suam ubiquè locorum in Academias Christianorum inducere Philosophiam. Quin, quam parùm suas hypotheses Mosaïzare ipse crediderit, vel istud evincit, quod, quo loco illud docere imprimis oportuisset, præfari istic maluerit, se *ad res naturales melius explicandas, causas earum repetere altius, quam ipsas unquam extitisse existimet.* Modesta quidem illa videri possent, nisi pelluceret artificium prudentioribus rerum æstimatoribus. Quid enim ad illustrandam veram mundi syntaxin pertinet ejusdem adeò operosa per confictas sine fine hypotheses constructio? Nisi ex mendacio suum veritati accedere splendorem, credendum sit. Aliud itaquè auctor intendebat, si, quod hìc sese manibus palpandum offert, dicere liceat. Animus erat suo arbitrio res naturales tales fingere, quales ipse somniabat. Fidem facturus inauditis commentis, via paranda erat, accommodando eis nativitatem præconcepto somnio faventem. Eam ut veram neminem facilè sanæ mentis admissurum, sat prævidebat. Ergò homo callidus in ipso exordio profitetur, se duntaxat hypotheses narraturum, de quibus credere liceat, non omnes esse veras. Ità, postquam lectoris sui mentem longiori progressu vorticosis ideis assuefecit, primum ei minùs ridicula videri poterant quæ jam facta familiariora; mox saltem possibilia; dein non prorsus improbabilia; denique verissima; quin etiam talia, ut, nisi Deum non summè bonum ac veracem habere voluerimus, in mathematicarum demonstrationum numerum ea sint recipienda; quando quæ de Mundo scripsit, vix aliter quam à se explicata sunt, intelligi posse putet. Princip. IV. Art. CCVI. Mirum foret, nisi quantum crescit fingendi licentia, cresceret pariter asseverationis confidentia. Verùm jam dudum in his excessi quem huic tractatui præstitui modum. Vorticosi mundi subversio alterius laboris erit, neque valdè difficilis; si vitæ vires addere voluerit Deus.

XIV. *Mundus hic creatus, nobis quidem indefinitæ,* Quam amplum hoc Universum condiderit Creator? amplius quæri potest. Equidem tam vastæ diffusionis menti nostræ occurrit hoc naturæ domicilium, ut finium quibus clauditur distincta imaginatio cadere non videatur in humanam cogitationem, omnem quantitatis mensuram ferè sumentem à modica magnitudine

tudine rerum in terræ nostræ superficie visui sese offerentium. Multa quidem de exacta cœlorum à tellure distantia tam præcisè definiunt quidam Astronomi, ac si nudius-tertius cœlo delapsi forent; sed id totum mera atque omni idoneo fundamento destituta nugatio est. Quin, si vel maximè res haberet ut isti vaticinantur, ne sic quidem negotium hoc expediri posset. Dato enim stellarum errantium & fixarum altitudinem ad perfectum calculum à nobis revocari posse, non tamen idcircò intelligimus, quæ & quanta ultra fixarum ambitum fortè sese diffundant vastissima cœlorum spatia; ut sensui inaccessa, sic menti nostræ non nisi temerè definienda. Quamobrem hæc Geometria illi relinquenda, qui cœlos extendit solus, eosque definitâ à se mensurâ formavit. Etsi verò isti suaviter delirent, qui tantum sibi tribuunt, ut exactam mundi mensuram se animo comprehendere arbitrentur, gravius tamen errant hodiè qui, in alterum extremum abeuntes, tantam huic Universo adscribunt magnitudinem, ut re ipsâ immensam nullosque extensionis fines habentem agnoscant. Quantum enim Divinæ eminentiæ decedat, si quicquam præter ipsum Numen quocunque modo aut sensu admittatur infinitum, docent quæ de divinæ perfectionis Infinitate suo loco diximus. Quibus solvendis minimè satisfacit inanis distinctiuncula inter infinitatem perfectionis, atque extensionis; quarum scilicet hæc mundo tribui queat, citra præjudicium illius. Quando enim, ut illi contendunt, corporis essentiam constituit ipsa extensio, manifestum evadit, extensionis & essentiæ infinitatem passu pari hoc loco ambulare. Quumque quod essentiâ infinitum est etiam idem necessariò tale sit omnibus suis attributis (quæ suâ naturâ subjecti sui conditionem sequuntur) apparet, vel nullam, vel omnimodam, mundo tribuendam esse infinitatem. Verum de hac hallucinatione longè gravissima prolixè disputavimus *Exercitat. de Infinito*: quâ, & quæ mens sit novi Philosophi hac parte genuina, & quibus sese tueatur rationibus, & quam multis modis absurdum dogma incurrat in proprietates tum Creatoris tum creaturæ, tam plenè exposuimus, ut si quid vellemus addere, actum ageremus.

re ipsâ tamen finitæ, amplitudinis.

XV.

Indéque ma-

Intra suos limites (ubicunque etiam locorum illi fuerint)

jorem, imò & plures alios, creare potest Deus. coërcita hujus Universi diffusione, cumque ea collatâ Divinæ potentiæ immensitate, quamvis rei finitæ perfectionem longissimè excedente, facilè apparet, potuisse Creatorem, si ita lubitum fuisset, majus fecisse hoc universum; cum quod majus minusve, quam reipsa est, non existat, res sit solo indifferenti Dei arbitratu definita. Atque eodem hoc fundamento ex mero naturalis rationis lumine solvi nequit dubitatio, num unius hujus mundi productione omne Creationis opus absolverit Deus; num verò alios etiam huic similes extra ejus fines constituerit? Quandoquidem enim saltem id potuit, ac noluisse ipsum, hoc universum per se non docet, neque ex ipsa Creationis natura, neque ex mundi creati contemplatione colligere datur, quam in partem liberrimam voluntatem hìc determinaverit Deus. Temerarius, fateor, est, quisquis plures rerum universitates asserit, quia quod asserit nullâ rationis specie firmare potest: maximè, cum præter Creationem hujus Cœli atque Terræ, omnisque qui in utroque existit exercitûs, aliam nullam agnoscat Sacra Dei Pagina. Verum, eâ sepositâ, neque is qui pluralitatem mundorum negat, ejus quod negat ullam, nisi negativam, rationem reddere valet. Qui autem, ne creari quidem alium mundum posse, præter eum qui existit, affirmat, haud leviter is in primæ causæ valentiam existit injurius, quando omnem ejus infinitatem operis unius finiti Creatione exhaustam esse, necesse habet profiteri.

XVI. *Difficultatum hìc moveri solitarum amotio.* Quam enim hìc venantur contradictionem, ex eo quod se *perspicuè intelligere* affirmant, *mundi hujus materiam jam occupare omnia omninò spatia, in quibus alii isti mundi esse deberent*, ea nulla re verâ est; cum totum hoc sit purum præjudicium, natum ex crasso errore de infinita mundi extensione; quem jam notavimus. Levius est, quod de impossibili plurium mundorum sive contactu, sive distantia, adferunt. Etsi enim sese tangerent, haud ideò opinandum, eos hoc ipso fore ordinatos ad constituendum unum corpus harmonicum, cujus partes sint mutuo adjumento; quod tamen imprimis, ad constituendam naturam rei quæ ex aggregatione una est, requiritur. Et si distarent, nil vetat, ob eandem rationem, interjici corpus quodcunque tertium intermedium, ad neutrius extremi essentiam

tiam

tiam & integritatem ex ordinatione Creatoris pertinens. Quid si etiam nullo interposito corpore distarent? Nullum in eo contradictionis periculum; nisi quod isti sibi fingunt ex infantili præjudicio, dum à pueritia observarunt, corpora quæque nobis obvia intergerino tertio ab alio separari. Ast hoc de natura distantiæ ipsius esse, & non potius quid accidentarium, demonstrandum foret: qua de re alibi agendum ex professo. Omnium maximè elumbis est cavillatio ex voce Universi; quasi id, quippe complectens omnia, extra se quicquam existere non sinat. Certè Universum hic mundus est, quatenus compages est universorum corporum sibi ad sui integritatem debitorum. Jam verò tale quid ni maneat, etiamsi alia corporum qualiumcunque, sed ad mundi nostri constitutionem atque integritatem (cujus unica mensura existit Dei opificis idea & ordinatio) nil pertinentium, detur compages? Cæterùm, cum absolutè loquendo ne mundorum quidem plurium Creatio contradictionem implicet, quanto minus negandum venit, Deum infinitum, si velit, creare posse alias adhùc rerum species, præter illas finitas quæ creatæ hodiè existunt? Quo pacto id dubium, quin falsum, videri possit iis qui infinitam Numinis sufficientiam agnoscunt, nescio. Neque dicere juvat, eas non-productas rerum species clarâ ideâ nobis non intelligi: quis enim homuncio, sine sacrilegii nota, ausit suas ideas virtutis divinæ facere normam, ultra quas nihil causa prima actuare queat? Sufficit, Opificem intelligere suarum facturarum rationes; creaturis suis eas imprimere cur debuerit, nulla causa est. Sed in *Narratore* nostro *Confutato*, sive *Animadversionibus* in Cel. Collegæ D. Burmanni *Narrationem de Controversiis nuper in Academia Ultrajectina motis* §. LI. etiam de hoc nobis est actum.

XVII. *Finis creati mundi, ultimus Dei gloria, subordinatus homo, rectè statuitur.*

Priusquam finiam has de Creatione cogitationes, de Fine tanti operis paucula dicenda supersunt. Principalem illum atque supremum esse Divinæ Majestatis per tam illustria infinitæ sapientiæ, potentiæ, ac bonitatis documenta, manifestationem, arguit Dei in omni causarum genere primitas; quæ non finit ob alium esse hæc omnia, nisi ob ipsum à quo sunt omnia; ut ità, qui in causarum efficientium ordine prima existit cujusvis veritatis origo, idem sit in finium subordinatione ultimus

mus

mus bonitatis terminus, ipsumque summum bonum. Parùm huic veritati consonum est, quod alibi Cartesius: *Puerile esset & absurdum, asserere in Metaphysicis, Deum, ad similitudinem hominis superbi, non habuisse alium finem in constituendo mundo, quam hunc ut laudaretur ab hominibus.* Dura certè, imò ne satis quidem pia, hæc est supremi Domini cum superbo homine comparatio absurdissima. Atquì, parum erat Atheismo tradidisse argumentum pro existentia Dei à causarum efficientium subordinatione petitum; pariter alterum ex simili finium serie deductum è medio tollendum fuit. Vicinus existit huic alter ejusdem error, quo negat conditi mundi finem subordinatum esse Hominem: etsi id tenuerint communi consensu sapientiores quivis, ipsi quoque Gentiles; quorum illustria hanc in rem testimonia adserre, prohibet brevitas. Et profectò, quid tum Creatoris sapientiæ, tum ipsarum rerum creatarum naturæ convenientius existit, quam cætera imperfectiora ordinata esse ad usum istius rei, quæ in omni creaturarum genere eminet tanquam perfectissima, qualis est homo? infrà cujus dignitatem longè subsidet quicquid in hoc Universo contemplationi nostræ est obvium. Maximè, cum unus homo sit, qui ex omni creaturarum cœtu suam Deo Creatori laudem potest accinere. Quid itaque pronius cogitare, quam ejus usibus omnia destinata esse, cujus solius animo atque ore ad Deum redire poterat suus ex opere creationis honor & gloria. Sed & exertim sic definit ipsius Conditoris vox, in Sacris ita de sui operis fine testantis, ut totum id hominem spectet & ad ipsum referatur; ne astris quidem, vastissimis illis & à terra nostra remotissimis corporibus, exceptis. Indè quoque omnia homini, angelis solis paululum inferiori, dicuntur subjecta Scilicet homini, ad Dei imaginem, tale Dominium inferentem, condito; quo quando excidit, etiam universa creatura vanitati subjecta fuit; usque adeò, ut tota seculi hujus consummatio tantùm præstoletur beandorum hominum plenitudinem, obfirmatorum in peccatis pœnas. Quid? quod ipse ordo, quem in formando homine servavit Creator, cæterorum omnium in hominis commodum ordinationem inferat; quatenus quæ in executione præcedunt, respectu eorum quæ ultimò sequuntur, medii ferè rationem ha-

habent. Vidit quodammodo harum consequentiarum vim, quam fusius prosequitur S. Codex, ex ipsa crepera naturæ luce Metamorphoseôn scriptor, cum canit:

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est; &c. Quem
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

XVIII. *Objectæ à Cartesio in oppositum rationes paucis excussæ.*

Tam nulla tamen hæc omnia sunt Cartesio, ut qui quod adstruximus tuentur, eos *de se superbè nimis sentire*, pronunciet; cum hæc sententia ei *nequaquam sit vero similis*, imò *in physica consideratione ridicula & inepta.* Et cur obsecro talis? *Quia*, inquit, *non dubitamus, quin multa existant, vel olim extiterint, jamque esse desierint, quæ nunquam ab ullo homine visa sunt aut intellecta, nunquamque ullum usum ulli præbuerunt.* Subtilis equidem collectio! Quasi quæ incognita existunt ideò suâ careant utilitate, quin & necessitate quandoque, quia incognita! Millena nobis insciis usum quotidiè præstare longè maximum, nemo ignorat, nisi rei Medicæ atque Physicæ prorsus ignarus. Imò, si multa visa non sint aut intellecta, quâ fide narratur, ea nullum omninò cuiquam mortalium, sive directum sive indirectum, sive proximum sive remotum, præstitisse usum? Assignet talia, si possit: si nequeat, quid præsumit judicare de rebus, earumque usu, quarum nullas habet ideas? Sed aliud pectore volvebat consilium, ad quod hâc hypothesi præstruendus erat gradus. Animus erat mundum fabricare ex infinito vorticum numero coagmentatum, in quo plures forsan oberrent terrarum orbes, quam in nostra hac tellure vivunt homines. Et hæc procul dubio ista sunt *nunquam ab homine visa vel intellecta*, quæ *nunquam ullum usum ulli præbuerunt*; sed quæ hoc loco profiteri intempestivum videbatur. Id autem minimè capio, quo sensu velit, *esse in Ethicis pium, dicere, omnia à Deo propter nos facta esse, ut nempe tanto magis ad agendas ei gratias impellamur; ejusque amore incendamur.* Frigida profectò pietas, imò verò mera superstitio, quæ ad Deo gratias agendas impellit animum suppositionibus quibusdam *superbis, nonverosimilibus, ridiculis, ineptis*! Quid, quod alibi expressè sic instituat: *Si concipiamus nihil esse extra cœlos præter spatia imagi-*

 naria,

naria, cœlosque omnes non nisi terræ causâ factos esse, terram verò hominis; hinc fiet ut propendeamus ad cogitandum, terram hanc esse præcipuam nostram sedem, hacque vitâ melius nihil ad nos pertinere. Vol. I. *Epist.* VII. Ergò in Ethicis id dicere pium erit, quod idem per sese comparatum est ad reddendos homines Epicureos! Imò, neque intelligo, quid Cartesiano homini multo plus solatii post hanc vitam futurum sit in istis extra cœlum nostrum circumactis vorticibus, quam in aliorum spatiis imaginariis. Nisi fortè animulæ eorum vagulæ, postquam terram hanc tanquam *sedem minus-præcipuam* dereliquerunt, in hoc delicias sint habituræ, quod, ad instar cometarum, ex uno vortice in alium absque fine modo ac mensura sint trajiciendæ, ac sine quiete per peregrinos cœlos vagaturæ. O pulchras sedes, quas manibus defunctorum paravit Cartesianæ sapientiæ pietas!

XIX. *Ex visibilibus creaturis majestatem Creatoris invisibilis venerari discit pia mens.*

Verùm desino plura addere. Sic hìc altercandum, ne pietas amittatur. Quamobrem satius est parcius de hisce disputare, interim diligentius id agere, ut ad suos unaquæque, ad quos à Creatore Deo condita est, creatura fines diligenter ipso facto referatur. Sed quantum hac parte deficit etiam optimi cujusque cura! Scelus esse jam olim dixit Socrates, de creaturis agere, & Opificem omittere. Quis, eheu! hoc crimine insons planè? Omnia propter hominem formata esse, allubescit facilè plerisque. Ast ipsum hominem ad hoc esse conditum, ut universa illa Deo Creatori suo reddat, se persuasum habere, quis est qui ipso opere testetur, ut oportet? Inexcusabiles pronunciat alibi Gentium Doctor, qui, quam ex creati mundi factura mente perspicere debuissent æternam Divinitatem & potentiam, cum debita gratiarum actione non fuerunt ritè venerati; quando, quem ignorare non potuerunt Creatorem, non glorificarunt. Utinam duntaxat in gentiles idololatras id quadret! & non peculiari quadam ratione in nostros quoque homines, qui quodcunque pulchrum ac delectabile occurrit in creaturis, à Creatore id descendisse parùm cogitant, deque eo ad Illius gloriam ordinando nil sunt solliciti. Etiam hi Idololatræ pessimi: bonitatem non-dependentem, quæ solius Dei est, adscribentes creaturis; atque ita incorruptibilis Numinis gloriam re ipsâ mutantes

tantes in corruptibilis creaturæ similitudinem, atque huic servientes hunc in modum παρὰ τὸν κτίσαντα. Imò, *præter Creatorem* colunt creaturas, qui toti harum utilitati inhærentes, eis non ex Creatoris lege utuntur, sed suo quodam f. uuntur arbitrio, ingrati tantarum opum usufructuarii. Recurvæ nimiùm in terram animæ! indignæ erecto vultu, quo sublimiora quam quæ præ pedibus sunt meditari monentur, cœlumque potius sublatis in altum oculis tueri, eumque qui creavit hæc omnia Deum. Ita fas erat publicam hanc Naturæ domum cogitare Dei Optimi Maximi Templum, divina omnipræsentiâ consecratum: cui pro ara, humanus animus; pro dedicandis muneribus, obviæ quæque naturæ opes; pro liturgo perpetuo, ipse homo, qui obsequioso sacrificio creaturas universas suo devoveat Creatori. Hoc intuitu quicunque contemplantur tantæ summæ opificium, non illi in externa templi specie atque apparatu hærent, sed piâ mente ad intimum ejusdem penetrant ἱερατεῖον; iisque solis occurrit hoc Universum, tanquam visibile invisibilis Majestatis monumentum. Beati ter & amplius, queis accessibile tantum sacrarium! in quo fruuntur ineffabili voluptatis dulcitudine, quando mirantes γεωμετροῦντα τὸν κόσμον Deum, discunt indè, ut oportet, in tanta rerum utilitate Optimum, in tanta amplitudine Maximum, in tanto decore Pulcherrimum, in tanta varietate Ditissimum, in tanta vicissitudine Constantissimum, in tanta earundem constantia Immortalem, investigare, agnoscere, colere, adorare, Cosmopæum. Juvat cum Regio Vate, de universis Creationis operibus, deque tota natura longè latèque homini tributaria, omnium Conditori lætanter sic paucis applaudere:

O Domine! O magni Fabricator maxime Mundi,
Quam celebre est toto nomen in orbe Tuum!
Cum mens cœlorum spectat seriemque decusque,
Quos digiti artifices composuere Tui;
Cum tueor variam Phœben, ignesque globosos,
Pulcraque per nitidum sydera fusa polum:
Tunc ego: Quid sumus! Et pietas quæ tanta subegit,
Ut memor humanis usibus ista dares?

Quo Tibi tam potuit soboles humana placere,
Ut res dilectas inter & ante loces!
Das etenim facili dominetur in omnia nutu,
Archetypi recipit dum simulacra Tui:
Mille greges pecudum, genus omne volatile cœli,
Squammigerum quicquid per mare sulcat aquas.
O Domine! O magni Fabricator maxime Mundi,
Quam celebre est toto nomen in orbe Tuum!

EXERCITATIO VIGESIMA-QUARTA,

DE

DEO PROVIDENTE

PER

CONSERVATIONEM.

SUMMARIUM.

I. *Providentiæ Divinæ circa hoc Universum consideratio generalis.* II. *Prioris Providentiæ actûs, Conservationis, specialior explicatio.* III. *Eam positivum in creaturam durantem influxum notare, demonstratur.* IV. *Imò re ipsâ esse quandam continuatam Creationem.* V. *Difficultatum quarundam hìc obviarum solutio.* VI. *Qualescunque creaturas conservat Deus, influxu immediato, ac sibi proprio.* VII. *Quæcunque conservat Numen eadem annihilare, si velit, potest.* VIII. *Annihilatio,*

latio nil positivi dicit, sed meram non-conservationem.



SIc fuit Creatio. Verùm non illâ solâ quicquid extra sese operatur causa prima absolvitur. Ergò circa creaturas jam productas mox alter Dei actus contemplationi nostræ sese offert; ille nimirum, qui PROVIDENTIÆ nomine vulgò venit. *Actualis* scilicet: vox enim ista frequenter etiam notat, tum Dei voluntatem quâ jam ante tempora secu- lorum rerum omnium futurarum rationes penes ipsum exactissimè definitæ extiterunt; tum etiam æternam earundem juxta decretum præscientiam. Nostræ hìc considerationis est utriusque illius in creatura, per creationem jam existente, executio: quæ quoniam in eventu æterni consilii intentioni ad amussim respondet, nil mirum si diversis cæterùm rebus idem commune nomen sit impositum. Generatim sumtum Providentiæ vocabulum hoc loco significat, Curam Dei Creatoris circa suas jam productas creaturas. Hanc qualemcunque admittere minimè quidem sufficit (quod fusius & per partes infrà ostendetur); interim universam qui negarunt vix extiterunt, nisi qui Deum mundi auctorem & opificem esse pariter negarunt. Tanta videlicet nexûs necessitate ista duo cohærent, ut jam dudum communi consensu in axioma quasi abierit: *Si Deus est, ergò mundus regitur Providentiâ.* Epicuri gregem quod attinet, etiamsi videri voluerit agnoscere Numinis existentiam, rectè tamen existimasse videntur eruditi, parùm reverâ eum ab Atheismo abfuisse, ob negatam ejusdem Providentiam. Multò saniora hac parte extiterunt, & præ aliis pulcherrima, Stoicorum philosophemata; quæ procul dubio jam dudum applausum meruissent plerorumque, nisi obstitisset eorundem de Fato (sed malè intellecta; ut ego quidem arbitror) sententia: de qua forsan ex professo aliàs differemus. Nunc, si Deus Universi hujus Auctor sit, quam esse Exercitatione proximâ evicimus, quam pariter providens ejusdem Curator agnosci debeat, est ostendendum. Neque difficile est demonstrare, ex collata Divinæ naturæ excellentiâ cum multiplici creatæ rei imperfectione, *non*

I. *Providentiæ Divinæ circa hoc Universum consideratio generalis.*

 sine

sine custode stare tantum opus, ut alibi Seneca. Verùm multo evidentior erit veritatis hujus evictio, si singulos potius Providentiæ Divinæ actus circa res ab ipsa pendentes consideraverimus.

II. *Prioris Providentiæ actûs, Conservationis, specialior explicatio.*

In unaquaque re per Creationem jam producta duo observare licet, quorum alterum ab altero est diversissimum, Permanentiam ejus in existendo, & Activitatem ejusdem in operando. Secundum illa duplex occurrit distinctè notandus Providentiæ Divinæ actus, CONSERVATIO & *Gubernatio*. Illa est efficax Providentiæ Divinæ actio, quâ Deus creaturas suas omnes atque singulas, quamdiu esse non desinunt, facit manere eas quæ sunt factæ per creationem. Quibusdam quidem Conservationis vocabulum hoc loco minus appositum videtur; quasi notet plurium causarum sociarum in eadem re servanda coöperationem: cum tamen solius Dei sit actio illa, de qua hìc sermo est. Sed pepercisse potuissent isti supervacuâ crisi, si attendere voluissent, rectè dici Conservationem, quasi *servationem* rei *cum* illa essentia, quâm jam ab initio sui per Creationem acceperat. Verum ad rem potius accedo. In qua concipienda nequid erremus, diligenter cavendum est, ut non hìc intelligi putemus qualemcunque illam conservationem, vulgò sic dictam, quâ quid simpliciter non-destruit, quod destruere si voluisset, potuisset omninò. Ludunt hac vocis ambiguitate, qui, admittentes quasi Divinam conservationem, interim ad continuandam rem creatam in sua existentia nullum realem actum aut positivum influxum Dei requiri, arbitrantur, contendentes, sufficere puram destructionis negationem; sic ut creatura, postquam existere cœperit per creationem, ad porrò existendum usque adeò sibi sufficiat, ut nullo ad id indigeat ulteriori Dei auxilio, sed mero duntaxat indultu, qui otiosè sinat eam manere quod est. Istis ut occurreremus, describebamus nos Conservationem, efficacem Dei actum, quo creaturam permanere re ipsâ facit. Planè ad instar Solis diem, dum durat, conservantis. Nequaquam is meridianum lumen tantùm non-destruit, sed virtute quam maximè positivâ, nec minus efficaci quam quâ primam auroram produxit, ad ejus conservationem operatur.

Sup-

III. *Eam positivum in creaturam durantem influxum notare, demonstratur.*

Suppeditat huic nostræ assertioni fundamenta firmissima ipsa creatarum rerum in suo esse permanentia, si jus tantum imperfectiones ritè cogitemus. Eam & dependentem esse, & contingentem, & successivam, res ipsa clamat, nec quisquam negaverit, qui creatam non negaverit. Sed & certum est, rei cujuscunque in suo esse permanentiam haud esse omninò nihil: sic enim res nihil fieri inciperet, simulac durare inciperet; quo nihil fingi potest absurdius. Est itaque duratio verum aliquid ac reale. Neque hoc tantum, sed & continuata duratio à primo ejusdem momento realiter est distincta; quandoquidem certum est, rem aliquam durationis suæ initium accipere potuisse, ut tamen ea, quousque prolongari posset, non prolongetur. Quandoquidem autem jam sæpius demonstravimus, nequicquam quod spirat independentiam creaturæ tribui posse, clarum est, permanentiam in existendo, quæ sit aliquid verum & reale, in ea locum habere non posse, nisi ab independenti Deo, tanquam à vera & reali causa, per veram & realem influxum, procedat. Hic verò influxus est ipsa, quam explicuimus, Conservatio. Contingentiam creaturarum ratione durationis si attendas, idem suadet eadem. Nimirum, quod contingenter durat, per sese non magis est determinatum ad permanendum in suo esse, quam ad non-permanendum. Si enim ex se ad permanendum sit determinatum, non jam contingenter durat, sed necessariò. Quod si non ex intrinseca necessitate res duret, utique causæ alicujus influxui tribuendum erit quod duret. At cujus? nisi illius, quæ ut rem possibilem & ex se non-existentem per creationem fecit existere, ita & eandem contingentem & ex se non-durantem faciat durare. Cum durationis contingentia si junxerimus ejusdem successivum per partes lapsum, pulchra imprimis indè resultat argumentatio. Nempè, momenta durationis quæ in re contingente & successiva occurrunt, ex se nullam inter se connexionem habere, multo minus alterum eorum in alterum influere posse, facilè ostenditur. Certè, non ideo nunc sum, quia ante horam fui; neque ero post horam, quia jam sum: aliàs in durando contingens non forem. Iterùm, ob successivum durationis meæ lapsum, non ero post horam quod ero, nisi quod nunc sum esse desiero; neque sum quod nunc sum, nisi

nisi quod ante horam fui esse desierim. At verò, quod fuit, & jam non est, non erit, cum non erit id quod jam est: quodque jam est, mox non erit, cum non erit id quod jam est, vi ejus quod jam est, esse non potest causa illius quod mox erit. Ecce! per se insufficiens est ad durandum vel per momentum, quicquid durat permanentiâ contingenti ac successivâ. Necessaria ergò est vis externæ causæ, quæ ut suam durationem perfectissimo modo ex sese possidet, ita durationis cujusvis alterius extra se existat fons & origo, per verum & realem, de quo loquimur, Conservationis influxum.

IV. *Imò, re ipsâ esse quandam continuatam Creationem.*

Ex demonstratis abundè liquet, minimè superfluam esse hanc, de qua locuti fuimus, conservandi actionem: quod opinantur, qui contendunt, unamquamque rem per seipsam id omne quod illi semel datum fuit per Creationem retinere facilè posse, etiamsi nihil amplius in eam conferatur, modò tantum non auferatur quod datum jam antè fuit. In cujus sententiæ confirmationem ajunt, frustrà ac nullâ ratione urgente, quin absurdè, poni actionem novam ac realem, cujus nullum effectum proprium ac positivum potest assignari. Verùm ex dictis totum hoc prorsùs corruit. Etiamsi enim cuique creaturæ per Creationem simul & semel sua detur existentia; duratio tamen ejusdem, quam successivam esse jam diximus, quemadmodum, ob ipsum illum successivum sui lapsum, simul & semel existere non potest, ita ea unicâ momentaneâ actione simul & semel secundum se totam in creaturam quampiam conferri non potest. Quapropter, ad ponendam continuatam creaturæ existentiam, opus omninò est continuatâ productione; id est, Conservatione. Consequenter, proprium ac specificum Conservationis effectum est rei conservatæ existentia; non quatenus primum ex nihilo prodiit (sic ad Creationem pertinet) sed in quantum ultra primum illud emersionis suæ ex nihilo initium longius longiusque extenditur. Atque hanc ob causam rectè dictum fuit, Conservationem re ipsâ nihil aliud esse quam Creationem continuatam. Quæ enim Dei actio Creatio dicitur, in quantum existere facit, quod antè non erat, eadem illa Conservationis nomine venit, quatenus ejusdem generis influxu atque efficaciâ id permanere facit in suo esse, quod quidem antè extitit, sed

ſed quod abſque continuato hoc influxu jam non amplius extitiſſet, verum in priſtinum ſuum nihilum, ex quo per Creationem emerſerat, fuiſſet relapſurum.

V.
Difficultatum quarundam hic obviarum ſolutio.

Continuatam Creationem dicebam Conſervationem; non repetitam: ne quis hìc alternationem quandam rei exiſtentis atque nihili ſibi imaginetur, quaſi hoc momento res creata eſſe ex ſeſe deſinat, mox verò ſequenti momento nova creatione à Deo reproducatur? idque toties quoties. Ut abſurdiſſimus hic conceptus eſt, ita nihil is habet commune cum noſtra jam explicata de Conſervatione ſententia. Multò minus difficilis eſt difficultas alia, petita ab artificibus, quorum imprimis laudatur induſtria, ſi ſtruant machinas, quibus manum admovere ad earundem conſervationem nihil eſt neceſſe. Undè arguunt, minorem longè agnoſci Dei quam hominum ſapientiam ac potentiam, niſi fateamur, eum ſaltem producere poſſe creaturas, quæ ipſæ per ſeſe ſubſiſtere queant, ſolo Numinis indultu, citra ullum iſtiuſmodi continuatum Conſervationis influxum. Sed non attendunt iſti, quam, quæ duo tanquam paria hìc componunt, toto cœlo reverâ ſint diſparia. Dedero quod ipſi contendunt; ſi machinæ cujuſpiam à ſuo opifice tantam eſſe dependentiam demonſtraverint, quanta creaturæ cujuſcunque eſt à ſuo Creatore. Profectò, utì ſupereminentis perfectionis atque excellentiæ nota eſt, res etiam perfectiſſimas à ſui tanquam cauſæ efficientis influxu habere pendentes omni modo (tantum ſi id contingat abſque labore & defatigatione illius à quo pendent) ita non abſque ingenti tantæ perfectionis abnegatione hac ſe prærogativâ exueret cauſa perfectiſſima. Exueret autem re verâ, ſi quid tale produceret, quod perpetuâ ſuâ manutenentiâ quamdiu exiſtit non indigeret. Dixi, ſi ſine labore id fiat & defatigatione: abſque qua quatenus artifex in rem artefactam nec influit nec influere poteſt, induſtriæ alicujus atque peritiæ argumentum exiſtit, opera fabricare, quæ quam diutiſſimè per ſeſe ſubſiſtant & durent citra architecti ſui manum atque curam. Sed quid hæc omnia ad illum mundi cuſtodem attinent, qui nullâ unquam operis magnitudine diſtrahitur aut fatigatur, cujuſque activitas idcirco non abſque contumeliæ nota cum laborioſo noſtrorum fabrorum conamine confertur.

VI. *Qualescunque creaturas conservat Deus, influxu immediato, ac sibi proprio.*

Ostensa sic est Conservationis à nobis descriptæ veritas non tantum, sed & necessitas. Quæ quia se extendit ad omnia quæ in esse successivo perseverant, non erit opus ambulare per singulas rerum conservatarum classes. Quæcunque durant alia à Deo, eidem dependenti contingenti ac successivæ durationi subjiciuntur ex æquo omnia, atque ideò pari virtute Dei, ut Creatoris, sic Conservatoris, ad existentiam sui indigent. Magna illa fuerint num parva, visia num pretiosa, nil attinet; cum nulla excellentia tam magna existat quæ hanc dependentiam transcendat, nulla vilitas tam parva quæ infra eandem subsidat. Quin tantum abest, ut res nobis minimi momenti visæ ab hac Conservatione excipi debeant, ob abjectam sui conditionem, ut, si quod majus aut minus hìc locum habere posset (utì non potest in eis, quæ quantum habent entitatis tantundem habent dependentiæ) quo quid existit imperfectius, eo minus id sibi sufficere primæque causæ sustentatione carere posse, cogitandum foret. Porrò, cum eum in modum nulla creatura ab alia pendeat aut pendere queat, quo ipsæ omnes pendent à Deo, facilè patet hunc actum conservandi solius Dei esse privilegium. Neque de eodem dubitare sinunt quæ de Conservationis cum Creatione identitate jam disputavimus: ex qua fluit, vel Conservare non posse creaturam; vel, si conservare possit, etiam creare posse. Atquì creare non posse, suo loco satis efficaciter evicimus. Etiam quidem nonnunquam creatura alteram conservare dicitur, vel quatenus eam non-destruit, vel in quantum particulæ quæpiam unius in locum particularum dissipatarum alterius substituuntur (quod fieri quotidiè, observamus in corporum illorum continuatione quæ alimento indigent) sed quam hæc nulla sit ejusdem ordinis cum illa de qua hìc agimus Dei Conservatione, nemo vel leviter ad antè tradita attendens ignorare potest. Undè intelligitur, omnem Conservationem, si spectes modum operationis divinæ, immediatam semper esse: etiamsi ratione causarum secundarum, quarum usum qualemcunque, eo quo jam dictum est modo, admittit aliquando, aliquando omninò præterit Deus, in Mediatam & Immediatam dispesci soleat.

VII. *Quæcunque*

Istud deniquè probè tenendum est, Conservationem, non minus

minus quam Creationem, omnemque aliam actionem Dei ad extra, liberrimam esse ac purè arbitrariam; quandò perfectissima independentis causæ natura postulat, ut non diutius conservare teneatur, quam quo usque lubuerit. Neque mirum; cùm ad Entis primi perfectionem nequaquam pertineat continuata suarum creaturarum existentia. Quamobrem quâ facilitate omnia creavit olim Deus, quâque etiamnum ea conservat, eâdem, si velit, quicquid præter se existit abolere potest. Neque, si conservare aliquid desineret Numen, quicquam idcircò decederet illius vel constantiæ vel immutabilitati; quandoquidem illis non magis adversatur rei existentis abolitio, quam nova rei nondum existentis productio: quæ quo pacto cum immutabilitate consistat, quando egimus de Creatione, vidimus. Mira hinc semper mihi visa fuit illa Cartesii collectio, quâ ex Divina immutabilitate eandem motûs quantitatem in hoc universo conservari debere concludit. Gravius tamen est, quod contendunt hodiè multi ex ista cavea Philosophi, Deum nec universum hoc totum, nec partem aliquam illius, annihilare posse. Et cur nequeat? Ne spatiis imaginariis fortè fiat locus; ac pulcherrima ista mundi, tanquam nullos extensionis fines habentis, idea periclitetur. Sed jubet brevitas mittere dogma, quod penitus abnegat liberrimum Dei Conservatoris in rem à se conservatam dominium.

conservat Numen eadem annihilare, si velit, potest.

VIII. *Annihilatio nil positivi dicit, sed meram non-conservationem.*

Cæterùm cum Annihilationis mentionem feci, minimè per eam actum aliquem positivum intellectum volui; qualem quidam eam habent: sed perperam. Revera enim in ejusmodi conceptu tacitè supponitur, ac si in creatura aliquid sit, quod à mero Conservationis influxu non pendeat. Si enim pendeat, utique tantùm cessante influxu isto, cessabit existere ejus effectum, id est, creatura hactenus conservata. Quare superfluus planè est positivus annihilandi actus. Imò & absurdus. Quo pacto enim quo nihil planè ponitur, actus positivus dici potest? Et quis nisi conceptu monstrifico cogitet, perfectissimum agens omnipotenti suo influxu producere planè nihil? Rectius itaquè sentiunt, qui opinantur, ad Annihilationem nil prorsus pertinere præter purum causæ primæ non-influxum. Scilicet, uti ante mundum conditum præter Deum nihil erat, tantùm quia Deus extra

tra se nihil operabatur; ita quoque nunc, si duntaxat Deus extra se operari desineret, nihil eorum quæ antè existebant existeret, redirentque in nihilum, quæ fuerant quondam nihil. Ut Annihilatio sit re verâ non-actio, & quædam quasi non-Conservatio. Prorsus se res habet quemadmodum in aëris nostri, quæ nocte accidit, obtenebratione. Nullam ea arguit luminis diurni, quod antè extitit, per positivam actionem solis abolitionem; sed sufficit hujus in nostrum hæmisphærium merus non-influxus, non-illuminantio.

EXERCITATIO VIGESIMA-QUINTA ET ULTIMA,

DE

DEO PROVIDENTE

PER

GUBERNATIONEM.

SUMMARIUM.

I. *Alter Providentiæ actus, Gubernatio, meditationis difficillimæ ac periculosæ.* II. *Error asserentium, solum Deum omnia, creaturas nihil operari.* III. *Alter error illi oppositus, nullum Dei in operantes creaturas influxum agnoscens.* IV. *Vera Dei efficientia in causarum secundarum actiones asserta:* V. *Atque à difficultatibus quibusdam præcipuis vindicata.* VI. *Utriusque causæ, primæ & secundæ, eadem esse docetur in effectu quopiam producendo actio.*

actio. VII. *Dubiorum in hac sententia occurrentium brevis solutio.* VIII. *Tres hujus Providentiæ quasi actus, Præcursus, Concursus, & Gubernatio strictè dicta.* IX. *Virium ad operandum largitio ad hos Providentiæ actus neque sufficit, neque pertinet.* X. *Præcursus quid, & quo usque actione creaturæ prior?* XI. *Præcursus Divini actionem creatam prædeterminantis necessitas demonstrata.* XII. *Influxus Dei generalis & determinabilis aliorum quam sit non uno modo in Deum contumeliosus?* XIII. *Præmotionis Dei efficacis cum libertate creaturæ conciliandæ difficultas undè potissimum oriunda?* XIV. *Duplex in hanc rem prænotanda magni momenti observatio.* XV. *Creatæ causæ libertas, utì non independens, ita nec prorsus indifferens, statui potest.* XVI. *Alterius causæ veram libertatem cum determinatione alterius consistere, & ex natura rei, & ex adversa hypothesi ipsa, docetur.* XVII. *Prædeterminans Providentia neque Deum peccati auctorem statuit, neque peccantem creaturam excusat.* XVIII. *Eadem neque Deum injustitiæ arguit, neque causarum secundarum potentiæ activæ præjudicat.* XIX. *Concursus Dei agnoscendus tanquam causæ totalis, immediatæ, & principalis.* XX. *Concursu Dei continuato indiget creatura quamdiu in operando perseverat.* XXI. *Gubernantis Providentiæ Divinæ necessitas paucis demonstrata.* XXII. *Ea ad quasvis creaturarum actiones extendenda; etiam minimas, contingentes, liberas, malas.* XXIII. *Gubernatio Dei tota sanctissima, independens, irresistibilis, sapientissima, constantissima.* XXIV. *Providentiæ Divinæ in Ordinariam & Extraordinariam; item, in*

Realem & Moralem, divisio. XXV. *Moralis Providentiæ consideratio unicum genuinæ Philosophiæ Moralis Fundamentum.* XXVI. *Tractatûs de Deo, ejusque Providentia, Epilogus.*

I. *Alter Providentiæ actus, Gubernatio, meditationis difficillimæ ac periculosæ.*



D alterum Divinæ Providentiæ actum transeo, sive ad curam Dei circa rerum creatarum activitatem, GUBERNATIONEM puta; sumtâ voce generaliori significatu: nam & aliàs specialius aliquam quasi hujus Providentiæ partem notare solet. Quæ eadem ambiguitas in vocabulo *Concursus* observanda: utì ex infrà dicendis intelligetur. Attentione verò attentissimâ ac multo majori hìc opus erit, quam in ullo capite de Deo hactenus tractato; tam ardua & periculi plena est hæc meditatio. Nimirum, vix imò vix concipiendæ alicui activitati par est nostra cogitatio, quam non exigat ad actionum quas in nobismet ipsis deprehendimus mensuram. Atquì illæ sese hìc nobis offerunt viæ, quæ quantum cœlum tellure nostrâ est altius, tantùm existunt viis nostris sublimiores. Quamebrem quisquis curâ minus circumspectâ ac pede parum stabili incomprehensibilis mysterii altitudinem conscendere nititur, etiam ex levissimo lapsu præceps devolvitur in errores profundissimos; quorum quidem initia primâ specie apparent tenuia, incrementa verò existunt tanta, ut nullo unquam dogmate purioris rei Theologicæ facies conspurcata fuerit fœdius, quam perperam intellectâ hac Providentiæ divinæ parte. Est hæc re verâ hæresium quarumcumque corculum: quandoquidem una fermè omnium summa existit, ex impiis corruptæ rationis elementis hanc saniorem impugnare doctrinam; quâ vitiatâ facilis via est, ad profanandum universum divinarum perfectionum sacrarium, cumque obtrudendum Deum, qui re ipsâ iners atque impotens prorsùs sit idolum. Ex adverso, nulla æquè pia est de Numine persuasio, quam quod ejusdem provido consilio & efficaci manu regatur omnis qua latè patet universi machina. Hic nucleus & medulla est puriorum de Deo cogitationum; absque quo nun-

nunquam erit, ut quis ritè agnoscat & veneretur adorandam supremi Regis majestatem. Ejus gratiâ freti tantarum rerum meditationem aggredimur: sed modestam; quando hìc tutius est humi serpere, quam in sublimi pati vertiginem.

II. *Error asserentium, solum Deum omnia, creaturas nihil operari.*

Intelligimus per hunc Providentiæ actum, omnem illum causæ primæ influxum, quem præbet ad quascunque quarumcunque suarum creaturarum, sive causarum secundarum, actiones. Duplex in hoc negotio sese offert causa, utraque verè operativa: interim altera alteri sic subordinata, ut quicquid agit inferior, id agat acta à superiore; indèque idem effectus duplici causæ sese debeat, Deo scilicet & creaturæ. Notandum itaquè hìc occurrit duplex principium ἐνεργητικὸν, sive operativum; una tamen ἐνέργεια, sive operatio, à gemino illo principio fluens; atque unum deniquè ἐνέργημα, sive opus productum. De hoc quidem dubitari nequit. De isto constabit facilè, quandò illud planum fecimus. Ut ergò à primò faciamus initium, asserimus, effecta quævis, quæ à causis suis naturali ratione procedunt, & Deo tribuenda esse, & creaturæ; utrique tanquam causæ proximæ & totali in suo genere. Adversatur nostræ huic thesi duplex error, in extrema è diametro opposita secedens. Alter creaturas nihil agere, sed solum Deum; alter Deum nihil agere, sed solas creaturas, contendit: quorum ille etsi sit stultissimus, hic profanus quoque, neuter tamen suis destituitur propugnatoribus. Priorem opinionem rejectam suscitarunt quidam Scholastici, docentes, nihil activitatis creaturis competere, sed duntaxat Deum agere ad earum præsentiam. Admodùm vicina huic sententiæ existit illa hodierna Cartesiana Philosophatio, quæ (exceptâ mente humanâ) præter materiam ac varios ejus modos in creaturis admittit nihil. Quum enim illa duo sint merè passiva, sequitur exindè, res omnes creatas omni prorsùs activitatis principio destitui, nec quicquam extra se producere posse. Imò, ne mens humana quidem hìc excipi potest, quandoquidem eam contendunt meram esse cogitationem; quæ quam nullum effectum extra se ponere apta sit, clarum est. Sileo deliria fanaticorum, non se, sed solum Deum in se, agere, quod agere dicuntur, contendentium. Et hos quidem efficacissimè redarguere poterat vel propria suorum facinorum conscientia;

quo-

quorum culpam sanctissimo Deo, ceu causæ, transscribere, abhorrentius est ab omni pietatis sensu, quam ut à nobis confutari debeat. Istos verò refellit evidenter constans Universi harmonia, conservata per adjumentum mutuum quod sibi præstant ejusdem partes; quippe quæ sibi invicem id præstare nequeunt absque alterius in alteram influxum & causalitatem. Adde Dei variam in creaturis ad naturarum varietatem accommodatam operationem: frustrà profectò huic accommodatam, nisi sic postulante variâ rerum creatarum activitate; quandoquidem divina virtus, si per se solam cogitetur, in quovis subjecto quidvis operatur eâdem operandi facilitate. Verùm, quoniam de Dei potius quam creaturarum activitate agendum nobis est in præsens, desino pluribus confirmare, quod (ne nimiùm abeamus ab eo quod præ manibus est argumento) hypotheseôs instar hoc loco rectius à nobis assumitur.

III. *Alter error illi oppositus, nullum Dei in operantes creaturas influxum agnoscens.*

De altero itaquè errore videndum erit diligentius; illo scilicet, qui citra ullum verum Dei influxum causas secundas operari contendit. Agmen hìc ducunt, post Atheos, Epicurei, qui nihil hujus Providentiæ Diis suis faciunt reliquum, verentes eosdem ex suis intermundiis ab otio voluptuoso vocare ad negotium. Exertìm, ex eorum mente, Lucretius:

Natura videtur,
Libera continuo dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia Dis agere expers.

Quibuscum in partem societatis veniunt Peripatetici, illi qui mundum sublunarem divinæ curæ subducunt. Ruunt quidem hæc omnia per ea quæ jam antè de Creatione & Conservatione nobis disputata sunt, ut solo comtemptu vindicanda videri posset sacrilega impietas; nisi inter ipsos Christianos jam olim Durando, nuperius quoque Taurello, cum suis, libuisset eandem recoquere, negando cum actionibus causarum secundarum concurrere Deum. Atque utinam negent isti soli! Etiam hodiè Jesuitæ & Sociniani, cum socienis suis, etiamsi, ad declinandam negatæ divinæ Providentiæ invidiam, vafro consilio verbis ferè utantur modestioribus, quando tamen ad rem ipsam ventum est, cumprimis autem ad concursum Dei in liberas rationalium creaturarum actiones, sic consulunt libero suo arbitrio

bitrio per efficacis divini influxûs divortium, ut supremo cœlorum terrarumque Regi tribuant re verâ pro sceptro arundinem. Istud ergò nobis hoc loco ponendum est fundamentum, cui firmum superstruatur ædificium, ac tale quod sustinere queat Sophistarum quorumcunque insultus. Summa rei est, nullam à creatura qualicunque fluere actionem, qua talem, quæ non pariter proficiscatur ab efficientia Dei, tanquam causæ ejusdem veræ ac realis. Hanc assertionem si demonstratam dederimus, faciliori negotio superabimus quicquid circa Providentiæ hujus modum ab adversariis movetur difficultatis. Ergò hoc agamus! & paucis quidem: quandoquidem res omnis conficitur, attendendo duntaxat notionem tum Creaturæ tum Creatoris. *Faciam* (dicam cum Seneca) *rem non difficilem, causam Deorum* (Dei) *agam.*

IV. *Vera Dei efficientia in causarum secundarum actiones asserta.*

Multâ demonstratione jam sæpius evicimus, indubitatum esse axioma, tantum esse in creaturis relatis ad suum Deum dependentiæ, quantum est in eis entitatis. Nunc itaquè scire lubet, nùm quid entitatis quæcunque creaturæ actio includat? Si includat (ut includit; nisi forsan actio creaturæ nihil sit) tantundem ergò includit dependentiæ. Dependentiæ scilicet talis, qualis est cujusvis entitatis; id est, istius, quâ Dei tanquam suæ causæ influxui vero ac positivo se totam debet. Quamobrem, vel nihil planè est creaturarum actio, vel si quid positivi sit, id totum à Deo habet tanquam à principio sui. Iterùm: planum jam antè fecimus, à Deo tanquam à causa sui pendere creaturam quamvis, quousque ab eo pendere potest. At si solius essentiæ non item operationis suæ respectu, à positivo Dei influxu penderet creatura, minus certè à Deo penderet, quam ab ipso pendere posset. Nisi quis contendere cupiat, actiones creaturarum ipsâ suâ naturâ ab alio pendere non posse; id est, divinas esse & infinitè perfectas. Quin, cum modus operandi eum qui essendi est sequatur, creatura autem quolibet existentiæ momento vi efficacis Dei influxûs, sive Conservationis, subsistat, negari nequit, eandem in operationibus suis pari Dei influxu, sive Concursu, indigere. Et quis concipiat rem, cujus tota substantia Dei est; cujusque tamen accidentia, actiones puta, eodem cum sua substantia modo ad Deum nil pertineant? Subjectum ergò dependens erit,

 ad-

adjunctum independens? Creaturæ secundaria & subordinata erunt entia, prima interim nec ulli causæ obnoxia agentia? Videmus clarè, quam nemo affirmare possit, Deum minus influere in actiones causarum secundarum per Concursum, quam influit in essentiam earundem per positivam Creationis & Conservationis efficientiam, quicunque non monstrosâ contradictione, eandem rem simul agnoscere velit dependentem, id est creaturam, in essendo, & independentem, id est Deum, in operando. Sufficient ista: quapropter alia addere desino. Tantum notari velim, hisce rationibus non solùm nos ostendisse ejus Providentiæ de qua agimus veritatem, sed & universalem ejusdem necessitatem; atque adeò simul confecisse, extendere se eam ad quasvis quarumcunque creaturarum actiones. Quandoquidem enim eas eruimus ex ipsa natura creaturæ qua talis consideratæ, nequeunt, citra hujus abnegationem, illi magis subduci sublunares actiones, quam cœlestes; liberæ, quam necessariæ; malæ, quam bonæ; minimæ, quam maximæ. Quatenus enim omnes in eadem creatæ entitatis categoria includuntur, etiam pariter eidem subsunt dependentiæ. Quæque interim suo modo atque ordine: de quo constabit ex sequentibus plenius.

V. *Atquè à difficultatibus quibusdam præcipuis vindicata.*

Difficultates quæ nostræ sententiæ obstare videntur, nunc prius amovendæ sunt. Nil moror Epicureorum fatuitatem, metuentem, ne nimiis rerum molestiis implicetur Numen, si cunctis nostris actionibus præsit. Toto cœlo ea aberrat ab omni conceptu saniori de Deo; quem qui cum molesto conatu ac fatigatione concipit actuosum, ne Deum quidem concipit. Æquè frivolum est, quod urgent de bonis quæ malis, de malis quæ bonis in hac vita frequenter eveniunt; quodque minimè futurum autumant, si cura justi ac benigni Dei circa singulas rerum actiones versaretur. Sed solvit jam dudum egregiè hunc nodum Seneca, in suis de Providentia dissertationibus. Itaque, quid alii hùc adferant, videamus potius. Urgent imprimis, superfluum esse talem Dei in nostras actiones influxum: si enim certum sit, creaturas tanquam causas principales naturali sibique inditâ ac sufficiente virtute præditas esse ad operandum, sequi omninò putant, eas causæ superioris auxilio non indigere.

Sed

Sed consequentia inconsequens est. Etenim, sit causa secunda sufficiens ad operandum, etiam tanquam causa principalis; non hoc ipso sufficiens est ad operandum tanquam causa prima. Aliud enim est, sufficiens esse ad operandum in suo genere; aliud, prorsus independens esse, nulloque primi entis auxilio indigere. Sufficientia causæ creatæ secludit omnem causalitatem quæ sit ejusdem secum generis ac naturæ; non subordinationem ad efficientiam illam, à qua quemadmodum pendet ipsa causæ creatæ virtus, ita non minus actio ab ea procedens, cum dependentia à causa prima utrique illi æquè sit essentialis. Itaque, si subordinata non pugnare cogitaverimus, facilè intelligemus, dependentiam à causa prima nil præjudicare sufficientiæ ad operandum quæ competit creaturæ in genere causæ secundæ. Si instes, causæ creatæ suarum actionum perfectiones in se ipsis continent, facilè ergo ex se & per se eas producere poterunt, citra alterius auxilium: regero, speciem habituram fore hanc objectionem, si creaturæ actionum suarum perfectiones in se continerent à se & ex se. Atquì id est falsissimum. Quamobrem, quemadmodum creaturæ actionum suarum perfectiones in sese non continent ex sese, sed dependenter a causa prima, quæ eas in illis posuit; ita quoque easdem ex sese elicere non poterunt, nisi dependenter ab influxu ejusdem causæ, qui eas faciat ipso facto illas exserere. Ut verbo dicam, tribue creaturæ virtutem operandi quantumvis sufficientem, nil repugno; duntaxat si, quantam in ea ponis sufficientiam ad agendum, tantam agnoscas in agendo dependentiam.

VI. Utriusque causæ, primæ & secundæ, eàdem esse docetur in effectu quopiam producendo actio.

Manet itaquè firmum, nullam actionem ità in solidum causæ creatæ tribui posse, ut non ea pariter agnoscat causam sui Deum. Verùm, nùm utrumque hoc principium influat in eundem effectum eàdem numero actione; an potius distincta in hoc negotio statuenda sit actio Dei, & alia ab ea quæ creaturæ est? quæritur. Meretur que hoc dubium eo diligentius hoc loco expendi, quia eodem utitur Durandus, ad evertendum quem jam adstruximus Dei influxum. Si Deus, inquit, ageret immediatè ad productionem effectuum causæ secundæ, aut ageret eàdem actione, quà creatura; aut aliâ. Non eàdem; quia impossibile est, eandem numero actionem esse à duobus vel pluribus agentibus ita, ut à quolibet sit immediatè & perfectè.

ctè. Non aliâ; quia, &c. Nos hìc respondendum censemus cum eis qui sentiunt, Deum agere cum creatura actione numero eâdem cum ea quâ agit creatura. Atque arbitror, si sic sentiamus, multo facilius expediri haud paucas difficultates, quæ sese in hoc Providentiæ negotio offerunt. Id certum est, præter Deum & res à Deo productas nihil dari in rerum natura. Quod si actionem Dei cogitaverimus, prout sese habet activè à parte principii sui, Dei, non minus certum est, eam nihil creaturæ esse, sed ipsissimum simplicissimo modo actuosum Deum. Passivè ergò spectanda venit, prout extra Deum terminatur in creaturam. Atque sic consideratam nihil aliud esse posse asserimus, quam ipsam actionem causæ secundæ, quatenus ea à prima quoque causa procedit. Prorsus quemadmodum Creatio: quæ non concipienda venit ut actio, indè à creatoris, hinc à creaturæ natura distincta; sed tanquam ipse creator, si activè spectetur, vel tanquam ipsa res creata, si consideretur passivè. Sicuti verò præter ista duo tertium quodcunque in creatione nec dari nec concipi potest, ita pari ratione dicendum hoc loco, illum divinæ virtutis influxum, de quo agimus, à parte Dei quidem ipsum Deum esse, verum à parte operantis causæ secundæ, ipsissimam actionem creaturæ. Imò, nisi eâdem numero actione Deus agat & creatura, non potest actio creaturæ Deum habere causam sui proximam, sed remotam duntaxat: quod immediatæ creaturarum à Deo dependentiæ planè adversatur. Tandem, si Dei actio non eadem sit cum illa creaturæ, quid ni pari necessitate illa actio Dei, quâ actio creaturæ ab ea distincta producitur, aliâ indigeat iterùm efficientiâ à se distinctâ, quâ producatur ipsa hæc? Si sic, influxus influxibus cumulandi erunt absque fine. Id ergò ne fiat, in prima actione Dei, quæ cum actione creaturæ una eademque sit, erit subsistendum.

VII. *Dubiorum in hac sententia occurrentium brevis solutio.*

Quod asserunt, fieri non posse, ut actio numero eadem à duobus agentibus procedat, ità ut à quolibet sit immediatè & perfectè, id totum verissimum esse damus in causis coördinatis; quarum mutua independentia eundem ab utroque procedentem influxum non admittit. Verùm longè dispar ratio est illarum causarum, quarum una per omnia sui omnimodam & totalem dependentiam dicit

ab

ab altera; uti hic obtinet. Cui rei simile exemplum in rerum natura nullum exstare, cum jam antè monuerimus, frustrà laboratur in adferendis hùc instantiis ab obviis causis desumtis; quippe quæ nimiùm existunt dissimiles, ad fundandam argumentationem contra allatæ à nobis demonstrationis evidentiam. Sed, inquiunt alii, eidem actioni eadem necessariò conveniunt prædicata. Si itaque Dei & creaturæ actio numero una hìc sit, quod peccatum huic adhæret, etiam illi adhærere dicendum erit: quod tamen omni modo à divina sanctitate abhorret. Ast, tametsi sit verum, ejusdem actionis secundum se spectatæ easdem esse affectiones reales ex natura illius actionis fluentes, non tamen id quadrat in peccatum, quod propriè loquendo privatio est alicujus boni, atque ideò potissimum æstimandum venit ex modo quo se agens habet ad suam illam actionem, quæ peccaminosa existit. Jam verò parili modo & Deum & creaturam ad eandem illam suam actionem habere sese, id est quod nego. Producit Deus actionem; non comproducit bonitatem moralem: atquì non tenebatur. Producit creatura eandem illam actionem; nec comproducit bonitatem moralem: atquì hæc omninò tenebatur. Negativè ergò sese habet Deus, privativè creatura: consequenter, eadem in eàdem actione absentia respectu hujus rationem peccati habet, illius respectu nequaquam. Verum de hisce deinceps quoque dicendum erit. Nunc, ut absolvam, contentus ero demonstrasse, quod ab initio demonstrandum proposueram; videlicet, quodcunque opus à creatura productum, etsi in se sit unum, duplex tamen agnoscere sui principium subordinatum, Deum & creaturam; à quo utroque fluat per unam & eandem utriusque actionem. Quæ qui rectè perceperit, viam ad sequentem tractatum is stratam sibi experietur planam atque expeditam.

VIII. *Tres hujus Providentiæ quasi actus, Præcursus, Concursus, & Gubernatio strictè dicta.*

Nequaquam verò sufficit, generatim agnovisse Divinam Providentiam, quæ in omnibus creaturis operetur omnia; nisi quoque istius efficientiæ modus statuatur ille, qui tanti Numinis independentia atque primitate sit omninò dignus. Quod arduum negotium quo distinctius à nobis concipiatur, plurimùm juvabit tria sigillatim attendisse, quæ in quavis causæ secundæ operatione intellectui nostro sese offerunt. Occurrit primò agentis cujusvis prima applicatio ad agendum; hanc mox sequitur

tur ipsa ejusdem activitas; quam denique excipit actionis universæ ad suos fines specialis determinatio. Quumque in istis omnibus dominetur Dei influxus, non malè etiam hìc tripliciter consideratur: vel quatenùs primo instanti quiescentem antè creaturam potenter excitat ad agendum; vel quatenùs agentem jam creaturam, quamdiu agit, indesinenter promovet in agendo; vel tandem, quatenùs in præstitutos abs se fines actionem totam sapienter regit atque gubernat. Illo modo spectata Providentia, Præcursus; isto, Concursus; hoc, Gubernatio dici commodè potest: sumtis vocabulis aliquanto strictius ac sæpè accipiuntur, quando absque discrimine singula pro universa Dei Providentia usurpantur. Cavendum verò, ne quis hìc trinam Dei actionem verè distinctam concipiat: idem enim unusque re verâ influxus est, qui variè conceptus cum relatione ad actionis creatæ, vel initium, vel progressum, vel finem, pro vario hoc considerandi modo, variam subit denominationem.

IX. *Virium ad operandum largitio ad hos Providentiæ actus neque sufficit, neque pertinet.*

Quæ percipientur multo facilius, ubi de singulis dixerimus. Suppono semper & ubique in hac dissertatione, Deum creaturas instruxisse viribus ad agendum idoneis, sive facultates naturales eæ fuerint, sive etiam habitus: quin & eundem vires istas in eisdem continuare suo influxu. Id tam manifestè arguit creaturarum à Deo dependentia, ut de eo vix dubitet quisquam eorum omnium, qui aliquem saltem Dei Concursum admittunt. Tantum falluntur vehementer, quotquot hoc uno omnem Providentiam divinam absolvi putant, neque progrediuntur longius. Si sic, non jam Deus ipsius actionis creatæ auctor foret; quem esse necessariò, jam demonstravimus. Quandoquidem enim potentiæ atque habitus frequenter existunt otiosi omnique actu secundo destituti, certè non is qui facultatem agendi concessit, vel habitum infudit, ideò actionis indè fluentis haberi potest vera causa. Quumque actio ipsa aliquid sit ab istis agendi principiis verè distinctum, etiam in actionem qua talem, non tantum in agendi facultatem, Deum influere, tenendum est. Imò, illa Dei actio quâ creaturis vires ad operandum dedit, si accuratè loqui cupiamus, non tam Providentiæ est, quam potius Creationis: sicuti illa, quâ vires semel con-

concessas permanere facit, propriè non Concursûs est, sed Conservationis. Prærequisita ergò illa tantum sunt specialis istius Providentiæ, de qua hìc agimus.

X. *Præcursus quid, & quo usque actione creaturæ prior?* In ea sese primum offert PRÆCURSUS: qui quatenus naturæ ordine creaturæ activitatem antecedit, etiam Prædeterminatio, seu Præmotio, aliis quoque Concursus prævius vel prædeterminans, dici consuevit. Designatur eo nomine, ipsa Providentia Divina, quatenus creaturarum vires, quotiescunque sunt operaturæ, efficaciter ad agendum excitat & applicat. Dicebam, hunc actum Præcursum dici, eo quod *ordine naturæ* activitatem creaturarum antecedat: quandoquidem enim jam ostendimus, non aliâ atque aliâ, sed eâdem numero actione & Deum agere & creaturam, per se manifestum est, nullam temporis prioritatem hìc locum habere posse; nisi quid se ipso prius extitisse dicatur. Probè id observandum est adversus adversariorum nostrorum hac parte calumnias, quibus affingere nobis solent, ac si sentiamus, primo temporis momento Deum reali efficientiâ creaturam ad agendum excitare, deinceps sequenti temporis articulo creaturam sic motam, istâque vi externâ impulsam, cum aliter nequeat, operari quoquè. Absona ista sunt, utì à natura rei, ita à nostra opinione. Imò verò, Concursum concomitantem & simultaneum, ut ipsi vocant, ab hoc concursu prævio, ac si gemina actio sit, ne quidem re ipsâ distinguimus: sed inchoatum Concursum, quatenus is ordine naturæ creaturam agentem præcedit, Præcursum vocamus; qui idem Præcursus continuatus, quatenus ratione temporis cum actuosis creaturis prorsus simul est, Concursus dicitur. Tantum ergò volumus, Deum non duntaxat simultaneitate temporis agere cum causis secundis, sed & prioritate naturæ agere in causas secundas. Etiamsi autem hæc communis etiam opinio sit plurimorum ex Doctoribus Scholasticis, qui indè Prædeterminantes appellati sunt, quales existunt præ aliis Thomistæ & Dominicani, adversantur tamen ei imprimis quotquot Scientiæ mediæ commentum sunt amplexi, quos inter excellunt Jesuitæ. Videndum itaquè, quæ ratio suadeat, Deo tribuendam esse hanc in operando prioritatem, quoties per ejus influxum agunt creaturæ.

De-

XI. *Præcursûs Divini actionem creatam prædeterminantis necessitas demonstrata.*

Demonstratum jam dedimus, nihil agere creaturam, nisi influente Deo. Influente nimirùm efficacia sese digna, atque conveniente cum Independentiæ suæ excellentia. Non sinit hæc, pares facere Deum & creaturam, ita ut nulla sit causæ primæ præ secunda eminentia. Atquì quæ hæc erit, si tantùm cum creaturis concurrat Deus? Nam & itidem cum Deo concurrunt creaturæ. Nihil ergò sic Deo fiet reliquum, præter causæ merè sociæ gloriam, pari passu cum creatura progredientis, habentisque non nisi divisum cum ea imperium. Imò verò, prima atque secunda causa nomina duntaxat erunt absque re; quandò primæ nulla re verâ erit prioritas præ secunda, secundæ nulla ad primam subordinatio. Adde (quod suis locis à nobis est ostensum) jam ab æterno suam stare efficaci Dei consilio absolutam immutabilitatem, suam divinæ præscientiæ infallibilem certitudinem. Quì autem stet, nisi intentionis ordini respondeat ad amussim eventùs complementum? Et quo pacto hoc illi respondeat, nisi provida cura Numinis intercedat, prævio suo imperio ad id agendum creaturas excitans, quod ipsas in tempore acturas ab æterno & præordinavit & prævidit? Neque hujus illationis vim ignorant adversarii: quamobrem ad æternæ providentiæ seriem cum actuali ejusdem executione conciliandam, quam ut agnoscant supremi Numinis super suis creaturis in agendo primitatem, cerea & ambulatoria illi decreta, ac speculantem quasi ex conjectura scientiam, tribuere malunt. Atque hac de causa universum hoc negotium planè ac plenè confici posset vel illis rationibus solis, quibus jam dudum Divini Intellectûs & Voluntatis asseruimus independentiam. Unum, quo absolvam, adjiciam. Nisi alteram causam ab altera hìc prædeterminari statuamus, scire lubet rationem & modum istius connexionis inter actionem utriusque, quâ fit ut utraque in eodem opere producendo concurrat? Non id forte fortuna fieri, clarissimnm est. Neque tamen extra Deum & creaturam quicquam existit, cui id adscribi queat: nisi fatuissimum fatum quis inducere cupiat, cujus legibus utrumque agens, æquè primum ac secundum, sic sit adstrictum, ut altero operante mox coöperetur alterum. Quando ergò nullum tertium impellat Deum & creaturam ad simultaneam actionem, restat, nexûs istius rationem quærendam esse vel in Deo, qui faciat creaturam concur-

ſecum; vel in creatura, quæ faciat Deum concurrere ſecum. Poſterius quis eſt qui palam auſit amplecti? Nemo enim nòn manibus palpat, ſi cauſæ ſecundæ id tribuatur imperii in actiones cauſæ primæ, ut illa quoties lubitum fuerit hanc vocet in operis ſui ſocietatem, idem prorſus hoc eſſe, ac Numen habere non Univerſi gubernatorem, ſed apparitorem poties; qui ſcilicet attentiſſimè creaturarum ſuarum nutus obſervare teneatur, atque ilicò præſto eſſe, ſimulac hiſce ad opus quodpiam ſeſe accingere placuerit.

XII. *Influxus Dei generalis & determinabilis aliorum quam ſit non uno modo in Deum contumelioſus?*

Et profectò tantum harum demonſtrationum eſt pondus, ut eo preſſi Adverſarii apertè quod res eſt profiteri vix auſint, ſed tutius habeant latebras quærere in ambagibus verborum; at quorum ſenſum ſi detexeris, detexeris pariter eandem, verum palliatam tantum, quam nunc impugnavimus, impietatem abſurdiſſimam. Nimirùm, influxum Dei admittere videri planè volunt: at verò ita ſeſe mox explicant, ut non agnoſcant alium, quam generalem, indifferentem, determinabilem; ſpecificandum ſcilicet & determinandum ad alterutrum oppoſitorum à libero rationalis creaturæ arbitrio. Ut fermè Deum in hoc negotio ſeſe habere cogitandum ſit ad inſtar hominis, qui organi alicujus pneumatici tubos aëre quidem inflat, totam tamen hujus ad hunc vel iſtum ſonum producendum determinationem arbitrio & actioni muſici relinquit. Indè fingunt, loco Præcursûs jam à nobis explicati & demonſtrati, concurſum neſcio quem, *oblatum*, utì vocant, quo voluntatem noſtram prædeterminari negant; quippe qui exiſtat talis, ut eum creatura libera ſic habeat in ſua poteſtate, ut eo uti vel non uti, ad hoc vel ad oppoſitum efficiendum uti, queat. Qua in re eo uſque progredi non verentur, ut doceant, *hominem uti poſſe pro ſuo arbitratu Dei concurſu, non aliter ac ſi eſſet habitus inhærens.* Atque hiſce principiis ſuam debent originem omnia illa ſententiarum portenta, quibus ab omni ævo hæreticorum furor victricem Dei efficaciam in ſalutis noſtræ negotio impugnavit. Qualis eſt imprimis gratia illa converſionis reſiſtibilis, quæ quidem ſufficiens ſit, ſi forſan incidat in piæ diſpoſitionis animum, eâ ritè uti paratum; per ſe tamen nequaquam efficiens, quippe quæ nullo negotio à contumaci peccatore poſſit reſpui. Nos, relictis Theologis poſteriori-

rioribus hisce, ista priora à detestando sacrilegio absolvere non possumus, propter rationes quibus præcedente articulo firmiter evicimus, Deum non tanquam Deum agnosci, nisi agnoscatur primus motor, quascunque causarum secundarum operationes efficaciter sibi subordinans. Atquì per ista creaturæ subordinatur creator; pars magna divini influxûs irrita redditur & frustranea; independens determinatio actionis quæ Dei est dependenti creaturæ asseritur; omnipotentiæ divinæ per creaturam ponitur obex; divinæ præscientiæ certitudo evertitur; consiliorum divinorum constantia infringitur; omnis divinæ gubernationis ordo confunditur; utque uno dicam verbo, sic in supremo dominationis throno collocatur humana voluntas, divinæ Providentiæ nexibus emancipata, ut Deo inane duntaxat relinquatur simulacrum imperii, quippe quod sit mancum, pendulum, confusum, precarium, enervatum, ac mixtum cum plurima ad creatum arbitrium submissione. Quorum omnium cum ex antè dictis facilis sit demonstratio, brevitatis causâ eis inhærere desino. Certè rem quâ oportet attentione examinanti dubium jure merito videri possit, an non tolerabilior re verâ sit Epicureismus, omnem Dei gubernationem penitus expungens, quam tam mera providentiæ creato arbitrio sic subditæ, ac ne speciem quidem summæ Majestatis præ se ferentis, umbra.

XIII. *Præmotionis Dei efficacis cum libertate creaturæ conciliandæ difficultas undè potissimum oriunda?*

Duas autem præ aliis admovent machinas, ad quassandam Divinæ Prædeterminationis certitudinem, ejusdem hostes. Altum ante omnia clamorem tollunt de libertate nostra, quam perimi omninò vociferantur, si divinæ præmotioni humani arbitrii actus eo quo dictum est modo subjiciantur. Nimirùm, necessitatem quandam agendi induci per hunc Præcursum efficaciter excitantem, manifestum evadit. Atquì quod in operando necessitati cuipiam subest, id liberè agere non posse, contendunt; quatenus per necessitatem destruitur ad utrumlubet oppositorum indifferentia; quam ipsi pro anima libertatis habent. Atque hæc illa Helena est, quæ dedit, non decennale bellum, sed omnium fermè seculorum Theomachiam. Nobis nunc paulo pressius cum istoc Achille est congrediendum, & nùm tantus sit, ad conficiendum quod isti volunt, ac vulgò habetur, cominùs experiundum est. Dederim ab initio, in con-

conciliando hoc Dei cum creata voluntate Præcursu aliquid latere, quod obstat, quo minus omnem hìc difficultatem superare queam. Dederim, inquam, hoc: neque mirum id videri poterit; neque tale, quod quicquam faveat adversariis. Mirum accidere nequit; præcipuum enim fundamentum ex quo ratio conciliandæ nostræ libertatis cum divino Præcursu est eruenda, pendet à clarè & distinctè percepto modo illo quo causa prima in creatam voluntatem operatur: illo enim non planè perspecto, necessariò etiam hærebimus in comprehendenda habitudine, quam ex ipso hoc operandi modo causa prima dicit ad creaturæ voluntatem. Atquì quid dignius existit incomprehensibili Deo, quam incomprehensibiles fateri quas servat nobiscum agendi vias. Decentior itaque Deo ac veritati magis congrua videri debet nostra sententia, vel ob hoc ipsum, quia aliquid mirabile in ea latet, quam illa adversariorum, quæ nihil difficultatis, ut illi opinantur, hìc reliquum facit. Interim in ea quam asseruimus veritate ipsi quoque minus invenirent scrupuli, si didicissent satis à sublimitate tantarum rerum humiles istos & abjectos influendi modos removere, qui nobis in creaturis sunt obvii. Id quia negligunt, nodos ipsi sibi nectunt in hoc negotio insolubiles: quos magnam partem potuissent declinare, si attendere voluissent, indè quidem nullam causam creatam tam intrinsecam esse posse alteri, quam Deus existit creatæ voluntati; hinc verò, nullam causam creatam tam ab alia pendere posse, quam à Deo pendet sua creatura. Quo observato, sponte suâ evanescit præcipua hujus loci difficultas, ex iniquâ istiusmodi comparatione maximè oriunda. Sed & ab initio aliquid hujus præmonuimus.

XIV. *Duplex in hanc rem prænotanda magni momenti observatio.*

Quicquid sit, quod nos ignorare mirum non est, nequaquam id creare debet præjudicium veritati, de qua sumus aliundè certò persuasi. Deum non posse non omnibus creaturarum actionibus præesse, ex perfectissima ejùs natura jam demonstravimus: creaturæ rationalis voluntatem non posse non liberam esse, ipsi in nobis ipsis experimur abundè. Nunc pone, in connectendis istis duabus veritatibus me hæsitare: nùm ideò non-cognita connexionis ratio abnegare faciet alterutrum extremorum certissimè exploratorum? An verò etiam id scire non velle debebo

quod ſcio, quia quo pacto eorum quæ ſcio alterum cum altero cohæreat, neſcio? Quin imò, ut nulli non conſtet, quam abſurdus ſit adverſariorum in hoc negotio proceſſus, grandius quid dabo, nunquam tamen concedendum. Fingamus, demonſtraſſe eos, concipi non poſſe cauſæ primæ prædeterminationem qualem deſcripſiſſimus, niſi hoc ipſo aliquam patiatur libertas noſtra diminutionem. Quid ſi jam ego rationibus ſaltem non minus firmis demonſtratum dedero (utì dedi) neque concipi poſſe cauſæ ſecundæ libertatem qualem illi deſcribunt, niſi hoc ipſo aliquam patiatur independens Dei dominium diminutionem? Cujuſnam hìc ſententia alteri præferri debeat? res ipſa clamat. Nos à Deo initium facientes, quid ejus perfectio poſtulet, unicè primùm attendimus; atque modum operandi illi convenientem poſtquam collocavimus in tuto, de ſalvanda demùm omni meliori modo noſtra libertate cogitamus. Adverſarii à ſemet ipſis initium facientes, id anxiè primo loco agunt, ut quam ampliſſimam atque abſolutiſſimam creatæ voluntati aſſerant libertatem; quâ in arce collocatâ, de Deo deinceps cogitare incipiunt, totieſque ejus decreta, præſcientiam, potentiam, influxum, fingunt refinguntque, donec eam illis omnibus induerint formam, quâ nihil detrahatur præconceptæ voluntatis humanæ libertati. Quis rectius hìc philoſophetur, judicet æquus quilibet rerum arbiter! Profectò, quanto exiſtit tutius in hominem injurium, quam in Deum ſacrilegum eſſe, tanto ſecurius quis, potius quam ut Deo quicquam detrahat, aliquid ſuæ abneget libertatis.

XV. *Creatæ cauſæ libertas, utì non independens, ita nec prorſus indifferens, ſtatui poteſt.*

Verùm enim verò neque hujus quicquam fieri neceſſum eſt. Stante quoque divinâ prædeterminatione, nobis ſalva manet libertas; vera ſcilicet; non illa quam ſuo ſibi arbitrio fingunt iſti. Confundunt perperam duas diſtinctiſſimas notiones, ac ſi idem planè ſint voluntatis libertas, atque ἀδιαφορεία ſive indifferentia; putantque nihil huic detrahi poſſe, quin tantundem & illi decedat: undè nata famoſa illa, quam vulgò circumferunt, libertatis definitio, tanquam facultatis, quâ quis, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, agere poſſit, vel non-agere. Sed confictam eam totam eſſe, nos dicimus ac prorſus erroneam. Nulla enim ex hac hypotheſi eſſe poteſt vera libertas quæ non

fit

sit independens : quatenus dependens esse, & tamen tam absolutum in suas actiones habere dominium, ut, positis omnibus ad agendum requisitis (etiam ratione illius à quo dependet) agere quid possit vel non-agere, apertè contradictoria sunt. Quisquis ergò dicere noluerit, Deum creando creaturam liberam, eandem pariter creasse independentem, is neque admittere poterit quem illi nobus cudunt libertatis conceptum. Nescio, quid hìc Cartesio in mentem venerit, quando concedit quidem, *contradictionem implicare, ut voluntatis nostræ actiones à Dei voluntate non pendeant*; interim simul *fatetur*, *nos liberum arbitrium si ad nos tantum attendamus non posse non pu are independens*: eo usque, ut *liberum nostrum arbitrium nos Deo aliquo modo pares efficiat, ejusque imperio eximere videatur.* Voces profectò nimium (ut dicam mollissimè) rudes in re delicata, quam ut ferri debeant! Sed ad rem redeo, quæ præ manibus est. Consistere absque indifferentia libertatem, vel id quoque evincit efficacissimè, quod quo perfectior est voluntatis libertas, eo minor sit ejusdem indifferentia. Res claret in Deo ipso, nec non in beatis cœlitibus, quorum libertas perfectissima procul dubio est, sejuncta tamen prorsus ab indifferentia; quippe immobili constantia determinata ad hoc unum, ut non nisi quod bonum existit ament aut amare possint. Est itaquè indifferentia per se adjunctum duntaxat libertatis, & quidem separabile. Ex quo conficitur, rectius hìc sentire, qui ad libertatem, ut sic spectatam, sufficere statuunt rationalem complacentiam, sive facultatem agendi ex prævio judicio intellectûs & concomitante lubentia voluntatis.

XVI. *Alterius causæ veram libertatem cum determinatione alterius consistere, & ex natura rei, & ex adversa hypothesi*

Quibus positis, ne hilum nostræ libertatis per prævium Dei concursum evertitur. Sic enim suaviter infinitæ virtutis suæ efficaciam intra creatum animum Deum insinuare docemus, ut quam creaturam rationalem agere facit, faciat agere non nisi ex rationali ductu proprii judicii & plenissimo suæ voluntatis lubitu. Quo ipso divina præmotio firmat nostram libertatem ac verum ei addit vigorem; quatenus nil magis liberè agit, quam quod efficaciter ad liberè agendum sic est determinatum, ut non-liberè agere planè non possit. Abest itaquè hinc longissimè omnis necessitas, quâ vel ex bruto ac ratione destituto in-

ipsa, docetur.

instinctu, vel ex coactione per illatam vim externam contra propensionem impellatur rationalis creatura: quam utramlibet sicuti libertati adversari lubenter concedimus, ita omnem aliam necessitatem, præter eam quam jam removimus, cum illa consistere posse, asserimus. Cæterùm, ad detegendum amplius, quam nullarum virium sit hæc sophisticatio, cui, ad destruendam Divinam Prædeterminationem, nihil non tribuunt isti imaginariæ suæ libertatis patroni, juvaret imprimis ostendere, quam pulchrè quicquid hùc adducunt retorqueri possit in ipsam eorum sententiam, quâ divinum concursum submittunt arbitrariæ creaturarum determinationi. Si namque idcircò creatæ voluntatis libertatem lædi credendum sit, quòd actiones ejus divini influxûs determinationi subordinentur; quid nì pari jure inferre licuerit, lædi ex opposito divinæ voluntatis libertatem, quando actiones ejusdem arbitrii creati determinationi subjiciuntur. Non dabunt huic difficultati exitum in æternum quotquot indifferentiam cum libertate statuunt eandem. Sed verbum unum non addam, cum jam dudum in hoc argumento fuerim justo prolixior.

XVII. *Prædeterminans Providentia neque Deum peccati Auctorem statuit, neque peccantem creaturam excusat.*

De Deo tamen solliciti quoque videri volunt, qui quam asseruimus non admittunt divinæ Providentiæ Prædeterminationem. Si enim, ajunt, ad quascunque actiones per Præcursum incitetur creatura; de malis ejusdem actionibus id intelligendum erit æquè ac de bonis: quumque ratione istius Præmotionis auctor & causa prima harum statuatur Deus, etiam perindè istarum auctor dici debebit. Ut in summi Numinis sanctitatem & justitiam haud leviter existat injuria hæc sententia; quippe quæ necesse habet nostrorum scelerum labem optimo Deo affricare. Sic arguunt isti; sed perperam. Quoties quid bonum operatur creatura, duo occurrunt, ipsa videlicet actio, tum etiam talis ejusdem modificatio, cujus ratione ea legi conformis, atque ideò moraliter bona, est. Ad utramque hanc Deus suo influxu rationalem creaturam excitat; consequenter utriusque, non actionis tantum quâ actionis, sed & qua bonæ, totiusque adeò complexi, vera causa existit. Secus sese res habet in peccante creatura; in qua quidem itidem sese offert tum actio ipsa, tum conformitatis cum lege absentia, quæ

est

est malitia ejusdem : atquì Dei ad utramque illam minimè eadem, sed dispar planè, est habitudo. Incitat is creaturam ad agendum vero influxu; atque hactenus actionis qua talis vera existit causa. Non-influit interim in bonitatem moralem; ad quam Præmotionis suspensionem sequitur quidem in actione creata legalis rectitudinis carentia, attamen non ideò hujus causa dici debet Deus; propterea, quia non-influendo suspendit duntaxat efficaciam suæ gratiæ, ejusque indebitæ. Indebitæ, inquam : ut intelligamus, nihil in hoc negotio à Numine committi, quod sanctissimæ suæ naturæ adversetur; quin potius hoc omne, quatenus à Deo est, bonum esse; neque tantum metaphysicè bonum, sed & moraliter. Interim quam actionem, se quod attinet, bonam producit Creator, in eadem producenda volens suo vitio deficit creatura, illamque privativo suo non-influxu sic inquinat, ut vitiositatis qua talis vera ac solitaria existat, si sic loqui liceat, deficiens causa. Dices: Criminis culpam nihilominus in Deum conjicere poterit creatura, quippe quæ idcircò peccat, quia Deus non-influit. Verùm nihil eo efficitur, quamdiu probatum non est, illum Dei non-influxum talem creatæ voluntati imponere necessitatem; quæ cum libertate ejusdem consistere nequeat. Quam id falsum sit, ex præcedentibus proximè articulis abundè licet colligere. Equidem extra omnem controversiam esse nos inter & adversarios opinor, alteri cuicunque culpam peccati imputare posse neminem, qui id committit non nisi liberrimè, plenissimoque sui judicii ac voluntatis consensu & arbitrio. Quum itaque, non obstante Providentiâ Prædeterminante, salvam & integram esse creaturæ rationali in omni sua actione libertatem, jam demonstraverimus, utiquè manet, non posse hanc sui sceleris iniquitatem Deo aspergere, prætextu alicujus necessitatis, quæ nihil prorsùs plenissimæ peccatoris libertati detrahit; cujusque utì sensum nullum ita neque ullam habuit, dum peccavit, rationem.

Instabis : Saltem bonitati ac justitiæ divinæ nequaquam congruum existit, suâ lege officium ab homine postulare, quod hic præstare non potest : utì nihil legis præstare potest, quandò Deus gratiæ suæ influxum suspendit. Ad quod probè notandum XVIII. *Eadem neque Deum injustitiæ arguit, ne-*

neque causarum secundarum potentiæ activæ præjudicat.

tandum venit, propriè loquendo, actualem prædeterminationem nullam tribuere subjecto in quod influit agendi potentiam; sed tantùm ad operandum excitare creaturam, quæ jam antè potentiam talem possidebat. Quamobrem, sicuti Providentiæ divinæ influxus potentiam agendi in creatura supponit, non in eam confert; ità planè ex opposito Providentiæ divinæ non-influxus potentiam agendi in creatura integram relinquit, non aufert. Habet ergò creatura rationalis, in integritate sua spectata, potentiam præstandi omne opus legis; eamque illæsam habet, sive in actum ipsum influat causa prima, sive non-influat. Sinimus itaque facilè tantam creaturæ rationali tribui potentiam ad obediendum Deo per omnia (loquor, ne quis erret, de ea prout venit ex manu Dei) quantam quis concipere voluerit aut potuerit: tantùm si non fingas independentem, quam neque Creatoris neque creaturæ conditio ferre potest. Nisi verò ad sceleris condemnandum hominem, & ab omni injustitiæ specie absolvendum Numen, sufficiat creatam potentiam tam amplam, tam perfectam, tam sufficientem statuere, quam in suo genere statui potest; quid sufficiat! equidem non video. Nobis saltem id sufficit, qui indubitabilibus rationibus sumus persuasi, citra divinæ perfectionis abnegationem aliter statui non posse; relinquentes de cætero suam curiositatem eis, queis nefas non videtur scrutari minutatim supremum independentis Dei in suam creaturam dominium: quorum istud quemadmodum nostri est officii, ita hoc temeritatis profectò nimiæ existit atque inexcusabilis. Ne tamen nesciant Sophistæ, nec nobis deesse quo eis os batuatur, unum addam. Ipsi in vetitorum actuum effectione hactenus saltem admittunt concursum Dei, ut influxui creaturæ liberæ in peccaminosam actionem vergentis, influxum suum ad eam producendam extemplo Numen jungere, fateantur. Nunc ego illos obtestor, si per concursum nostrum prævium, eorum judicio, statuatur mali auctor, dicant mihi, cur non eâdem sequelâ per concursum eorum simultaneum Deus evistat mali fautor? Expediant hìc sese! Experienturque, si quam invenerint viam, illam nobis non minus ac ipsis eundem monstrare exitum. Si expedire non se possint, sileat tandem calumnia!

Agit

XIX. *Concursus Dei agnoscendus tanquam causæ totalis, immediatæ, & principalis.*

Agit ergò Deus in creaturas per Præcursum; sed & cum iisdem agit per CONCURSUM: actum illum Providentiæ, quo causa prima una cum causis secundis potenter coöperatur in productione effectuum naturalium ab hisce procedentium. Dico, effectuum naturalium: quæcunque enim in hoc Universo producuntur opera præter & extra naturæ ordinem, ea quemadmodum causarum creatarum activitatem secludunt & removent, sic non per aliquem Dei cum creatura Concursum, sed per unius Dei tanquam solitarii principii vim producuntur. De hoc Concursu demonstrando nil laborabimus. Sufficiunt abundè huic rei quæ jam antè probata dedimus, tum de efficaci Providentia Dei in genere, tum speciatim de Præcursu; à quo ratione tantùm Concursum distingui, dudùm notavimus. Addendum solummodò, in Præcursu præcipuè attendi ad activitatem creaturæ, quatenus ea à causæ primæ influxu excitatur; in Concursu etiam imprimis rationem haberi ipsius effectûs, ab utriusque causæ causalitate procedentis. Interim nihil hìc novum occurrit aut difficile, cujus intelligentiam ex antè dictis non liceat haurire. Verbo igitur de quibusdam hìc monendi potius sumus, quam docendi. Cavendum, ne nomen Concursûs decipiat, mentemque inducat ad cogitandum hoc loco duas causas concurrentes partiales; quarum exempla in creatis ubique obvia. Absit longissimè iste conceptus! Partialis causalitas, uti non sufficit ad effectum totum producendum, nisi ab alia concausa juvetur, independente & sufficientissimo Numine prorsùs indigna existit. Verè totalis causa est tum Deus, tum creatura; quatenus in effectu nihil est, quod non sese totum debeat & Illi & huic, unicuique in suo genere atque ordine. Ut ridicula hoc loco sint Scholasticæ sapientiæ mysteria, quibus universali causæ Deo in omni opere à creatura producto respondere fingitur universale effectum, puta existentiam. Quasi effecti cujuslibet à creatura procedentis tantùm existentia (si vel maximè hæc ab essentia distingueretur; quod illi perperàm contendunt) Deo debeatur, & non potius omnia omninò & essentialia & accidentalia prædicata! Nec peccatum obstat, nam & illius, in quantum aliquid positivi est, Deus verè causa totalis est; etsi non sit causa adhærentis privationis sive vitiositatis:

de quo actum proximè. Neque est absonum, ejusdem effecti duo agnoscere principia totalia; dummodo existant, uti hìc existunt, subordinata: quæ ut non pugnant, sic alterum eorum alteri nihil præjudicare potest, quo minus utrumque in suo genere verè sit totalis causa. Eandem ob rationem immediata quoque effectorum, ad quæ concurrit, causa existit Deus; qui quemadmodum vi Immensitatis suæ per essentiam omnibus rebus intimè est præsens, ita quoque pari ratione immediatè in eisdem operatur. Quæ omnia pulcherrimè cogitare possumus, si eandem concipiamus esse & Dei & creaturæ actionem: quá de re Art. VI. VII. egimus. Deniquè, Principalis quoque causa Deus est eorum, quorum per Concursum causa est: nequit enim ens independens agere, nisi suâ virtute, quâ principatum obtineat in agendo. Quod attendere negligunt isti, &, qui efficientiam Dei circa liberas creaturarum rationalium actiones moralem solummodò agnoscunt; qualis tantum est causæ minus-principalis, sive procatarcticæ: &, qui Concursum Dei statuunt determinabilem à causa secunda; haud aliter ac si causa prima suis creaturis ad instar instrumentalis causæ subserviat.

XX. *Concursu Dei continuato indiget creatura quamdiu in operando perseverat.*

Ex quibus omnibus per sese sequitur, quod unum in hoc negotio observandum superest, Concursum hunc Dei non duntaxat esse restringendum ad aliquod primum creatæ actionis momentum; ac si Numen de cætero, citra sui influxûs continuationem, sinat solummodo creaturam continuare inchoatam actionem, uti observamus v. c. pilam à manu semel impulsam, ad hoc ut aliquamdiu moveri pergat, renovato manûs influxu non indigere. Minimè sic cogitandum. Imò verò, si creaturam, quamdiu in operis productione occupatur, in agendo Concursu suo continuato non ipso facto promoveat causa prima, utiquè effectum ex parte tantùm & remotè ad Deum referri posset; quandoquidem id suam perfectionem consummatæ demum actioni debet. Consequenter Deus causa illius totalis, immediata, ac principalis nequaquam existeret: quod jam demonstratis è diametro adversatur. Adde, non minus à Deo pendere causæ secundæ operationem continuatam, quam eadem ab ipso pendet inchoata, quia illa majoris quam hæc, perfectionis esse

esse non potest; esset verò, nisi illa eodem modo ac hæc à Deo foret dependens. Et quis dubitet, cujuscunque creatæ actionis eam esse contingentiam, ut quolibet sui momento ex se deficere queat, adeoque non hoc ipso quod est inchoata continuari debeat? Nempè, quodcunque creatæ actionis momentum nullam certam ex natura sua cum alio ejusdem in sequenti momento continuandæ habet connexionem. Si sic, manifestum evadit, causas secundas in quovis activitatis suæ articulo æquali Dei influxu indigere. Quemadmodum itaquè suo loco ostendimus, non posse ens creatum in existendo perseverare, nisi singulis continuatæ existentiæ momentis eâdem vi, quâ primùm id ex nihilo fecit existere, influat Deus; ità pariter concludendum erit (si creaturæ modum operandi tribuere velimus, qui modo ejusdem existendi sit approportionatus) non posse ens creatum in operando perseverare, nisi singulis continuatæ operationis momentis eâdem vi in eam influat Deus, quâ primum id ex non-operante operans fieri fecit.

XXI. *Gubernantis Providentiæ Divinæ necessitas paucis demonstrata.*

Interim, dum hoc pacto causa prima creaturas per Præcursum ad agendum præmovet & per Concursum in agendo promovet, simul eâdem illâ efficientiâ & actiones & effecta causarum secundarum, pro liberrimo suæ voluntatis placito, ad præstitutos à se fines ducit & gubernat. Atque hic est tertius actus istius influxûs, quem Deus circa creaturarum actiones exserit: tertius nimirùm pro modo concipiendi nostro; qui qualis hìc sese offerat, jam monui ab initio. Estque hæc propriè illa Gubernatio, quæ strictissimâ significatione *Providentia* vocatur. Per eam dicimus Numen omnem creaturarum activitatem dirigere ad fines, quos ipse ei prædefinivit. Videlicet, primùm quidem ad proximos, aliisque ulterioribus subordinatos; sic tamen ut omnia tandem redeant ad manifestandam gloriam multiplicis perfectionis istius principii, cujus abundanti bonitati & se & omnes suas actiones agentia creata debent. Ità demum omni modo patesit Deus tanquam Alpha & Omega; quando qui in genere causarum efficientium existit prima, à qua derivanda rerum quarumcunque genesis, idem is in ordine causarum finalium occurrit ultima, in quam terminetur omnis rei creatæ analysis. Tanti est hanc Providentiæ partem, ut decet,

 cet,

cet, agnoscere! absque quo nemo Deum ceu Universi Regem ritè veneratur. Risit quidem eam præ aliis Epicureorum fatuitas, nescio quid insaniens de cæca fortuna & mero casu, quo volvantur rerum omnium in hoc Universo vicissitudines: verùm ad confutandum cæcum furorem multo apparatu non est opus. Tantùm eis quæ antè demonstravimus inhæreamus. Æternum decretorum divinorum ordinem, atque infallibilis præscientiæ certitudinem jam dudùm adstruximus. Atquì res secum ordinare ab omni ævo, easque ordinatas prævidere, sapienter & certò nemo potest, qui non in tempore ipso facto potenti dispensatione sic eas moderetur, ut æterno consilio respondeat ad amussim eventùs complementum. Et quorsum omnis, quem probavimus hactenùs, tum Præcursus, tum Concursus, nisi ei hæc accedat Gubernatio? Nulla profectò constat illi sapientia, nisi certo fine impellat caussas secundas, quas impellit, Numen. Quare, vel frustrà tanta molitur Deus, quod ne hominis quidem est non planè insipidi; vel quod agit in & cum creaturis, sic agit, ut ad certos id dirigat fines. Infinitas rationes suppeditat Universi hujus contemplatio; cujus harmonia, vicissitudo, constantia, & quid non, uno ore vociferantur, nil eorum quæ fiunt fieri citra potentissimum pariter ac sapientissimum primæ cujusdam mentis præsidium & moderamen. Verùm tam millies hæc cocta sunt ac recocta à multis, & ab hominum impiorum cavillatiunculis vindicata, ut non sine tœdio fusus essem in re trita. Imprimis, quoniam ex eis quæ sæpius inculcavimus facile est hùc transferre, quod rem omnem nullo negotio conficiat.

XXII. *Ea ad quasvis creaturarum actiones extendenda; etiam minimas, contingentes, liberas, malas.*

Cæterùm, si, ut jam ostendimus, cum decreto, præscientia, præcursu & concursu pari passu ambulet Dei Gubernatio, illisque omnes omninò actiones creatæ subjiciantur, de hac quin idem sit asserendum, dubium esse nequit. Absurdi sunt, qui nimis minutas censent quasdam creaturarum operationes, quam ut earum curam gerat Deus. Quasi scilicet quo quid existit minus, eo magis haberi id debeat independens! Quin, quæ nos minima habemus, in eodem ordine cum maximis hìc esse collocanda, vel ipse Deus nos experientiâ docet, quoties minimis utitur ad conficiendas res maximas. Et, nisi minimarum, cur

cur non nullarum actionum potius dicatur Gubernatio; quandoquidem totum quoque hoc universum coram infinito Numine quid minimum existit? Contingentium eadem planè ratio est. Præterquam enim quod tantùm causarum secundarum respectu, nequaquam in ordine ad primum motorem, actionum quarundam contingentiam admittimus; etiam contingentia ipsa tantæ imperfectionis prædicatum est, ut, si ulla alia, saltem ea quæ contingens est actio, ideò quia contingens est, moderamine causæ cujusdam necessariæ indigeat. Imò verò, præprimis in contingentibus ludit frequenter stupendum in modum divina Providentia: ut non aliundè clarius elucescat sapientissima Dei œconomia ac in ipsa contingente, tam opportuna sæpè quam improvisa, contingentium causarum connexione. Idem easdem ob causas de liberis rationalium creaturarum actionibus tenendum. Fateor, causam quamcunque liberam existere actionum suarum dominam; at non supremam & independentem: nisi quantum homini in suas actiones imperii concessit Deus, tantum dominii in eum ipse sibi dextraxisse credendus sit. Sed de eo satis liquet ex *Art.* XIII. XIV. XV. XVI. Tandem malas quoque actiones divinæ Gubernationi subesse, nemo neget, qui non magnâ imperii parte Numen exuere velit; quandoquidem pleræque rerum humanarum mutationes, omniumque fermè regnorum ac rerumpublicarum revolutiones, peccaminosis mortalium machinationibus suas debent origines, incrementa, exitus. Certè, ad peccati cujusvis actum substratum Deum & præcurrere & concurrere, jam dudùm demonstravimus. Frustrà profectò, imò nec sanctè, nisi totum complexum & limitare, & in bonum finem ordinare ac dirigere, ipso facto & velit & possit. Atque hoc sensu, non alio, Nostri physicam peccati permissionem, eamque Efficacem, Deo adscribere solent. Ut mirum sit, etiam eo nomine nobis impingi impium dogma de Deo auctore peccati. Stultè! Quo pacto enim peccati causa evadat eâ actione, quæ peccatum quasi supponit; quin potiùs, quæ flagitio hominum ad optimos fines, ut ita loquar, abutitur? Scilicet, aliquid Numine dignius sentiunt, qui sic philosophantur hoc loco de nuda permissione, ac si decussatis manibus sedeat Deus in hoc negotio spe-

ctator. Quæ permiſſio re ipſa eſt otioſa non-providentia: quippe quæ infert, neceſſariò, vel inſcio Deo committi peccata; vel invito; vel nec volente nec nolente, id eſt, nil curante omninò.

XXIII. *Gubernatio Dei tota ſanctiſſima, independens, irreſiſtibilis, ſapientiſſima, conſtantiſſima.* Etiamſi autem circa peccaminoſas æquè ac circa quaſcunque alias creaturarum operationes verſari ſtatuamus hunc Divinæ Providentiæ actum, univerſam tamen ejus rationem agnoſcimus Sanctiſſimam; quandò non aliam admittimus, quam quæ divinæ puritati & juſtitiæ ſit planè congrua, quâque nihil ſibi contrahat labis ex actionum, quas ſuâ diſpenſatione moderatur, vitio. Interim non minus cogitandum eſt, abſolutiſſimam exiſtere hujus Gubernationis Independentiam; convenientem ſcilicet enti ex natura ſua per omnia independenti. Ut nullam admittamus præambulam hominis voluntatem, quam præſtoletur Deus, cujuſque determinationibus ſeſe attemperet; quod ſubſervientis potius eſt miniſtri, quam ſuo jure gubernantis domini. Aſt neque independens eſſet hoc Dei regimen, ſi quæ vis creata ejus manum poſſet avertere. Quamobrem potentiſſimum pariter exiſtit hoc ſummi Numinis imperium, inſuperabili efficientiâ omnem omninò creaturarum activitatem flectens in eos quos Ipſe illi prædefinivit fines. Abſque quo neque ſapientiſſima agnoſcitur hæc Providentia; à qua nihil eſt abhorrentius, quam excidere ſuis ſcopis, aut quicquam fruſtrà moliri. Moderatur verò prudentiſſimè omnia ordinatiſſimâ cauſarum ſerie Deus, per varios caſus aptis mediis univerſa dirigens in præſtitutos eventus, idque naturis cauſarum ſecundarum convenienter. Non ſemper, fateor, tanti operis elegantiſſimum ordinem comprehendit noſtra ſtupiditas: ubi amen rerum exitus attendimus, aperit ſeſe in hac ſupremæ rationis Gubernatione ſapientia imperveſtigabilis, in iis maximè rebus quæ nobis homuncionibus omnium perplexiſſimæ videntur. Ex quibus ſponte ſuâ ſequitur imperii divini immutabilitas, clarè relucens in tanta tam mutabilis Univerſi conſtantia. Et, ſi ſapientem ſibi conſtare fas eſt, neceſſariò Numen ſapientiſſimum procul habet mutatas quaſvis ſui regiminis formas.

XXIV. *Providen-* Neque obſtant prodigia, quorum meminit divina pagina: ea enim utì conſuetam naturalium cauſarum efficientiam quod ad

cætera

cætera non perturbant, ita exceptiones quædam sunt naturæ regulas confirmantes quam efficacissimè; quandoquidem non casu ea accidunt, sed Dei consilio & nutu singulari, ad declarandum supremum ejusdem & independens in res suas dominium. Sed de miraculis minus nobis laborandum, qui qua Philosophi ea fermè ignoramus; id tantum scientes, liberrimum Deum creaturarum legibus esse superiorem, atque ideò ab eisdem quoties voluerit recedere posse. Hoc loco igitur de Providentiæ in Ordinariam & Extraordinariam distributione fusius non agam. Alia occurrit, eaque momenti longè maximi, ejusdem in Realem & Moralem divisio. Nimirùm, duum generum dantur creaturæ, brutæ ac rationales: undè duplex obvia earundem activitas; alia ex mero naturali impetu fluens, alia non nisi liberè & prævio rationis consilio suscepta. Utrique præest summi Numinis Gubernatio, quæ rem unamquamque regit aptè congruenterque istis perfectionibus ac viribus agendi, quas illi in prima creatione concessit, inque ea continuatò suo influxu conservat. Præter illam ergò Providentiam, quæ potentissimo quodam regimine sese extendit ad omnes omninò creaturas, consideratas simpliciter tanquam actuosa principia causæ primæ subordinata (de qua hactenus potissimum diximus) specialioris considerationis est creaturarum intellectualium, tanquam talium, per juris moderamen Gubernatio; quæ ab appropriato objecto Moralis scitè appellatur. Ejus admittendæ necessitas neminem fugere potest, attendentem duntaxat intimam creaturarum per omnia sui à suo Deo dependentiam: ea enim, cum tanta sit quanta esse potest, non sinit causarum rationalium rationem à prima ratione esse independentem. Et cum agentia cætera quæcunque ordini naturæ à summo Deo præscripto, secundum nativam indolem quam in eis posuit Creator, obediant accuratissimè, negari planè nequit, rationales creaturas etiam suo modo, id est rationali, juxta rationis lumen sibi ingenitum, suum quoddam proprium, id est, rationale obsequium debere rationali Deo.

tia Divinæ in Ordinariam & Extraordinariam; item, in Realem & Moralem, divisio.

XXV. *Moralis Providentiæ conside-*

Atque ità nostræ meditationi Deus hìc sese offert tanquam supremum Dominum, in creaturas quasvis mentis capaces ceu subditos suos exercentem imperium pro suo arbitrio, rationali tamen

ratio unicum genuinæ Philosophiæ Moralis fundamentum. tamen utriusque naturæ congruum. Hujus verò duplicem observare licet œconomiam; alteram immediatam, mediatam alteram. Videlicet ipse Deus per sese in hoc Regno regit, quatenus conscientiis hominum se manifestat, & tanquam Legislatorem supremum, potestate architectonicâ jura dantem, eisque illas adstringentem; dictando officia quæ à quolibet præstanda sint Deo tanquam Regi, sibi tanquam Subdito, aliis hominibus tanquam Concivibus in hoc regno morali: & tanquam Judicem, indè quidem justissimâ severitate rebelles subditos punientem secundum sanctionem legis pœnalem; hinc cives morigeros prœmiantem ex gratuita promissione. Interìm & aliis administrationis partem quadantenùs commisit; Magistratibus nimirum, tanquam suis in hoc regno vice-Regibus, qui potestate coactivâ armati invigilent debitæ societatis humanæ sub suo Rege Deo conservationi. Et his paucis continentur fundamenta omnis sanioris doctrinæ tum Ethicæ, tum Politicæ: quas nobilissimas Philosophiæ partes fœdissimum in modum polluunt plurimi, qui, nihil attendentes moralem hominis à Deo dependentiam, unicam, vel sui, vel etiam societatis, conservationem sibi sumunt morum regulam; abnegantes sic re verâ summi Numinis in creaturas suas imperium, ac genuinum inducentes Atheismum: quorum monstrorum ferax, eheu! nimium existit hoc nostrum seculum. Verùm, tam est illustre hoc argumentum, ut nihil de eo dicere præstet, quando quod sufficit dicere in præsentiarum non licet. Justam ergò ejus explicationem servabimus Tractatui peculiari *de* REGNO DEI MORALI: cujus Sciagraphiam nobiscum affectam jam habemus; quemque dabimus forsàn aliquandò, si Deus vitam dederit atque vires. Nunc ostendisse verbo sat est, ibi principium sumere Philosophiam Moralem, ubi existit Theologiæ Naturalis finis.

XXVI. *Tractatûs de Deo, ejusque Providentia, Epilogus.* Ità benigna Numinis Providentiâ nostram hanc qualemcunque de Divinis Perfectionibus Meditationem absolvimus. Unum Deum per omnia independentem atque supremum docere, scopus fuit: in quo si quid fuit erratum, ipsâ pietate erratum fuit; quâ quanto erratur difficilius, tanto in his cogitationibus acquiescimus tutius. Interim quem cognoscimus, utinam agnoscamus talem! Neque agnoscemus, nisi altùm præprimis animo

animo ſemper inhæreat firmiſſima de Divina Providentia, ſubmiſſa cum veneratione juncta, perſuaſio. Hæc una potens exiſtit liberare nos idololatriâ, quâ optimus etiam quiſque tantopere adhæret creaturis; quarum tamen nulla in ſua extantia eſt permanentia, nulla in opere producendo efficacitas, niſi motore primo conſervante, excitante, adjuvante, moderante. Ea ſi ſat infixa ſedeat menti opinio, nunquam id eveniet, ut diffidentes abjiciamus ſpem, ſimulac earundem deſtituimur auxilio; ſuperbiamus fatui, quoties inferiorum cauſarum ſuppetit abundantia. Quin potius in ſolum Numen fiduciam collocabimus, mente quidem ſedulitate debitâ rebus agendis ex Ejus voluntate intentâ, cæterùm verò ſecurâ, atque obſequioſo ſilentio acquieſcente in cura illa, quâ prudentiſſimus Pater ſuam unicuique noſtrum diſtribuit ſortem, eamque ſuo arbitratu adverſâ modò, modò proſperâ varietate, diſpenſat. Hæc una meditatio in periculis pariet ſecuritatem, in terroribus fortitudinem, in turbulentis tranquillitatem, in adverſis tolerantiam, in futurorum exſpectatione æquanimitatem. Abſunt longiſſimè ab hac felicitate quotquot ſuâ, quam Dei, vivere malunt providentiâ: quippe qui ſeſe ſubducentes petulanter Providentiæ dirigenti ad vitam, incidunt juſtiſſimè in Providentiam ducentem ad mortem. Abſit à nobis tanta calamitas! Et aberit, ſi datum fuerit, devoto animo Numinis vias non-perveſtigabiles ſic mirari, leges ſanctiſſimas ſic revereri, ut ſtudium nobis ſit indefeſſum, rerum omnium Statorem ac Moderatorem mente contemplari, factis venerari, dictis celebrare, per omnia Optimum Maximum.



Lect. S.

Ut in plerisque nostris hisce de Deo cogitationibus fuimus contractiores, ita & in eis quæ spectant Providentiam ejus Moralem. Hujus vis omnis cum fermè consistat in obligatione hominis quâ tenetur universas suas actiones practico rectæ rationis dictamini præstare conformes, placuit hanc, quæ ad manum erat, quâque paucis complecti conati fuimus præcipuam hujus rei summam, de Lege Naturæ Exercitationem, *Coronidis instar, addere. Neque loco alieno; quando tota auriga|tur eo, ut demonstret, quod diximus, nullam veram stare Moralem Philosophiam, nisi Naturalis Theologiæ fundamentis innixam.*

EXERCITATIO PHILOSOPHICA, DE LEGE NATURÆ.

SUMMARIUM.

I. *Providentiæ Divinæ subest quicquid existit rerum.* II. *Ex quo fluit Numinis in universas creaturas Imperium.* III. *Quod quatenus circa hominem versatur peculiarem meretur considerationem.* IV. *Regni Dei Moralis instrumentum est Lex Naturæ.* V. *Ea est practicum rectæ rationis dictamen:* VI. *Innatum, quoad habitualem animi in id proclivitatem:* VII. *Præcipuè quidem quod ad generalia honesti principia.* VIII. *Lex hæc est, & quidem propriè dicta.* IX. *Ejus existentia tam manifesta, quam omnimoda hominis à Deo dependentia.* X. *Citra eam nulla existere potest rationalis creatura.* XI. *Legislatoriæ potestatis basis Divinæ naturæ eminentia.*

XII.

XII. *Obligationis ad eam agnoscendam sensum infert dependentiæ suæ in creatura conscientia.* XIII. *Jus Dei Legislatorium malè ad Ejus beneficia, vel solam potentiam, refertur.* XIV. *Innatæ Legis præcepta quædam sunt Juris Divini Naturalis;* XV. *Ut alia præscribere per ipsam suam naturam Numen nequiverit:* XVI. *Quædam tamen Juris Divini merè Positivi.* XVII. *Quæ sententia & Divinæ Majestati planè congrua est;* XVIII. *Et naturali hujus Legis sensui nihil detrahit.* XIX. *Arbitraria præcepta cadere possunt sub Dei dispensationem.* XX. *Lex Naturæ lata & omni, & soli creaturæ rationali.* XXI. *Ut nulla cæterorum animantium hìc haberi debeat ratio.* XXII. *Triplicem, ad promovendum Regnum Dei, imponit hæc Lex obligationem:* XXIII. *Cui minimè satisfacit sola Societatis Civilis conservandæ consideratio;* XXIV. *Cum multorum officiorum antiquior longè sit obligatio:* XXV. *Quam qui non admittit Atheismum Politicum re verâ inducit.* XXVI. Lex *Naturæ necessariò munita Sanctione* Pœnali; XXVII. *Quâ æquissimo jure immorigeros exstirpatio ex hoc Regno manet:* XXVIII. *Uti obsequiosos ejus cultores beata Dei, Regis sui, fruitio.* XXIX. *Undè ipso naturæ lumine Lex hæc ut formula Fœderis operum innotescit.* XXX. *His paucis contineri universæ Moralis* Philosophiæ *fundamenta.*



Etus verbum est: *Si datur Deus, ergò mundus regitur Providentiâ.* Et verissimum! Quisquis enim Creatoris excellentiam cum creaturarum imperfectionibus ritè conferre instituit, necesse habet fateri, quam Deus totâ suâ naturâ independens est, tam esse ab influxu Dei depen- I. *Providentiæ Divinæ subest quicquid existit rerum.*

 dentes

dentes per omnia sui quasvis creaturas. Si sic, sponte suâ sequitur, tantam existere Creatoris circa suas creaturas Providentiam, quanta est creaturarum à suo Creatore dependentia. Huic cum nil creaturæ queat subduci, neque etiam illi quicquam ejusdem potest subtrahi.

II. *Ex quo fluit Numinis in universas creaturas Imperium.*

Quæ veritas quemadmodum immota basis est omnis Imperii, quod suo jure atque supremâ legibusque solutâ potestate diffundit Numen per omnes omninò res universi hujus Macrocosmi ambitu comprehensas, ita eadem præcipuum existit fundamentum specialioris illius Providentiæ, quâ semet ipsum Regem Microcosmi, sive Hominis, manifestat Divina Majestas: quæ quo proximior est Homini atque magis propria, eo diligentiorem ejusdem meretur attentionem.

III. *Quod quatenus circa hominem versatur peculiarem meretur considerationem.*

Etiamsi enim nihil quicquam in universo Providentiæ opere tam est minutum, quod non animi nostri & admiratione summâ & veneratione profundissimâ sit dignissimum, tanto tamen quâ Deus moderatur hominum genus, eâ quæ cæteri mundi est, excellentior existit gubernatio, quanto præ omni alia re corporea eminentioris naturæ, atque ideò imperii cujusdam sublimioris capacior, est homo. Creatus nimirum mentis particeps, & ipse in suas actiones habet dominium; atquì, quia creatus talis, etiam hoc ipso Creatoris sui dominio subjectus.

IV. *Regni Dei Moralis instrumentum est Lex Naturæ.*

Subjectus, inquam, dominio Dei, ceu Regis sui, gubernantis rationalem creaturam peculiari modo, & illi prorsus congruo, & sese maximè digno; quandò rationali imperio actionibus quibusvis rationalibus suam, tanquam primæ rationis, voluntatem proponit homini normam, ut imitandam semper religiosè, sic violandam nunquam impunè. Atque hùc spectat REGNUM DEI MORALE in genus humanum; cujus omnis tum vis tum exercitium consistit in præceptis illis, quæ vulgò Juris, sive Legis, Naturalis nomine veniunt. Circa quæ generaliora quædam in præsens paucis notare, animus est.

V. *Ea est practicum rectè rationis dictamen;*

Est autem Naturæ Lex, Innatum creaturæ rationali rectæ rationis dictamen, quatenus illam obligat ad actiones suas ei præstandas conformes. Innatum dico esse rationis dictamen, quatenus id à naturæ humanæ auctore Deo à prima ejus origine ei est insculptum, sic ut in hac vita perpetuò eam comitetur.

Quem

Quem in ſenſum Naturæ Legem Philoſophus ſcitè appellavit, *Δίκαιον ἔμψυχον*; atque gentium Doctor emphaticè alibi, *τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις.*

VI. *Innatum, quoad habitualem animi in id proclivitatem:*

Quæ tamen non ità accipienda veniunt, ac ſi Legis Naturæ notitia actualis menti à primo nativitatis momento obverſetur; cujus ea in omni ſuo ſtatu, nominatim infantili, non ſemper eſt capax: ſed intellectam volumus conſtantem quandam & habitualem quaſi animi diſpoſitionem, quâ ipſe ſuapte naturâ proclivis eſt, ſimulac ei ſit idonea Legis hujus argumentum percipiendi occaſio, & ad ruendum abſque ulla hæſitatione ac citra demonſtrationem in ejuſdem aſſenſum, & ad agnoſcendam ſuam erga eam obligationem.

VII. *Præcipuè quidem quod ad generalia honeſti principia.*

Ad hæc, Innatum dicimus Legis Naturalis ſenſum: non quaſi omnium præceptorum ad eam pertinentium immediata perſuaſio in omnium ac ſingulorum hominum animis reperiatur; ſed quatenus in unaquaque rationis compote creatura ſuâ luce radiant generalia ſaltem honeſti atque turpis principia, undè menti, ſi rectâ ratione hac parte uti voluerit, pronum exiſtit, plurimas elicere per ratiocinationem legitimam concluſiones firmiſſimas; relictâ quoque eidem, pro re nata & varia circumſtantiarum exigentia, prudenti omnium applicatione. Quod obſervaſſe operæ pretium fuerit, ne quid vel perfectionis vel certitudinis decedere huic Legi opinemur, per diverſiſſima ſæpè hominum de Officiis quibuſdam eâ præſcriptis judicia.

VIII. *Lex hæc eſt, & quidem propriè dicta.*

Nugantur autem hìc nimiùm, qui contendunt, Jus hoc Naturæ propriè loquendo Legem non eſſe; eò quod ſcriptum non ſit, neque oratio ejus qui jure imperat, ſed tantum concluſiones quædam ratione intellectæ. Poſterius hoc quam ſit falſum, jam vidimus: & res ipſa clamat; quas enim concluſiones ratio intelligat abſque ſuis præmiſſis principiis? Prius quod attinet, non id urgeretur, ſi attendere placeret, ſcripturam nequaquam de Legis eſſentia eſſe, ſed tantum ad id pertinere, ut alteri per eam de voluntate Legiſlatoris conſtet. Atquì non tenuibus iſtis adminiculis eget ſupremus Legiſlator, qui ſuæ mentis placita immediatè conſcientiis ſuarum creaturarum efficacius intimare valet, quam ullus mortalis Legiſlator ſuam voluntatem alteri declarare poteſt per ſcripturam, vel ſigna alia qualiacunque.

IX. *Ejus existentia tam manifesta, quam omnimoda hominis à Deo dependentia.*

Agnoscendam autem esse istiusmodi Legem animis ingenitam, evincunt abundè quæ initio hujus Dissertationis præmisimus; quæ & idcircò præmisimus. Nimirùm, simulac homo nascitur, propter omnimodam ab Opifice sui dependentiam, nascitur ejusdem subjectus; id est, talis, qui quemadmodum se totum suo Creatori debet, ita obligatus est se suaque omnia debita cum observantia illius arbitrio submittere, ejusdemque summam præ se venerari excellentiam. Atquì cum nulla obligatio aliundè quam à legis imperio derivari queat, manifestum evadit, tam naturalem esse creaturæ rationali innatam Legem, quam illi naturale est simulac producitur rationaliter à Deo dependere, eique sese totam debere.

X. *Citra eam nulla existere potest rationalis creatura.*

Errant itaquè, qui autumant, creare Deum posse creaturam sanctam, interim ex-legem, soliusque amoris vinculo sibi religatam. Errant; cum ne quidem ad hunc amoris actum eliciendum obligatio citra legis mandatum concipi queat. Et quocunque in statu hominem fingere volueris, semper saltem est subjectum Legis à Deo ferendæ, si ità placuerit, capax; consequenter de facto semper obligatur animum saltem habere paratum, ad Legem divinam, casu quo præscribitur, humili cum pietatis affectu excipiendam atque observandam. Atquì, dico iterum, undè hæc ipsa obligatio, si creatura cogitetur prorsus ex-lex?

XI. *Legislatoriæ potestatis basis Divinæ naturæ eminentia.*

Ut verò ex dictis satis intelligimus, ut naturæ nostræ sic Legis ei insculptæ auctorem esse eundem D. O. M. ita non obscurè ex iis percipimus, quodnam sit in Deo potestatis hujus legislatoriæ fundamentum? Infinita nempè perfectissimæ naturæ eminentia: quâ ipsa digna existit tantâ existimatione atque veneratione, quanta in animum finitum cadere potest. Ex quo conficitur, Deum jus habere plenissimum creaturis suis præscribendi mandata, in quorum exacta observantia agnoscatur re ipsa infinitæ perfectionis Numen, ac Dominus earundem supremus.

XII. *Obligationis ad eam agnoscendam sensum*

Cujus supereminentis in ente summè perfecto potestatis, suæque infra eam, ut ita loquar, subsidentiæ conscientia quoniam neminem creaturam rationalem fugere potest; liquet, hanc sese illius imperio subducere nunquam posse, citra eviden-

tem

tem rationalis suæ naturæ quandam quasi abnegationem. Ex quo fluit, rationalem creaturam qua talem, eo ipso quod talis est, obligari ad officiorum à Deo Rege suo sibi præscriptorum præstationem: eâque necessitate quâ se ipsam intelligit rationalem, etiam non posse non agnoscere omnimodam suam, hac quoque parte, à primæ rationis imperio dependentiam. *infert dependentiæ in creatura conscientia.*

XIII. Errant idcircò toto cœlo, qui jus Dei legislatorium fundatum arbitrantur in creatione, conservatione, similibusve beneficiis: hæc enim, tametsi ad actuale hujus potestatis exercitium prærequirantur, non tamen ponunt, sed supponunt, Divinæ perfectionis infinitatem; genuinum, ut jam ostendimus, hujus potestatis principium. Nec minùs errant, qui jus imperii Deo competere asserunt duntaxat ob irresistibilem potentiam, quâ inferior existat humana infirmitas: cum sola potentia irresistibilis, præcisâ Dei bonitate, æquitate, sanctitate, justitiâ, vim quandam quasi tyrannicam potius sapiat, quam dignam tanto Numine potestatem. *Jus Dei legislatorium malè ad ejus beneficia, vel solam potentiam, refertur.*

XIV. Sed quo usque in condenda Naturæ Lege hac suâ potestate usus fuerit, vel uti saltem potuerit, Numen? non omnes idem sentiunt. Id certum est, non potuisse non Deum vi suæ perfectionis, ea saltem suis creaturis rationalibus præscribere officia, quæ ex natura tum sua tum harum indiviso nexu sequuntur; quale saltem est præceptum de agnoscendo Deo, tanquam supremo Domino, ut in sese beatissimo, ita sufficientissimo rebus quibusvis aliis extra se, atque ideò perfecto amore & honore prosequendo. *Innatæ Legis præcepta quædam sunt Juris Divini Naturalis;*

XV. Ut minimè ferenda sit assertio universum Legis naturalis argumentum ad merum jus Dei positivum sic referentium, ut, quicquid eâ continetur à pura liberrimæ voluntatis Divinæ determinatione in solidum id pendere contendant. Quod crudum profectò dogma est, atque à sanctissima Dei natura nimium abhorrens; quando per se indifferens inducit Numen ad id, ut vel coli velit à suis creaturis, vel abnegari: sive, cui perindè sit, vel obligare, si velit, suos subditos ad sui abnegationem, id est Atheismum, vel ad agnitionem sui tanquam talis, qualis reverà existit. *Ut alia præscribere per ipsam naturam suam Numen nequiverit:*

XVI. Ast neque eorum hìc probamus sententiam, qui in aliud extremum *Quædam*

tamen Juris Divini merè Positivi; tremum abeuntes, nulla officia per Naturæ Legem Deum homini præscripsisse, vel etiam præscribere potuisse, asserunt, quam quæ vel sua, vel à se pendentium creaturarum natura, necessariò postulet: cæterùm nullas hoc in negotio partes esse juris divini merè positivi. Equidem, nisi hos abripuisset totos contentionis Sabbathicæ fervor, contrarium docere potuisset, ut alia multa sileam, vel sola prohibitio incestùs: qui quo pacto per sese naturæ vel divinæ vel humanæ necessariò adversetur, ex alterutra illa firmiter demonstratum à nemine vidi, neque etiam solidè demonstrari posse confido.

XVII. *Quæ sententia & Divinæ Majestati planè congrua est;* Deo dignius, nostro judicio, sentiunt, qui quidem Legis Naturæ magnam partem esse Juris divini naturalis concedunt; sed & benè multa in eadem occurrere opinantur, quæ sint juris divini prorsus arbitrarii ac purè positivi, quorumque non tam facilis est ex natura vel Dei vel nostri demonstratio, quam quidem eorundem existit efficax per immediatum quendam sensum in nobis persuasio. Hæc sententia, ut ab una parte sanctissimum legislatorem ponit Deum, qui in Lege sua nihil eorum exprimere prætermisit, quæ ad perfectissimæ suæ naturæ agnitionem pertinent, ita ab altera illimitatam simul agnoscit divinæ potestatis in suas creaturas amplitudinem, quandò hìc imperasse sufficit, etiam ea in quibus stat pro ratione solius imperantis arbitrium.

XVIII. *Et naturali hujus Legis sensui nihil detrahit.* Neque idcircò definit naturale esse nobis ejusmodi aliquod præceptum. Non enim hoc loco id naturale dicimus, quod ex natura nostra necessariò fluit, sed potius id omne quod naturam nostram humanam in hoc naturæ statu in quo versamur indivisim comitatur. Non posse autem Deum cum natura nostra connectere notitiam quarundam rerum, quarum demonstrativa certitudo ex contemplatione nostri vel sui erui nequeat, hactenus à quoquam probatum non audivi: oppositumque vel solæ evincunt imbelles rationes quæ pro prohibito incestu indè petitæ vulgò adferuntur; quem tamen jure naturali turpem & illicitum habendum esse utrimque constat.

XIX. *Arbitraria præcepta* Quæ si ritè percepta fuerint, viam planam faciunt ad expediendam agitatissimam controversiam, quanta sit Divini Numinis potestas circa Legis Naturæ vel mutationem, vel dispensationem;

tionem? Tanta scilicet ea statuenda, quanta est ejusdem in condenda hac Lege libertatis indifferentia. Quatenus enim non nisi suo arbitrio præcepta quædam dedit, quæ, si placuisset, etiam planè non dare potuisset, liquet, eâdem libertate posse eum, si velit, vel ejuscemodi præceptis quasdam personas eximere, vel eadem quoque prorsus abrogare. Quod tamen ad officia quæ sunt juris Deo naturalis extendendum non est; ob rationes antè datas. An verò facta sit aliquandò re ipsâ talis aliqua vel mutatio vel dispensatio, quæstio tantùm facti est; adeòque nec hujus loci. *cadere possunt sub Dei dispensationem.*

XX. *Lex Naturæ lata & omni, & soli, creaturæ rationali.*

Porrò, quandò jam sæpius dictum fuit, Legem Naturæ consistere in rectæ rationis dictamine, à Deo menti impresso, ad id ut sit actionum rationalium norma, clarum est, quinam isti sint, quibus hæc lex lata est? Creaturæ scilicet rationales: eæque tum solæ, tum omnes. Solæ; quia solæ Legis præcepta intelligere, auctoritatem Legislatoris agnoscere, suasque actiones ad ejus modulum componere possunt. Omnes; quia omnium æqualis est à Deo tanquam Rege suo moralis hac parte dependentia.

XXI. *Ut nulla cæterorum animantium hic haberi debeat ratio.*

Absona quapropter, etiamsi trita, est ea Juris Naturalis definitio, quâ describitur esse, quod natura omnia animantia docuit. Præterquam enim quod jam millies notatum sit, & ex dictis clareat, Jus sive Legem in res ratione carentes nullum cadere, vel cadere posse; etiam id minimè prætereundum, ingenti errore Legis hujus præcepta restringi ad istos tantum actus, quorum vestigia in brutis obvia sunt: quâ exceptione descriptionis hujus absurditatem vulgò palliare solent. Sed nihil agunt. Etenim pleraque officia Lege Naturali mandata, eaque longè præcipua, talia existunt, ut ne quidem quoad actum materialem, ut loqui solent, in bruta cadant: quod liquet intuenti omnia quæ ea jubet circa Deum, plurima quæ injungit homini circa se ipsum ac proximum observanda.

XXII. *Triplicem, ad promovendum Regnum Dei, imponit hæc*

Qua de re dubitari amplius nequit, si porrò proprium hujus Legis finem attendamus; quem alium nullum esse, res ipsa clamat, quam ut sit instrumentum Moralis istius Imperii quod Deus in hominum tanquam Subditorum suorum animos exercet: dum hoc vinculo adstringuntur rationales creaturæ ad promo-

lex obligationem: vendam pro viribus Divini hujus Regni amplitudinem, ea fideliter præstando officia, quæ ex Legis requisito earum unaquæque Deo debet tanquam Regi suo, sibimet ipsi tanquam Dei Subdito, aliis omnibus hominibus tanquam suis in eodem Regno, sub eodem Principe Deo, Concivibus.

XXIII. *Cui minimè satisfacit sola Societatis Civilis conservandæ consideratio;* A qua saniori Legis Naturalis consideratione longissimè recedit philosophatio omnium ferè qui de Jure Naturali scribunt hodiè Auctorum, autumantium, unicum Philosophiæ moralis Fundamentum, atque adeò præcipuam Legis Naturæ summam absolvi unicâ societatis civilis culturâ. Ex qua una hypothesi fluxerunt tot monstrifici in hoc negotio conceptus Hobbesii, aliorumque; non, ut oportet, Politicæ fundamenta ex Ethica petentium, sed ordine prorsus inverso universam Ethicam Politicæ hominum societati subordinantium.

XXIV. *Cum multorum officiorum antiquior longè sit obligatio;* Hominem quidem suâ naturâ esse animal sociale, certum est: verùm uti hæc ad societatem civilem colendam inclinatio hominis naturam sequitur, non constituit, ità longè altius petenda sunt officiorum homini qua tali præstandorum fundamenta, quam ex civilis convictûs regulis. Imò verò, homini secundum se considerato, ut antè vidimus, ipsâ suâ naturâ vi hujus Legis incumbit obligatio, ad Deum colendum, proximum amandum, temperanter vivendum, etiamsi nulla ei ad corpus civile, cujus sit membrum, accesserit relatio.

XXV. *Quam qui non admittit Atheismum Politicum reverâ inducit.* Jejunum est regerere, etiam pietatem, temperantiam, similesque virtutes, quarum citra convictum civilem cum aliis dari potest exercitium, nihilominus ad societatem politicam referri posse, tanquam ejusdem firmiora vincula, quæque ad eam colendam hominem reddant aptiorem. Etenim quis non videt, profanum nimiùm esse, pietatem, temperantiam, &c. sic subordinare politicæ societati, ut si sine iis salva hæc esse posset, minor existeret ad earum cultum nostra obligatio? Ista tamen Atheismi Politici, nimiùm hodiè, proh dolor! succrescentis, infelicia existunt semina.

XXVI. *Lex Naturæ necessariò munita* Cæterùm, quandoquidem morali suæ dependentiæ à Deo rationalem creaturam pro suo arbitrio sese eximere posse, omnimoda ejus dependentia non finit; interim tamen omninò posset, quandò vellet, si ei impunè liceret à Legis Naturæ præceptis recedere,

recedere, manifestum est, perfectam undiquaquè obligationem hac Lege homini non imponi, nisi munita ea fuerit Sanctione Pœnali, in quam incurrentes Legis transgressores, experiantur nolentes per passivam obedientiam suam à Deo tanquam Judice dependentiam, quam volentes per obedientiam activam à Deo tanquam æquissimo Legislatore agnoscere noluerunt. *Sanctione Pœnali;*

XXVII. *Quâ æquissimo jure immorigeros exstirpatio ex hoc regno manet;*

Quanta verò præcisè pœna ejusmodi perduellibus à Deo sit definita, non tam exactò Lumen Naturæ docere videtur. Id manifestum est, jus Dei esse, ut morte digni habeantur quotquot existunt Legis, quâ Regnum suum moderatur, violatores. Qui enim eo fine à Numine sunt conditi, ut tanquam morigeri cives vivant in honorem sui Regis Dei, quandò tales vivere nolunt, justissimo supplicio, tanquam inofficiosi cives, ejiciuntur ea civitate, cujus membra esse se nolle factis declararunt: id est, jure merito tales ex hominum numero per mortem tolluntur. Imò, nullâ parte propitium sibi Numen promittere posse, qui ipsi communioni inter Deum tanquam Regem suum & se tanquam ejus subditos renunciarunt, rescisso ejusdem vinculo, quod in integra Legis hujus observantia consistit, res ipsa clamat.

XXVIII. *Uti obsequiosos ejus cultores beata Dei, Regis sui, fruitio.*

Sicuti verò Justitiæ Dei conveniens est, debitâ pœnâ animadvertere in eos, qui sese per hujus Legis violationem reos constituerunt criminis Læsæ Majestatis Divinæ, ità quoque naturæ lumen prorsus suadere videtur, Bonitati Numinis esse congruum, ut religiosis Legis suæ cultoribus semetipsum præstet talem, qualem eum ipsi in pia observantia hujus Legis agnoscunt. Nempè, quem Deum instituit amare creatura rationalis ac toto corde venerari tanquam Regem suum unicum, in cujus perfectissimo obsequio ac humillima sub eo submissione omnis sua consistat beatitudo, quo modo ea non benignum sibi ac faventem experietur Regem Optimum Deum?

XXIX. *Undè ipso naturæ lumine Lex hæc ut formula fœderis operum innotescit.*

Atque ità per ipsum rationis lumen sponte quasi ducimur, ad considerandum Naturæ Jus, non simpliciter tantùm ut Legem, sed & tanquam Formulam alicujus Societatis sive Fœderis, intercedentis inter Deum, tanquam Regem, fœderis conditiones pro sua quidem eminentia, interim perfectissimæ suæ naturæ, nominatim tum justitiæ tum bonitati convenienter,

præſcribentem; & creaturam rationalem, tanquam ſubditum, in eaſdem conditiones, tanquam quæ rectæ rationis judició non poſſunt non æſtimari æquiſſimæ, animo lubenti conſentientem atque acquieſcentem.

XXX. *His paucis contineri universæ Moralis Philoſophiæ fundamenta.*

Progrediendum foret, ad expendendas Actiones humanas à Lege Naturæ regendas; Conſcientiam, hâc Lege informandam; Virtutem deniquè moralem, quatenus eſt conſtans animi propoſitum ad actiones omnes huic Legi præſtandas conformes: verùm jam dudum Exercitationis Academicæ anguſtiæ limites ponunt noſtræ meditationi: cui, niſi hoc obſtitiſſet impedimentum, volupe ſæpius fuiſſet, latius ſeſe nonnihil diffundere in multis, in quibus ad ampliores cogitationes paſſim invitabat rerum ſublimium Majeſtas. Nunc itaquè ſuffecerit, & paucis exhibuiſſe prima illa fundamenta, quibus Moralem Philoſophiam inædificandam cenſemus, & ſimul qualecunque ſpecimen dediſſe, cùm noſtrarum hac parte cogitationum, tùm methodi, quâ res has tractandas putamus. In quo acquieſcere cogemur, donec, quæ ad conatus tales perficiendos requiruntur, & otia & vires largiri voluerit benignus Deus.



GERARDI DE VRIES

PHILOSOPHEMATA MISCELLANEA:

SIVE

DISSERTATIONES

DE

Infinito; Nullibitate Spirituum; Homine automatico; Contradictoriis Deo possibilibus; Sensuum in Philosophando usu; Cogitatione ipsa Mente; Operationibus brutorum.

DISSERTATIONIS DE INFINITO

SECTIO PRIOR;

Quæ est de

CONCEPTU INFINITI.

SUMMARIUM.

I. *Quæcunque existunt humanæ menti pervestigabilia, præterquam Infinitum.* II. *De Infinito tamen mens nostra, etsi finita, rectè disputat.* III. *Neque ideò quicquam quod finitatem suam excedat conari, credendum est.* IV. *De Infinito disputari, cur noluerit re verâ Cartesius?* V. *Triplex circa Infiniti in nostra mente conceptum controversia.* VI. *Ad cujus intelligentiam præstructæ tres hypotheses.* VII. *Infiniti conceptum esse negativum, evincit ejus ad mentem creatam disproportio:* VIII. *Nec non Infiniti secundum rem & conceptum indivisibilitas.* IX. *Iniqua inter ideam negativam tenebrarum, & eam quæ Infiniti est, comparatio.* X. *Negativum Infiniti conceptum mens nostra quo modo formet?* XI. *Positivam Infiniti ideam non arguit, quod plus in Infinito esse intelligitur realitatis, quam in finito.* XII. *Conceptum Infiniti eo qui finiti est in mente nostra priorem non*

non esse, demonstratur. XIII. *Neque obstat, defectum finiti intelligi ex comparatione majoris, puta Infiniti.* XIV. *Si naturæ ordine idea Infiniti in mente nostra sit prior, non sibi constare novam methodum, docetur.* XV. *Infinitum clarâ & distinctâ ideâ à finita mente concipi, repugnat.* XVI. *Neque satisfacit distinctio inter conceptum totius Infiniti, & singularum in eo perfectionum.* XVII. *Non etiam juvat plus realitatis, quod in idea Infiniti, præ omni alia, contineri dicitur.* XVIII. *Res in quibus minus perfectionis est clarius plerumquè nobis intelligi, ostenditur.* XIX. *Errores circa ideam Infiniti perpetuum Meditationum Cartesianarum* πρῶτον ψεῦδος.

I. *Quæcunque existunt humanæ menti pervestigabilia, præterquam Infinitum.*



Leganter ille & sapientissimè, *Quantum est quod ignoramus!* Experiuntur id quotidiè, quotquot unquam haud planè hebetes, exteriori cortice non contenti, sese dederunt severioribus meditationibus, eisdemque, interiorem rerum substantiam & medullam exhaurire conati sunt. Ità nimirùm voluit providus naturæ Auctor Deus indè quidem abstergere sciendi nauseam, quo semper infixum hæreat illud, *Plus ultra*; hinc verò lusu elegantissimo fatigare industriam & laborem mortalium, tanto magis suam unicuique detegens ignorantiam, quanto altius in rerum scientia profecit: ut credas meritò, unumquemque quo scit plura, eo scire magis, se scire pauca. Causam si quæramus, cur adeò sint multa, in quorum contemplatione sic hæremus, ut initium facilius inveniamus quam exitum, reperiemus plerumquè eam esse, non tam ipsam rei difficultatem, quam potius inopiam adminiculorum, quibus occlusa ad rerum notitiam via referetur; quod unum hìc & opus & labor est. Fallitur quicunque eas sibi imaginatur mentis humanæ angustias, ut non apta existat quævis ca-

capere, modo ad manum sint media idonea; quorum defectu sæpè contingit, ut subsistere cogatur atque acquiescere in qualicunque sapientiæ modulo. Unum duntaxat est quod omnem mentis nostræ vim longissimè excedit, ipsâque suâ naturâ, ut in se est, ab ea cognosci nequit; INFINITUM puta. Id, quia nullam planè ad finitum nostrum ingeniolum habet proportionem, tanto fermè magis nostram fugit meditationem, quanto diligentius in id inquirimus; & in hoc potissimum à nobis tanquam Infinitum cognoscitur, quòd mens humana ejus plenitudinem & perfectionem concipere nequeat. Ut mirum sit, non deesse hodiè Philosophos, qui, quidvis sibi de se promittentes, secundum methodum suam philosophantibus polliceri audent Infiniti ideam, non claram tantum & distinctam (id parùm) sed omnium quoque quas quis habere potest clarissimam & distinctissimam. Quam verè? constabit ex hac Dissertatione nostra; quâ, aspirante Ente Infinito, de Infinito pro modulo disputare constitui.

Verùm in ipso hìc limine necessitas imponitur vindicandi hoc institutum à censura quorundam, quibus ipso Dissertationis titulo graviter impingere videbor, dum disputare aggredior de re, de qua *nunquam disputandum esse*, dictant. *Cartes. Princip.* 1. §. 26. Quod si verum sit, unâ liturâ quicquid hìc meditamur inducitur. Mihi quidem mira semper hæc visa fuit philosophatio, ac parùm congrua eorum hypothesibus, qui conceptum Infiniti positivum, & quidem clarum ac distinctum, quin omnium qui in mente existunt evidentissimum se habere gloriantur. Si sic, quid ni disputare liceat de Infinito? Equidem quod clarè & distinctè cognoscimus, etiam priusquam concipimus finitum, quid ni de eo judicare liceat ista, quæ sic concipimus? Ast de quo judicare licet, de eo quoquè disputare non tantum licet, verum etiam sæpè necessum est. Quum enim variorum de eadem re judicia esse soleant varia, & non raro opposita, facilè eveniet (quod passim evenire docet experientia; docebit hæc ipsa pagina, quâ de Infinito quandoque disputandum esse, contra negantem id Cartesium evincimus) ut quis in suo de Infinito judicio erret; quem errorem refutare, ac veram de Infinito sententiam vindicare, unusquisque tenetur, II. *De Infinito tamen mens nostra, etsi finita, rectè disputat.*

cui veritas, ne erroribus opprimatur, cordi est. Ecquid autem id est aliud, quam de Infinito disputare? Atque hoc fundamento Metaphysici, Entis affectiones tractantes, de Infinito non minus agunt quam de Finito; Pneumatici Spiritum in Finitum & Infinitum dividunt, atque utriusque differentias explicant; Ethici de Bono summo seu Infinito, an & quale detur, disquirunt; Mathematici & Physici de Quantitate Infinita disputant; Theologi de Deo Infinito toti differunt. Absurdi omnes & inepti, si Cartesio credimus, qui sese *fatigarunt disputationibus* de re, de qua disputandum sit nunquam. Tandem de ipso Cartesio quid judicabimus, qui determinare passim audet de Infinito plurima, eaque vindicare ab objectionibus, puta, Infiniti Ideam positivam esse, & ideâ finiti priorem, esse omnium maximè claram & dinstinctam, &c. Ut taceam quæ de mundo, ejusque materia Infinita, docet alibì; de quibus infrà suo loco.*

III. *Neque ideo quicquam quod finitatem suam excedat conari, credendum est.*

Sed cur, obsecrò, nullis unquam de Infinito disputationibus locum relinquit Cartesius? *Cum simus*, inquit, *finiti*, *absurdum esset nos aliquid de Infinito determinare*, *atque sic illud quasi finire ac comprehendere conari.* Itane? De nulla ergò re aliquid determinare licet, nisi quam intellectu nostro finimus ac comprehendimus? Profectò de re omninò nulla, ne minima quidem, sic quicquam determinare forsan licuerit; cum certi non simus, nos vel unicam comprehensivè intelligere. Instantias, quibus vanitatem illationis ostendam, non longè petam. Attributorum Divinorum ne unum quidem nos comprehendere notum est; at quoties non imponitur necessitas disputandi de Æternitate, Simplicitate, Immensitate, Immutabilitate, Præscientia infallibili, Decreto immutabili, Providentia efficaci, &c. si vindicare voluerimus independentem Divinæ Majestatis gloriam à plurimorum eam temerè vellicantium cavillationibus? Ut addam aliud: exemplo sit Chiliogonum, quo ipso alibì utitur Cartesius, quodque hùc imprimis facit, quippe cujus ne claram quidem & distinctam imaginationem nos habere largitur, nisi tantum, quatenus ad unum aut alterum ejus latus se extendit nostra attentio. Numquid autum idcircò dubitabis de eo contra negantem disputare, atque asserere, id esse æquiangulum, si sit æquilaterum; in æquiangulo duo

duo latera quovis tertio esse majora; esse minus circulo cui inscribitur; esse majus circulo circa quem describitur; & quæ alia similia ex Matheseos principiis de Chiliogono non minus certò demonstrari possunt, quam de Trigono aut Pentagono, quæ quod ad omnia & singula sui latera atque angulos comprehendis? Vides (ut plura hùc adferre desinam) non ideò nos aliquid comprehendere, quia de eo disputamus? Nec mirum. Sufficit de re quapiam disputaturo, si satis habeat, ob quod suam tueatur opinionem, fundamenti, ex quo dubia circa rem controversam mota possit decidere: habet autem satis fundamenti, si prædicatum, de quo disputare aggreditur, percipiat cognitione certâ; qualis apprehensiva esse potest non minus quam comprehensiva. Itaquè sufficiens nequaquam est hæc ratiocinatio ad prohibendas quaslibet de Infinito disputationes. Non saltem tales, quibus *omnes nostri intellectûs vires sic in eo contemplando occupare conamur, ut non tam* Infinitum *capere* laboremus, *quam ab ipso potius capi*: uti ipse loquitur Cartesius, de Infiniti Dei in mente nostra idea disserens. Modestis ejusmodi de Infinito dissertationibus nihil præjudicant mentis nostræ, quibus id comprehendere prohibemur, angustiæ. Modestis, inquam; ne quis autumet, nos hìc quicquam ullo pacto patrocinari velle curiosis, temerariis, ac non rarò profanis hac parte Scholasticorum quæstionibus ac decisionibus, quibus infinitis eximium hunc de Infinito tractatum turpem in modum polluerunt homines inaniter atque otiosè subtiles, nihilque de sese humile in tractandis rebus etiam maximè sublimibus sentientes.

An verò humilitatis conscientia genuina causa fuerit, ob quam de Infinito disputare noluerit Cartesius; an potius aliud eum moverit ad hâc utendum præcautione, conjectare licet ex iis quæ mox ipse addit. Nimirum, pro ea quâ excellebat mentis subtilitate, prævidebat facilè, quot difficultatibus, & quam prorsùs insolubilibus, premenda essent quæ de mundi nostri infinitate, seu nullis ejusdem terminis nisi imaginariis, traditurus erat deinceps. Neque tamen mittendum erat repudium opinioni, quam alibi agnoscit *unum ex præcipuis, suoque judicio certissimis, Physicæ suæ fundamentis. Epist. Vol.1.p.* 187. Itaquè via præscindenda erat omnibus istiusmodi rationibus & instantiis, quibus extensio hujus uni-

IV. *De Infinito disputari, cur re verâ noluerit Cartesius?*

versi intra limites coërceri atque compelli validè posset. Hinc istâ sibi suisque hypothesibus cavet prolepsi, monendo in antecessum lectorem, istis se disputationibus fatigandum minimè esse. Sic enim moxpergit: *Non igitur respondere curabimus iis, qui quærunt, an, si daretur linea infinita, ejus media pars esset etiam infinita; vel, an numerus infinitus sit par an impar, & talia; quia de iis nulli videntur debere cogitare, nisi qui mentem suam infinitam esse arbitrantur.* En callidum consilium! quo uno quasi ictu secare nititur infinitos nodos, quibus mundum suum nullos extensionis terminos habentem constringendum fore præsagiebat, quibusque ritè solvendis neque ipse par erat, neque ullus unquam sufficiet mortalium. Pulcrè profectò! Dictabit de Infinito quod placet Dominus Cartesius. In contrarium si objicias rationes, *non iis respondere curabit*; causatus *mentis finitudinem.* Benè habet, quòd hodiè didicerimus viam ratiocinandi brevem & compendiariam; quâ eâdem, & vacui possibilitatem, & plurium mundorum non-repugnantiam, & spirituum cum corporibus essentialem coëxistentiam, & alia quævis dogmata, novam sapientiam subvertentia, absque multa circuitione tueri datur facillimè.

V. *Triplex circa Infiniti in nostra mente conceptum controversia.*

Quum itaquè nihil nobis re verâ obstet mentis finitas, quo minus disputare de Infinito liceat, age! paulo propius cum Nobili Auctore congrediamur, acturi & de Infiniti in nostra mente notione, & de re ipsa quoque: utrobiquè enim nobis haud leviter errare videtur. Utque indè faciamus initium, triplex circa Infiniti conceptum occurrit expendenda controversia. Primùm, An positivus is sit, an potius negativus? Indè fluit secundò, Uter conceptus altero prior sit, Finiti, an Infiniti? Deniquè, An idea Infiniti in mente nostra existens sit clara & distincta, quin omnium quas habemus clarissima ac distinctissima? Conceptum Infiniti & positivum esse; & conceptu Finiti priorem esse; & omnium maximè clarum & distinctum esse, tuetur Cartesius, *Medit.* III. Nobis opposita sententia verissima videtur & certissima. Quo autem distinctius de his omnibus philosophemur, quædam in antecessum notari velim, quorum non levis erit in his quæstionibus decidendis usus.

VI. *Ad cujus intelligen-*

I. Distinguendus est accuratè conceptus formalis, uti loquuntur, ab objectivo, sive notio rei in nostra mente, à re ipsa quæ notione

tione repræsentatur. Quod si attendamus, deprehendemus ilicò, distinguendum planè esse conceptum rei positivum à conceptu rei positivæ. Illic *τὸ positivum* est affectio conceptûs seu notionis, exprimens modum, quo mens rem sibi repræsentat: hìc verò *τὸ positivum* est affectio objecti repræsentati, indicans id esse verum quid & reale. Ex quo conficitur, quemadmodum rei perfectæ dari potest conceptus imperfectus, & vice versâ, ità quoque non repugnare, rei positivæ dari conceptum negativum: quod ipsum plurimis instantiis cuique obviis confirmare facillimum existit. Hìc nobis quæstio est, non de *conceptu Infiniti positivi*, sed de *conceptu positivo Infiniti*: i. e. non disquiritur, an Infinitas à parte rei sit positiva perfectio, quod nemo negaverit, qui expendet ea quæ de Infinito ipso deinceps trademus; sed quæstio est an Infinitas, etsi verè sit à parte sui quid positivum, etiam modo positivo à nobis concipiatur? Neque inanem hanc esse subtilitatem, sed controversiam magni momenti, vel hoc unum evincit, quod hinc pendeat omnis vis & robur argumenti Cartesiani, petiti ab infiniti Dei idea, ad probandam ejusdem existentiam; uti ex infrà dicendis percipietur. II. Distinguendum quoque est inter nudam ideam, rem immediatè & directè per solam apprehensionem simplicem menti offerentem, atquè inter perceptionem istiusmodi, quæ, ex pluribus mentis actibus composita, superaccedente judicio & discursu quasi perficitur. Secundum ista evenire potest, nos firmiter tenere, prædicatum quodpiam esse positivum, non quia id tanquam positivum simpliciter concipimus, sed quia sufficientes sunt rationes, quæ nos compellunt ad credendum, quod negativo duntaxat modo ob mentis imbecillitatem concipimus, re verâ tamen esse positivum, quamvis tanquam tale nobis sit inconceptibile. Aliud itaquè est, Infinitum simplici ideâ, eâque positivâ & positivo modo concipere; aliud, ope judicii & discursûs intelligere, Infinitum, quamvis negativè conceptum, esse tamen re ipsâ positivum. Non de isto quæritur, sed de illo. III. Distinguenda denique est res quæ Infinita est, ab ipsa Infinitate; consequenter, distinguendus quoque conceptus rei Infinitæ à conceptu ipsius Infinitatis tanquam talis. Ille compositus quasi est ex duabus notionibus, & rei ipsius, & adjunctæ Infinitatis; hic est simplex idea, Infinitatem.

tiam præstructæ tres hypotheses.

tatem in abstracto repræsentans. Illum, quod ad rem attinet cui Infinitas tribuitur, posse esse positivum, non negamus; hunc (de quo nobis quæstio est) dicimus in finita mente positivum neque esse, neque esse posse.

VII. *Infiniti conceptum esse negativum, evincis ejus ad mentem creatam disproportio:*

Ista præmittere visum fuit ad statum controversiæ rectius intelligendum. Nunc Cartesium audiamus! *Nec*, ait, *putare debeo, me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem & tenebras per negationem motus & lucis; nam contrà manifestè intelligo, plus realitatis esse in substantia infinita, quam finita.* Ego verò prorsus autumo, conceptum Infiniti, qua talis, in nostra mente esse negativum, non positivum. Demonstro. Quicquid positivè concipimus id intellectui nostro tanquam illi approportionatum occurrit. Fieri namquè non potest, ut aliquid positivè à mente nostra attingatur, quod captum ejus excedit, in quantum nimirum eum excedit; quoniam implicat, intellectum nostrum positivo modo versari circa illud, quod suâ naturâ est extra ejus sphæram activitatis. Jam verò Infinitum tanquam tale, sive ipsam Infinitatem, finitæ menti, ejusve vi perceptivæ, neutiquam esse approportionatum, imò nec approportionari posse, adeò clarum est, quam quod clarissimum; quandoquidem finitum quotiescunque sumptum nunquam potest Infinitum excedere: qui tamen possibilis uniussupra alium excessus in eis requiritur, quæ aliquam habent ad se mutuo proportionem. Si itaquè majus quid & amplius concipiendum sit in Infinitate, quam quod à mente nostra attingi potest, ptopter nullam illius ad hanc proportionem; sequitur utiquè, Infinitatem nos alio modo concipere non posse, quam cogitando, nullis unquam finitis conceptibus Infiniti perfectionem absolvi posse. Quod profectò clarè notat, Infinitatem qua talem tantùm nobis cogitari negativè; removendo limites quoscunque vel conceptos, vel etiam conceptibiles.

VIII. *Nec non Infiniti secundum rem & conceptum indivisibilitas.*

His adde, Infinitatem ejusmodi prædicatum esse, quod (quemadmodum infrà docebimus) in indivisibili consistit, quare uti ipsi, ita & conceptui, ei respondenti, nihil addi potest aut detrahi. At verò omnes conceptus nostri, in quantum sunt positivi, finiti sunt, cum conditionem ipsius mentis finitæ non excedant; adeoque semper iis addi potest & detrahi. Restat ergò conceptum

ceptum Infiniti in nostra mente non esse positivum. Si malis, clarius forsan sic arguam: Infiniti quà talis vel totum concipit mens nostra, vel aliquam partem, vel nihil. Totum infinitum concipere est nihil aliud, quam suo conceptu id exhaurire & comprehendere, quod mentis finitatem omninò excedit. Partem Infiniti concipere, mera contradictio est; cum infinitas suâ naturâ omnis partitionis sit expers. Restat ergò, dum positivo conceptu nec totum infinitum, nec partem ejus concipere possumus, si quo modo id concipimus, alio quam negativo id nos concipere non posse; per remotionem puta termini cujusvis conceptibilis. Talis autem conceptus negativus, sicuti magis & minus non admittit, sed in indivisibili consistit, ità unicè idoneus videtur ad rem indivisibilem, Infinitatem nempè, intelligendam. Neque attinet pluribus confirmare certam veritatem, quam & Cartesius ipse, quod mireris, Opponenti suo largiri cogitur, dum inquit: *Quantum ad rationem formalem Infiniti, sive Infinitatem, etiamsi illam intelligamus esse quam maximè positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus; ex hoc scilicet, quod in re nullam limitationem advertamus. Respons. Prim. p.* 59. Quod si *non, nisi negativo modo*, intelligamus Infinitum, quare negat, ut audivimus, nos Infinitum *tantum per negationem* finiti percipere, uti quietem percipimus per negationem motûs? Neque hìc juvat distinctio *inter Infinitatem & rem quæ infinita est*, quasi non Infinitatem, sed *ipsam rem quæ est infinita, positivè intelligamus.* Nam de Infinito concepto qua tali est quæstio, ut antè monuimus, non de eo quatenus aut spiritus, aut ens, aut substantia est; quo sensu quis unquam mortalium asseruit, Infiniti conceptum negativum esse?

Verùm, neque prætermittendum est, esse valdè ambiguè dictum à Cartesio, *Nec putare debeo, me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem & tenebras per negationem motus & lucis.* Ambigua, inquam, sunt ista. Vel enim respiciunt duntaxat simplicem concipiendi modum, vel notant simul judicium quod de re concepta formamus, quodque notionem illam ferè comitatur. Si solam ideam attendas, quatenus in mente nostra simplici apprehensione absolvitur, liquet ex antè demonstratis, verissimum hactenus esse, nos Infini-

IX. *Iniqua inter ideam negativam tenebrarum, & eam quæ Infiniti est, comparatio.*

Infinitum non percipere per positivam ideam, sed tantùm per finium remotionem, uti percipimus quietem & tenebras per negationem motûs & lucis. Verùm si notionem Infiniti spectes, quatenus eam comitatur judicium de re quam negativâ notione percipimus, longè hoc loco dispar ratio est inter conceptum Infiniti, atque eum qui est quietis aut tenebrarum. Videlicet, quando conceptu negativo cogito quietem aut tenebras, simul intelligo, non tantùm conceptum formalem, quem vocant, sive ipsum concipiendi modum negativum esse; verùm etiam judico, conceptum objectivum, sive tenebras ipsas à parte sui, esse duntaxat privationem luminis, quietem tantùm privationem motûs, eaque ità reale nihil in se includere, quemadmodum in idea eorum nihil reale offertur menti. At verò, quamvis Infiniti quâ talis conceptus formalis, sive modus concipiendi, sit negativus, certò tamen judicamus, conceptum objectivum, seu Infinitum ipsum prout à parte rei existit, esse quam maximè positivum. Atque hactenus conceptus negativus tenebrarum aut quietis à conceptu negativo Infiniti distat quam plurimùm. Illam notionem & negativam esse, & rei negativæ scimus; hanc negativam esse, sed rei positivæ, novimus. Ut reverâ minus accuratè hactenus instituatur inter conceptum tenebrarum & Infiniti comparatio.

X. *Negativum Infiniti conceptum mens nostra quo modo formet?*

Ut verò nihil amplius dubitemus, quin Infinitum, prout sub conceptum nostrum finitum cadit, non nisi negativè à nobis apprehendatur, per terminorum seu limitum remotionem, operæ pretium fuerit attendere paulo diligentius modum, quo, teste experientiâ, Infiniti notio à mente nostra formatur. Exemplo sit Æternitas, spectata simpliciter in quantum est duratio infinita: nam & successionis carentiam in ea includi novimus; atqui quam hìc non jam attendemus. Eam concepturus tanquam talem, obviam quamcunque durationem apprehendo; finitam quidem, sed quam, factâ sæpius multiplicatione, amplifico quantum possum, & quam latissimè patentem concipere annitor. Indè quidem experior, ex finita duratione multoties aucta & multiplicata resultare tandem aliquam, cujus definitam magnitudinem non intelligo, utpote distinctum meum captum fugientem; non tamen ideò me Infinitam eam concipere probè novi, quippe qui mihi conscius sum, finiti ad infinitum nullam esse proportionem, neque

que adeò multiplicationis finitæ, quantumvis magnæ, productum unquam esse, aut esse posse, Infinitum. Nunc itaquè, nisi desperabundus omnem prorsùs de Infinita duratione cogitationem abjicere velim, nihil restat aliud, quam ut cogitem rem infinitè durantem, tanquam aliquid quod omnem mihi conceptibilem durationem excedit. Quæ verò duratio conceptibilem omnem durationem excedere cogitatur, eo ipso concipitur negativè: quandoquidem manifestam notat contradictionem, aliquid omne conceptibile excedere, & tamen simul à me positivè intelligi. Quodcunque enim, ut antè docui, concipitur positivè, in quantum concipitur positivè, mentem non excedit; & contrà, quod mentem excedit, hoc ipso quod excedit, mentem non afficit, & sic non nisi negativè cogitatur. Et profectò modum concipiendi, ad quem nos ducit Spiritus Sanctus in Sacris, si attendamus, deprehendemus à finito fieri initium, & per finium seu limitum remotionem conceptum hunc terminari. Quid enim vult aliud, quando de Æternitate (ut tantùm assumam hoc de quo jam diximus) sermo est, illud antropopathicum, *Anni tui non deficiunt*? Ecce, durationem Deo tribuendam, sive æternitatem, conceptam finitam primùm per modum annorum! Ecce, factam infinitam, pro modo concipiendi nostro, per remotionem terminorum! Mirum, balbutire voluisse ità Spiritum S. nobiscum, si Infinitatis positivum habere conceptum adeò sit facile, quam contendunt isti.

XI. *Positivam Infiniti ideam non arguit quod plus in Infinito esse intelligitur realitatis, quam in finito.*

Neque pro positiva Infiniti idea facit, quod tanquam fundamentum assertioni suæ subjicit Cartesius, quandò ait: *Manifestè intelligo, plus realitatis esse in substantia infinita, quam in finita.* Nam, quamvis sit certissimum, nos meritò ob validas rationes judicare, id quod in re infinita plus est quam in finita, & per quod res infinita constituitur in esse Infiniti, esse à parte rei quam maximè positivum, negatur tamen, ob antè demonstrata, te illud plus realitatis, quod in re Infinita est, eamque Infinitam facit, ideâ quadam positivâ concipere; quod docere omninò necesse fuerit, ad conficiendum, nos *Infinitum per veram ideam*, & *non tantum per negationem finiti* percipere. Neque multò aliter solvendum aliorum argumentum huic non valdè absimile. Idea, inquiunt, substantiæ infinitæ est positiva; quia infinita substantia

illa est, quæ omnes omninò perfectiones cogitabiles perfectissimè possidet: ast istud aliquid positivum est. Quamvis enim negandum non sit, τὸ possidere omnes perfectiones perfectissimè notare à parte ipsius possidentis quid quam maximè positivum & reale, non tamen indè conficitur, reale illud positivâ ideâ, pro modo concipiendi nostro, à nobis intelligi. Quis certè est, qui positivè concipiat, & omnes omninò perfectiones cogitabiles, & perfectissimam earundem possessionem? Quin, quis non potius experitur secum, se hæc concipere, removendo istiusmodi imperfectiones & modos possidendi imperfectos, quos in creaturis observamus? Quamobrem, Deum omnes omninò perfectiones perfectissimo modo possidere, quoties dicimus, non id exprimimus quod simplici ideâ eâque positivâ, de Numine nobis repræsentamus, sed, quod, quamvis nobis positivè inconceptibile esse sentiamus, ratiocinando tamen Divinæ naturæ convenire novimus. Quo sensu ille, piè non minus quam eleganter, *Nobis de Deo affirmanda esse & quæ concipimus, & quæ non concipimus.*

XII. *Conceptum Infiniti eo qui finiti est in mente nostra priorem non esse, demonstratur.*

Progredior ad alteram de conceptu Infiniti controversiam, cujus decisio ex priori facillima est. Dico nimirum, Conceptum finiti in mente nostra priorem esse eo qui est Infiniti. De hoc dubitare non sinunt jam allata. Scilicet, quod à mente nostra positivè percipitur, eidemque sic satis est approportionatum (quale esse finitum ostendimus) id procul omni dubio prius percipitur eo quod neque positivè menti offertur, neque ullâ ratione illi approportionari potest; quale est Infinitum. Ad ea enim concipienda mentem imprimis pronam esse & facilem, quæ maximè ei sunt approportionata; item, conceptum positivum negativo priorem esse, per se clarum est. Quin, si, ut opinantur qui sentiunt oppositum, finitum tantùm concipi queat per remotionem majoris alicujus puta Infiniti jam antè nobis concepti, sequetur, ea concipi planè non posse finita, quæ ipsa Infinita quoque concipi nequeunt. Sumamus V.G. Extensionem vel Numerum. Ea quando concipio finita, dici nequit præcessisse in mente mea ideam extensionis aut numeri Infiniti, per cujus remotionem extensionem vel numerum hunc aut istum finitum concipio; nam (quod deinceps docebimus) ità contradictoria & sui eversiva est extensio vel numerus infinitus, ut ejus positivam ideam habere ne quidem quis-

quisquam possit. Atque hæc ratio efficacissima est, & vel una sufficit, ad evincendum, conceptum Infiniti notionem finiti suâ naturâ non antecedere. Et quid quæso de istis dicemus hominibus, qui per omnem vitam vix unquam seriò de Infinito cogitarunt, multò minus positivo conceptu id unquam conceperunt; quos tamen res quasvis obvias tanquam finitas clarè & distinctè concipere, notum est? Evidenti profectò argumento, non præcedere in nostra mente conceptum Infiniti notionem finiti; sed finitum concipi omninò posse ab aliquo qui nequidem de Infinito cogitat. Adde deniquè, ipsum Spiritum Sanctum non uno loco nos manu ducere ad concipiendum Infinitum ex finito; non contrà, finitum ex Infinito: cujus exemplum, ne alia adducam, dedimus in Æternitate Divina concipienda per durationem à qua removeantur fines. Non addam plura; sufficiunt hæc ad demonstrandum, falsum esse, quod asserit Cartesius, *priorem quodammodo in nobis esse perceptionem Infiniti, quam finiti.*

XIII. *Neque obstat, defectum finiti intelligi ex comparatione majoris, puta Infiniti.*

Neque stringunt, quæ pro sententia sua subjicit: *Qua enim ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc est aliquid mihi deesse, & me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos agnoscerem?* Nam non prorsùs idem sunt, se ipsum concipere finitum; &, concipere aliquid sibi deesse ex comparatione alicujus perfectioris. Prior conceptus absolutus est; posterior comparativus: &, si benè attendamus, hic ex illo sequitur. Videlicet, primum positivè intelligo, me hoc vel illud prædicatum possidere hactenus; mox negativè cogito, non ergò me possidere majus, v. c non duplum, aut triplum, &c. multo minus id me possidere sine ullis limitibus & modo perfectiore quam unquam positivè intelligere possum, id est, infinito. Quamvis itaquè verum sit, me non posse concipere in meipso comparativè minus, quin connotetur conceptus majoris (minus enim & majus, tanquam relata, sunt simul, uti naturâ, ita quoque cognitione) nihil tamen hinc conficitur aliud, quam, quoties finitum cogitare incipimus comparativè, tanquam minus Infinito, conceptum Infiniti in hoc mentis actu involvi. At non indè sequitur, hunc ideò priorem esse illo: non magis, quam si inferrem ego, conceptum finiti priorem esse notione Infiniti, quia nimirum nunquam concipere possum Infinitum tan-

quam majus finito, quin in me existat idea entis finiti, ex cujus comparatione excessum Infiniti supra finitum intelligam. Comparativè itaquè si spectentur Finitum & Infinitum, quatenus alterum altero majus est aut minus, intelliguntur, uti dixi, simul; ut ne quidem in comparativo hoc sensu ex vero dicatur, *priorem quodammodo esse perceptionem infiniti quam finiti*. Concidit itaque omnis hæc Cartesii philosophatio. Quod enim ad conceptum Infiniti absolutum (non comparativum tanquam alicujus finito majoris) eum conceptu finiti in nobis esse posteriorem, commate proximè præcedente, invictè docuimus.

XIV. *Si naturæ ordine idea Infiniti in mente nostra sit prior, non sibi constare novam methodum docetur.*

Id verò mirum est, si, quod contendit Cartesius, perceptio Infiniti, hoc est Dei, prior quodammodo in homine sit, quam finiti, hoc est sui ipsius, cur non Nobilis Auctor Meditationum suarum initium fecerit ab idea Dei potius tanquam Infiniti, quam sui tanquam dubitantis; quoniam, si ei credimus, *nulla ratione intelligere possumus nos dubitare, sine comparatione entis perfectioris*. Certè, si sint hæc vera, non est nova methodus satis congrua ideis, prout eæ nativo quasi ordine menti nostræ sese offerunt. Quin, quandò ipse Cartesius adhuc omnia pro falsis habebat, sic ut *supponeret, nullum esse Deum, totumque hoc de Deo daret esse fictitium*, omnemque adeò de Deo, hoc est Infinito, cogitationem planè seponeret, intelligebat nihilominus etiam tum, se existere tanquam dubitantem, hoc est, tanquam finitum, cui aliquid desit; nec tamen adhuc intelligebat, aliquid existere se majus, ex cujus comparatione se tanquam finitum & dubitantem intelligere poterat. Parum congrua ergò fuerit, nullâ habitâ ratione Infiniti, ejusque conscientiâ in alium locum rejectâ, tam operosa & profunda de mente dubitante, atque ex dubitatione ipsa suæ sibi finitudinis conscia, philosophatio. Videmus, ad concipiendum finitum supponendum non esse conceptum priorem Infiniti, ea ipsa si attendamus, quæ tradunt novi methodistæ.

XV. *Infinitum clarâ & distinctâ ideâ à finita*

Propero ad tertiam, de conceptu Infiniti in nobis, quæstionem: An nimirum idea Infiniti in nostra mente sit clara & distincta; quin, uti loquitur Auctor, *maximè clara & distincta*? Ad ejus solutionem multa hùc congerere necesse non erit. Si enim, quod demonstravimus, idea Infiniti, & negativa sit, & finiti

ideâ

ideâ posterior, quis dubitet, clarius & distinctius à nobis finitum percipi quam Infinitum? An verò maximè clara & distincta erit idea ejus, quod, ipso teste Cartesio, *non nisi negativo quodam modo intelligimus; ex hoc scilicet, quod in re nullam limitationem advertamus*? *Respons. Prim p. m.* 59. Ea ergò *idea maximè clara & distincta* erit, quæ est rei, quam *totam simul animo complecti* non possumus, quamque *non nisi finitâ, & ad modulum ingenii nostri accommodata cognitione intelligere* nos, fatetur? *Ibidem.* Ecquis extitit unquam, qui non, vel leviter ipsas duntaxat voces attendens, intellexerit, id quod menti approportionatum est, atque, absolutè loquendo, totum ab ipsa comprehendi potest, quale est finitum, longè clarius & distinctius intelligi à nobis, quam quod nullam planè per se & ex suâ naturâ ad mentem dicit proportionem, quale est Infinitum? Hoc enim, ut jam antè notavimus, neque secundum se totum prout in se est intelligere possumus, ob mentis percipientis finitatem; neque intelligere id possumus per partes, quas ipsa Infiniti natura respuit: undè nihil aliud de Infinito qua tali concipere licet, quam quod inæstimabili magnitudine & modo prorsus inconceptibili, omnem omninò vis nostræ intellectivæ finitudinem excedat. Hæccine idea maximè clara est & distincta? Concipiant ista qui possint, dicant qui ausint! Ego, me quod attinet, sic omninò habeo, præclarè hac de re disseruisse Auctorem *Objection. Prim. p.* 49. hunc in modum: *Interrogabit nonnemo; clarene distincteque cognoscis ens infinitum? Quid ergo sibi vult tritum istud & vulgo notum*: Infinitum qua infinitum est ignotum. *Si enim ego cum de chiliogono cogito figuram aliquam confusè mihi repræsentans, non chiliogonum ipsum distincte imaginor aut cognosco, quia mille ejus latera non distincte intueor; sane rogabit ille, quomodo infinitum ut infinitum distincte & non confuse tantum cogitet, si infinitas ejus perfectiones, quibus constat, clare & velut ad oculum videre non possit.*

mente concipi, repugnat.

Neque ullâ parte iis satisfecit Cartesius, respondendo, *Resp. Prim. p.* 59. *Confusè imaginamur chiliogonum, cum omnia simul ejus latera complectimus, sed potest valde clara & distincta esse imaginatio chiliogoni, si tantum ad unum aut alterum ejus latus se extendat. Simili ratione, &c.* Perindè enim id est, ac si dicam, posse esse valdè claram & distinctam imaginationem leonis, cujus non omnia

XVI. *Neque satisfacit distinctio inter conceptum totius Infiniti & fin-*

 mem-

gularum in eo perfectionum.

membra video, sed aliquem tantùm unguem. Certè chiliogonum tanquam tale clarè & distinctè neutiquam concipitur, nisi id ad minimum concipiatur quod chiliogono est essentiale, videlicet non unum, non alterum, non tertium latus, quod & in decagono observare licet, sed mille præcisè latera totidem angulis inter sese unita: quæ nisi concipias, re verâ chiliogonum non concipis tanquam tale; nedum ut id conciperes clarè & distinctè. Quæ si Infinito applicemus, res est evidentissima. Nam neque Infinitum tanquam tale clarè & distinctè concipitur, nisi omnes perfectiones quæ Infinitum absolvunt, & sine quibus omnibus Infinitum tale non est, & positivè tanquam tale menti non occurrit, clarè & distinctè concipiantur. Quapropter, quemadmodum mens nostra in formando repræsentamine chilogoni, laterum multitudine, imaginationi non approportionatâ, sic obruitur, ut chiliogoni tanquam talis clarum & distinctum conceptum nunquam acquirat; ità quoque mens nostra in formatione notionis Infiniti, multitudine perfectionum ad Infinitum requisitarum, & inconceptibile quantùm captum nostrum excedentium, sic obruitur, ut Infiniti qua talis conceptum clarum & distinctum nec habeat, nec per finitam suam naturam ad infinitum collatam habere possit.

XVII. *Non etiam juvat plus realitatis, quod in idea Infiniti, præ omni alia, contineri dicitur.*

Nititur quidem Cartesius, ideam Infiniti in mente nostra præ cæteris quam maximè esse claram & dictinctam, hinc imprimis probare, quod illa *plus realitatis quam ulla alia contineat*. Sed frustrà est. Neque enim eo clarior semper est & distinctior idea, quo plus realitatis objectivæ continet. Sive, ut loquar clarius, non eò evidentius & distinctius rem concipimus, quo plures in re concepta perfectiones existere judicamus, nisi simul illud plus realitatis, vel plures illas perfectiones ipsas, quarum ratione res concepta alias excedit, clarè & distinctè intelligamus. Etenim aliud prorsùs est, intelligere rem quampiam esse perfectiorem, aliud, ipsas illas perfectiones, per quas res hæc existit illâ perfectior, clarè & distinctè concipere: quorum hoc imprimis ad claram & distinctam rei perfectioris ideam pertinet. Jam verò, ut illud plus realitatis, quo Finitum ab Infinito exceditur, clarè & distinctè intelligas, tantùm abest, ut ipse necesse habeas post pauca fateri, *alia innumera in Deo* (Infinito) *esse, quæ fortè ignoras, nec*

forte

forte etiam attingere cogitatione ullo modo potes : adeò *ut* , *quantum ad ipsam Infinitatem, illam non nisi negativo quodam modo intelligamus*. Tu ergò, qui in Infinito innumera (quorum respectu Infinitum existit tale) ignoras, sic ut ea cogitatione ullo modo attingere nequeas, & non nisi negativo quodam modo intelligas, dices nihilominus, Infiniti claram & distinctam, & quidem quam maximè claram & distinctam, te habere ideam? Capiat ænigmata istiusmodi qui potest!

XVIII. *Res in quibus minus perfectionis est clarius plerumque nobis intelligi, ostenditur.*

Juvat rem hanc paucis illustrare, quo veritas eorum quæ diximus ab imperitissimo quoque manibus palpetur. Similis omninò est universa hæc Cartesii philosophatio assertioni alicujus Geometræ, jactantis, longè clarius & distinctius se concipere figuram indefinitorum angulorum, quam trium; eo scil. fundamento, quod, cum in idea Trianguli tres tantum sese offerant anguli, ex adverso Indefinitanguli conceptus plus angulorum contineat, quam ulla alterius figuræ idea: licet ipse interim experiatur, in Indefinitangulo innumeros esse angulos, quos ignorat, nec etiam attingere cogitatione ullo modo potest. Aut tantundem est, ac si quis glorietur imaginem Solis se habere multò clariorem & distinctiorem quam ardentis alicujus candelæ; quoniam intelligit in sole esse plus luminis quam in flamma candelæ, innumeros nimirum radios, sed quos omnes nec videt, nec visu suo ullo modo attingere potest. Si quis hæc ritè perpenderit, nihil dubito, quin omnis, qui non volens hìc cæcutire cupit, intelligat clarissimè & distinctissimè, longè falsissimum esse & absurdissimum, tanto clarius & distinctius rem aliquam nos intelligere, quanto plura ei inesse judicamus prædicata, etiamsi ea nobis sint inconceptibilia. Quid? quod experientia quotidiana nos doceat, verissimum esse, non raro rem imperfectissimam, cui pauca duntaxat insunt prædicata, longè clarius & distinctius nobis concipi (dum mens omnes & singulas ejus perfectiones magis quasi penetrat & plenius exhaurit) quam aliam multò quidem perfectiorem, sed ipsâ prædicatorum suorum multitudine & magnitudine intellectui inaccessam nec ullo modo approportionatam. Obtinet hoc imprimis in re illa, quæ infinitis suis perfectionibus, sic mentis aciem perstringit, ut confundat, neque quid tandem percipiat, ipsa satis sciat, nisi fortè hoc unum, rem in hoc à se Infinitam agnosci, quod per-

perceptione finitâ percipere nequeat ea quæ in re Infinita percipienda sunt. Hæccine est ideâ maximè clara & distincta? Rectæ rationis hac parte dictamini conformia magis existunt dictata Spiritûs Sancti, asserentis, Deum ratione infinitarum suarum perfectionum *lucem inhabitare*, sed finitis nobis homuncionibus *sic inaccessam*, ut & *in tenebris habitare* dicatur; adeò quidem, ut singulari etiam gratiâ illuminatorum in hac vita cognitio de Infinito Deo similis sit *ænigmati*, cujus ipsam rationem formalem in obscuritate & confusione consistere, notissimum est.

XIX. *Errores circa ideam Infiniti perpetuum Meditationum Cartesianarum* πρῶτον ψεῦδος.

Ex hactenus demonstratis liquet abundè, conceptum Infiniti, tanquam talis, in mente nostra & negativum esse; & notione finiti posteriorem; & deniquè non nisi obscurum & confusum: quæ ipsa de Infiniti idea probanda sumseramus. Quibus ritè intellectis, ad oculum apparet, quam parùm concinna sit methodus Cartesii, quam servat in famosis illis suis de prima Philosophia Meditationibus. Nititur enim hæc omnis eâ, quam jam profligavimus, sententiâ, de idea Infiniti in mente nostra & positiva, & ideâ finiti priore, & clara maximè ac distincta. Nominatim liquet, nullam omninò esse decantatam illam demonstrationem, quam adfert pro demonstranda summi Numinis existentia ex innata quadam nobis Dei, tanquam entis infinitè perfecti, idea, omnium quas habemus clarissima ac distinctissima, atque ideò maximè vera. Concidunt istæc omnia, quæque iis connexa sunt sexcenta, subruto hoc de idea Infiniti fundamento; quod conceptibus suis ac demonstrationibus ubiquè Cartesius substernit. Verùm novæ Methodi ἀμεθοδίαν, & gravissima illarum Meditationum ψευδογραφήματα, alias fortè detegemus pluribus & ex professo. Nunc circa Infiniti ideam hæc observasse suffecerit.

DIS-

DISSERTATIONIS

DE

INFINITO

SECTIO POSTERIOR;

Quæ est de

EXTENSIONE INFINITA.

SUMMARIUM.

XX. *De Infinita materiæ extensione quæstio est longissimæ consequentiæ.* XXI. *Infinitam Universi diffusionem agnoscit præ aliis rotundè Epicurus.* XXII. *Cartesianorum in indefinita mundi extensione vorticum cum innumeris Epicuri in infinito universo mundis consensus.* XXIII. *Universi extensionem verè infinitam statuere, æquè ac Epicurus, necesse habet Cartesius.* XXIV. *Cui difficultati frustrà sese hìc subducere laborat.* XXV. *Cartesii dissertatio, quâ suam aperit de Infinito universo sententiam.* XXVI. *Alia ejusdem in eandem rem adducta loca præcipua.* XXVII. *Philosophationis Cartesianæ summa omnis capitibus quibusdam comprehensa.* XXVIII. *Veram extensionis Infinitatem eis asseri, observatione unâ atque alterâ ostenditur.* XXIX. *Distinctio Cartesii inter Infinitum & Indefinitum nil hìc aufert difficultatis.* XXX. *Mundi extensio quo sen-*

su affirmanda Infinita , Indefinita , Finita. XXXI. *Finitas partes nulli Infinitæ extensioni constituendæ sufficere, ostenditur.* XXXII. *Etiam partes numero infinitas in Infinita extensione admitti non posse, docetur.* XXXIII. *Neque ex partibus extensione infinitis Infinitam extensionem componi , evincitur.* XXXIV. *Imò ne alterâ quidem parte infinitas partes extensionem totam Infinitam conficere posse, demonstratur.* XXXV. *Ex quibus omnibus , extensum nullum , ob ipsam sui extensionem , Infinitum dari , aut dari posse , concluditur.* XXXVI. *Quod idem ex rei corporeæ natura & attributis quibuslibet pluribus instantiis conficitur.* XXXVII. *Essentia solius Dei Infinita extensionis cujusvis Infinitatem evertit.* XXXVIII. *Immensitas Divina extensionem mundi Infinitam non patitur.* XXXIX. *Divinæ Potentiæ infinitas, & liberrimum in rem creatam dominium, cum Infinita hujus extensione non consistit.* XL. *Deniquè , extensionis Infinitas inimica existit Divinæ Sapientiæ, Unitati , Incomprehensibilitati, atque Æternitati.* XLI. *Difficultas de spatiis imaginariis, quæ veram in suo conceptu involvant extensionem, aufertur :* XLII. *Quamque ea sit inefficax, ad impugnandam finitam mundi extensionem, duplici instantiâ ostenditur.* XLIII. *Non qui mundi extensionem finitam cogitat , quicquam sentit de se superbum, de Deo minus magnificum.* XLIV. *Non ad extensionem quamlibet finiendam aliud corpus ambiens cum Epicuro admittere necessum est :* XLV. *Cum id corpori accidat , non qua simpliciter finito , sed qua parti Universi.* XLVI. *Omnipotentiæ Divinæ Immensitas pro possibili extensione Infinita*

finita nil concludit. XLVII. *Detegitur indè petita sophisticatio, non unâ in hanc rem allatâ instantiâ.* XLVIII. *Demonstrationis de extensione necessariò finita* Porismata, *Cartesianam* Physicam *subvertentia.*

XX. *De Infinita materiæ extensione quæstio est longissimæ consequentiæ.*

Ad rem ipsam progredior; in qua non minus, quam in ejusdem idea, graviter hallucinatum fuisse Cartesium, paucis ostendere constitui. Missis autem aliis, quæ plurima de Infinito disputari possunt, unam duntaxat, eamque longè præcipuam, excutere fert animus controversiam, de materia, sive extensione, infinita. Neque inutilis erit disquisitio, quum indè pendeant controversiæ vexatissimæ, quales sunt v. c. de Spatiis Imaginariis, de possibilitate plurium Mundorum, quæque iis sunt affines; imò & gravissimæ, disputationes de primæ causæ potentia & providentia circa hoc universum totum, atquè etiam plurimas ejus partes: de quibus omnibus aliter atque aliter statuendum est, prout mundi nostri extensionem vel finitæ quantitatis agnoscimus, vel infinitæ. Ut forsan vix alia existat materia, quæ tantum consequentiarum syrma in re Theologica æquè ac Philosophica post sese trahit, quam hæc ipsa. Quæstionem quibus eam verbis vates Physicus *Lib.* 1. *de Nat. Rer.* proponit, & ipse proponam ego:

Nunc age summaî ecquænam sit finis eorum,
Nec ne sit, evolvamus: item, quod inane repertu'st,
Seu locus, ac spatium, res in quo quæque genantur,
Pervideamus, utrum finitum funditus omne
Constet; an immensum pateat vel adusque profundum.

XXI. *Infinitam Universi diffusionem agnoscit præ aliis rotundè Epicurus.*

Inter Antiquiores varii à variis recensentur, qui voluerint Mundum, aut saltem materiam ejus, infinitè extensam esse. Ità sensisse fertur Anaximander, Diogenes, aliique; qui tamen non eodem modo ac sensu mundi infinitatem explicuisse atque asseruisse videntur: sed hæc latè prosequi vix operæ pretium. Ex recentioribus Franciscus Patricius & Guiljelmus Gilbertus, capita portentosarum novitatum feracissima, mundum mole infinitum propugnarunt. In hæretico Hermogene, faciente materiam infinitam, jam olim opinionem hanc tanquam Orthodoxæ Fidei ini-

inimicam notavit gravissimus auctor Tertullianus. Quamvis autem Christianis doctoribus passim commentum hoc de materiæ infinitate vehementer displicuerit, ipsumque cordatioribus etiam Gentilibus fuerit explosum, placuit tamen Cartesio illis omnibus, uti in Physicis sæpius, ità quoque hac in parte præferre Epicurum, quippe cujus opinio hypothesibus novæ sapientiæ mirum in modum existit congrua. Ipse Epicurus rotundè: ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι, apud *Laert. Lib. x.* Undè *Cicero de Divinat. Lib.* II. *Videsne Epicurum, quem hebetem & rudem dicere solent Stoici, quemadmodum quod in natura rerum Omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit.* Atque idem, *Lib.* I. *de Natura Deorum: Cujus operam profectò non desideraretis*, ait Vellejus, *si immensam & interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videritis, in quam se injiciens animus & intendens, ita longè latèque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum, &c.* Contendit nimirùm Epicurus, per infinitum Universi spatium ferri atomos infinitas, quæ alibì atque alibì concurrentes, innumerabilia mundorum systemata constituerunt; istìc enim mundum nasci voluit, ubicunquè congrua atomorum congeries per proprias quasdam earundem convolutiones coäluit. Quæ atomorum coagmentatio cum in infinito universo non potuerit non plurimis locis fieri, etiam non potuit non evenire, quin indè quoquè innumerabilis mundorum multitudo in hoc universo extiterit. Quo pertinet illud notum Metrodori, Ἄτοπον εἶναι ἐν μεγάλῳ πεδίῳ ἕνα στάχυν γεννηθῆναι, καὶ ἕνα κόσμον ἐν τῷ ἀπείρῳ: *Absurdum esse in magno agro nasci unam spicam; & sic pariter absurdum esse in infinito unum nasci mundum.* Sed Lucretium audiamus, rem omnem dilucidè sub finem *Lib.* II. *De Nat. Rer.* ità exsequentem:

Principio nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infra, supraque, per omne
Nulla'st finis, uti docui, res ipsaque per se
Vociferatur, & elucet natura profundi.
Nullo jam pacto verisimile esse putandum est,
(Cum quoquo versus spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero summàque profunda

Multi

Multi' modis volitent æterno percita motu)
Hunc unum terrarum orbem, cœlumque creatum,
Nil agere illa foris tot corpora materiai:
Cum præsertim hic sit naturâ factus, & ipsa
Sponte suâ forte offensando semina rerum
Multi' modis temere, incassum, frustraque coacta,
Tandem coaluerint ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terrai, maris, & cœli, generisque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est
Esse alios alibi congressus materiai,
Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.
Præterea, cum materies est multa parata,
Cum locus est præsto, nec res nec causa moratur
Ulla, geni debent nimirum & confieri res. Etc.

XXII. *Cartesianorum in indefinita mundi extensione vorticum cum innumeris Epicuri in infinito Universo mundis consensus.*

Non piguit Poëtæ textum pleniorem exhibere, quo & mentem Epicuri assequamur rectius, & intelligamus simul, cui sapientiæ nova Physica suas debeat hypotheses. Mirum enim, quam concinnè hunc infinitorum mundorum in universo infinito exortum Epicureum referat vorticum innumerabilium in indefinita Universi extensione naturæ genesis Cartesiana. Ut istic audis ex alio & alio atomorum in diversa infiniti hujus universi loca concursu genitos esse complures Mundos; ita hic supponitur materiam hujus Universi, in qua nullos extensionis limites agnoscunt, divisam fuisse in particulas fermè æquales, & magnitudine mediocres, quæ circa centra sua circumactæ constituerunt vortices ut vastissimos, ita innumeros: in quibus corpora stellarum, tum fixarum, tum planetarum, quos inter numeranda nostra Tellus, quæque in iis dantur res naturales, originem traxerint ex solo confluxu & cohæsione particularum tantùm ratione magnitudinis, figuræ, sitûs atquè motûs diversarum. Vide Cartesii *Princip. Lib.* III. §. XLVI. *& seqq.* Item, *Lib.* IV. *ab initio.* Et re verâ ipsissimos infinitos in infinito universo Epicuri mundos in Cartesiana hypothesi, si propius attendamus, renatos videbimus: cum vortices Cartesianos inter & mundos Epicureos quantum hactenus intersit discriminis? non videam. Ecquid enim aliud mundorum nomine intellexisse Epicurum credamus, quam

plura systemata planetaria, nostro huic in quo nos degimus in plerisque similia? At verò ex hypothesibus Cartesianis vix evenire potuit aliter, quam ut quilibet vortex hujus universi, uti suum meditullium habet proprium Solem, ità suis quoque gaudeat Planetis, ipsisque etiam Terris; ad instar vorticis hujus, in quo nos terricolæ circa solem nostrum oberramus. Neque multum aberit hæc sententia ab opinione quam alibì Plutarchus tribuit Heraclidi & Pythagoreis, qui senserint innumeras stellas per universi immensitatem dispersas totidem existere mundos.

XXIII. *Universi extensionem verè infinitam statuere, æquè ac Epicurus, necesse habet Cartesius.*

Egregiam verò laudem merentur, qui deliramenta istiusmodi, sapientibus quibusvis, Gentilibus pariter ac Christianis, dudùm explosa, & jam silentio ac contemptu sepulta, in lucem revocant, & orbi literato novo habitu aucta & ornata proponunt. Etenim quamvis multa sua habeat Cartesius, in quibus conspicua est ejus ab Epicuro dividia, in hoc tamen tertium (ut alia, quæ hujus loci non sunt, taceam plurima) prorsùs consentit utraque hypothesis, quod absque Universi extensione infinita nec ista nec hæc consistat. Uti enim jam olim ex mente Epicuri cecinit Lucretius, *Lib.* I.

Aut etiam alterutrum nisi terminiet alterum eorum,
Simplice & naturâ pateat Totum immoderatum,
Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec Divum corpora sancta
Exiguum possent horaï sistere tempus.
Nam dispulsa suo de cœtu materiaï
Copia ferretur magnum per inane soluta:
Sive adeo potius nunquam concreta creasset
Ullam rem, quoniam cogi dispersa nequisset.

Uti, inquam, hisce arguit Lucretius, nisi Universum sit infinitum, fore, ut dissipatæ atomi æternùm ferantur, neque compositionem ullam faciant; ita rectè Cartesium monuit H. Morus, *Lib.* I. *Epist.* LXVI. debere ex ejus hypothesibus Universi expansionem statui infinitam, quia, hoc nisi supponatur, *materia*, ait, *tuorum verticum à centris suis recedet*, *totaque mundi machina in dissipatas atomos vagosque abibit pulvisculos.*

XXIV. *Cui difficultati frustrà*

Cum itaquè sit manifestum, absque infinita materiæ extensione, non magis consistere posse Cartesii mundum verticosum, quam Epi-

Epicuri universum atomicum, frustrà sunt, nimiumque sibiipsis adversi Recentiores, quandò difficiles adeò existunt in exponenda sua sententia de vera universi infinitate; quæ negari nequit, nisi simul convellatur unicum & præ cæteris necessarium novæ Physicæ fundamentum. Neutiquam verò hic sese exsolvit Cartesius, quando respondet Moro: *Cum dico, extensionem materiæ esse indefinitam, sufficere hoc puto, ad impediendum nequis extra illam locus fingi queat, in quem meorum vorticum particulæ abire possint. Ubicunque enim locus ille concipiatur, ibi jam, juxta meam hypothesin, aliqua materia est; quia dicendo eam esse indefinite extensam, dico ipsam latius extendi quam omne id quod ab homine concipi potest.* Non, inquam, sic sese exsolvit satis Cartesius. Si enim aliquis re ipsâ sit inter vortices ultimus (eum tanquam talem an concipias, nec ne, parùm refert) utiquè partes hujus dissilient, & à centro, secundum regulas motûs, necessariò recedent; quod ne admittere cogaris, necesse omninò est ut vorticem quemcunque alio vortice re ipsa existente cingi statuas, nullusque adeò admittatur in hoc Universo verè extremus. Quod aliud nihil est quam ipso facto Universum asserere infinitum. Nequaquam hæc ignorasse opinor Cartesium. Verùm, cum facilè videret, quot & quantis se difficultatibus involveret, si apertè sibi sumeret defendendam extensionem mundi infinitam, eam non palam profiteri, sed crudum dogma palliare, prudenter maluit, quæsito effugio in voce *Indefiniti*, in qua mirè ludit. Saltem declinandum sibi hoc argumentum duxit, quo usque potuit: quod ipsum quoque profitentem mox audiemus. Quicquid fuerit, quidnam hypothesibus suis de vorticibus convenienter Cartesius sentire debuerit de vera universi ratione extensionis infinitate, satis quæ jam diximus docent.

Sese hìc subducere laborat.

XXV. *Cartesii dissertatio, quâ suam aperit de infinita universi materia sententiam.*

Verumtamen, cum, ut Cartesius ipse, ità quoque Cartesiani adeò hac parte sint varii & inconstantes, ut nullibi magis (ità ajunt, negant, dubitant, nesciunt) ipsique passim conquerantur de calumnia quâ Cartesio affingantur opiniones à mente ejus alienæ, age! de Infinita mundi extensione quid ipse docuerit, videamus! Fusè imprimis hac de re agit, *Lib.* 1. *Epist.* XXXVI. Totus istic loci est in hac dissertatione, diluïturus objectiones, quas Regina Succiæ Christina proposuerat in eam, quam ipse mundo tribuit, diffusionem. Dabo integrum textum: nam dedisse operæ pre-

tium erit. *Quicquid*, ait, *in hoc argumento noverim conabor hic exponere. Primo memini Cardinalem Cusanum, Doctoresque alios plurimos supposuisse mundum infinitum, neque tamen propterea ab ecclesia unquam fuisse correptos: contra videtur ad Dei cultum pertinere ut ejus opera amplissima censeantur; meaque, quam illorum sententia, commodius admitti potest, quia non dico mundum esse infinitum, sed tantum indefinitum. Quæ quidem duo inter se haud parum differunt: ad hoc enim ut quis dicat infinitum quid esse, ratione aliqua niti debet, qua probet rem ita se habere, quod de Deo tantum probari potest; sed ad hoc ut dicam esse quid indefinitum, satis est si nulla sit ratio, qua probari possit id esse finitum. Mihi autem videtur probari non posse, imo neque concipi, ullos esse fines materiæ ex qua constat universus orbis. Cum enim materiæ hujus naturam perscrutor, invenio, positam esse totam in eo, quod extensa sit secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ita ut quicquid præditum est tribus hisce dimensionibus, sit materiæ hujus pars. Neque vero potest spatium ullum dari omnino vacuum, hoc est, quod nullam contineat materiam, quia tale spatium concipere nequimus, quin tres hasce in illo dimensiones, & proinde materiam concipiamus. Mundum autem finitum supponendo, concipiuntur ultra ejus fines spatia quædam tribus hisce dimensionibus prædita, & proinde non pure imaginaria, quæ Philosophi vocant, sed continentia in se materiam; quæ cum alibi esse nequeat, quam in mundo, liquet mundum extra fines ipsi præscriptos extendi. Cum ergo rationem nullam noverim, qua probem, imo neque concipere queam, mundi fines ullos esse, illum indefinitum voco; sed negare tamen nequeo, illius forsan fines aliquos esse Deo notos, licet illis comprehendendis imparsim: quare non dico absolutè esse infinitum.* Quæ de Cusano Cardinale, deque Ecclesia Romana sententiam de infinito mundo non corripiente, hic narrat Cartesius, undè habuerit, facile erit colligere inspicienti *Lib.* II. *Epist.* CV. ubi sic suo Mersenno: *Quæso rescribe mihi, an de extensione mundi quicquam fuerit in fide definitum, utrum nempe sit finitus, an vero potius infinitus; atque, utrum spatia illa, quæ vocant imaginaria, sint corpora creata & vera: nam, licet non erat animus hanc quæstionem movere, tamen puto invito mihi tractandam fore.*

XXVI. *Alia ejusdem in eandem* Cæterùm, etiam cum H. Moro prolixa fuit Cartesio de Infinita Mundi extensione concertatio. Summa hùc redit. Objecerat Mo-

Morus: *Indefinitam tuam mundi extensionem non intelligo. Extensio enim illa indefinita, vel simpliciter infinita est, vel tantum quoad nos. Si intelligis extensionem infinitam simpliciter, cur mentem tuam obscuras vocabulis nimium suppressis ac modestis? Si tantum quoad nos infinitam, re vera erit finita extensio; neque enim mens nostra aut rerum aut veritatis mensura est. Ac proinde materia tuorum vorticum à centris suis recedet, &c.* Respondet Cartesius, *Epist.* LXVII. *Lib.* I. *Neque vero affectatæ modestiæ est, sed cautelæ, meo judicio, necessariæ, quod quædam dicam esse indefinita potius quam infinita; solus enim Deus est quem positivè intelligo esse infinitum: de reliquis, ut de mundi extensione, de numero partium in quas materia est divisibilis, & similibus an sint simpliciter infinita, nec ne, me profiteor nescire; scio tantum me in illis nullum finem agnoscere. atque idcirco respectu mei dico esse indefinita.* Quumquè instaret Morus: *Haud tamen latere te potest, quin sint vel simpliciter infinita, vel re vera finita; quamvis utrum horum sint, tam facile statuere non possis. Quod autem vortices tui non disrumpantur & fatiscant, non obscurum videtur indicium, Mundum re vera esse infinitum. Etc.* Ista, inquam, quum iteratò urgeret Morus, clarius se explicat Cartesius, & confidentius loquitur, *Epist.* LXIX. his verbis: *Repugnat conceptui meo, sive, quod idem est, puto implicare contradictionem, ut mundus sit finitus vel terminatus, quia non possum non concipere spatium ultra quoslibet præsuppositos mundi fines; tale autem spatium apud me est verum corpus: nec moror quod ab aliis imaginarium vocetur, & ideo mundus finitus existimetur; novi enim ex quibus præjudiciis error iste profectus sit.* Quibus convenienter ità, *Princip. Part.* III. §. I. 2. *De mundi aspectabilis constructione ut rectè philosophemur, duo sunt imprimis observanda. Unum, ut attendentes ad infinitam Dei potentiam & bonitatem, ne vereamur nimis ampla, & pulchra, & absoluta ejus opera imaginari: sed è contrario caveamus, ne si quos forte limites, nobis non certo cognitos, in ipsis supponamus, non satis magnifice de Creatoris potentia sentire videamur. Alterum, ut etiam caveamus, ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus. Quod fieret non modo, si quos limites, nobis nulla cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam si vis nostræ cogitationis, ultra id quod à Deo re vera factum est, ferri posset; sed, &c.* Adde quæ extant *Ibid. Part.* II. §. 21. 22. *Cognoscimus præterea hunc mundum,*

dem rem adducta loca præcipua.

sive substantiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ fines habere. Ubicunque enim fines illos esse fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinite extensa, non modo imaginamur, sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia, esse percipimus; ac proinde etiam substantiam corpoream indefinitè extensam in iis contineri. Hincque etiam colligi facile potest ..... non plures mundos, sed unum tantum, esse posse: quia perspicue intelligimus, illam materiam, cujus natura in eo solo consistit quod sit substantia extensa, omnia omnino spatia imaginabilia, in quibus alii isti mundi esse deberent, jam occupare. Nec deniquè præteriri debet insignitè huc pertinens locus, ex *Lib.* 1. *Epist.* XXXV. *Si insuper attendamus ad infinitudinem potentiæ ejus (Dei) per quam tam multa creavit, quorum pars sumus minima .... deniquè hinc tenuitatem nostram, inde rerum omnium creatarum magnitudinem perpendendo, & qua ratione illæ à Deo pendeant, illasque modo potentiæ ejus congruo æstimando, non vero pyxide veluti quadam concludendo (quod ii faciunt qui volunt mundum esse finitum) harum omnium rerum meditatio, &c.*

XXVII. *Philosophationis Cartesianæ summa omnis capitibus quibusdam comprehensa.*

Atque ista, si non omnia, pleraque saltem sunt & præcipua, quæ de mundo, ejusve materia sive extensione, Finita, & Infinita, extant in scriptis Cartesii. Juvat quæ istic sparsa jacent in ordinem cogere, & ad quædam capita revocare universam rei summam: neque erit opinor, cui amplius de mente Viri superesse queat dubium. I. Animum non fuisse, ait, *hanc quæstionem* movere; sed *invito sibi tractandam* fore. Gravem profectò causam fuisse oportet, ob quam invitus trahatur ad tractandam rem, ad quam expediendam sponte potius advolare debuisset; cum citra infinitam extensionem vorticosam mundi structuram non consistere, jam observaverimus. II. Anxiè percunctatur, *numquid de* mundi *extensione*, finita an *infinita*, in *fide fuerit definitum*? Innuens sic satis, in quam sententiam animus inclinaret; de finito enim mundo opinionem, ut pervulgatam & ubiquè receptam, ità fide nunquam fuisse damnatam, qui nesciat nemo est. III. De *indefinito* interìm mundo, an quid ab Ecclesia sit definitum, nihil istic inquirit. Deinceps ergò demum incidit de indefinito cogitatio; *ut sua* scilicet, quam illorum qui mundum esse infinitum dicunt, *sententia commodius admitti posset*. IV. Cæterùm asserit, sibi videri, *probari non posse*, imò *neque concipi*, ullos esse *fines*

ma-

materiæ, ex qua constat universus orbis; *nec rationem ullam novisse*, quâ probet, imô vel concipere queat, *mundi fines ullos esse*. v. Excusat opiniònem supponentem *mundum infinitum*, quod non meminerit, propterea Cardinalem Cusanum, Doctoresque alios, *ab Ecclesia unquam* fuisse *correptos*. vi. Quin contrà commendat hanc sententiam: quod videatur *ad Dei cultum pertinere*, ut ejus opera amplissima censeantur. vii. Tam ampla videlicet, ut rerum creatarum *magnitudinem potentiæ* divinæ *infinitudini congruè* æstimemus. viii. Quod *non* faciant, qui volunt mundum esse *finitum*; quippe *qui pyxide* veluti quâdam eum *concludunt*. ix. Quique adeò *non magnificè* satis *de Creatoris potentia* sentire videntur; quando *limites* quos, *non* certo *cognitos*, in Dei operibus *supponunt*. x. Quales *superbè* nimis *de se* ipsis *sentiant*; dum *limites*, *nullâ* cognitos *ratione vel revelatione*, mundo volunt *affingere*. xi. Cum *vis* nostræ *cogitationis ultra* id quod à Deo re verâ factum est, *ferri nequeat*. xii. Ut morandum hìc non sit *spatium imaginarium*; quia quod spatium ultra quoslibet præsuppositos mundi fines concipimus, *verum corpus est*; quoniam *in eo substantia* corporea indefinitè *extensa* continetur. xiii. Utque *error* sit, *ex præjudiciis* profectus, id *imaginarium* vocare, & ideò *mundum finitum* existimare. xiv. Quoniam *dari non potest aut concipi* spatium ullum omninò *vacuum*, hoc est, quod nullam contineat materiam. xv. Ut hinc facilè colligi possit, *non plures mundos*, sed *unum* tantùm, *esse posse*. xvi. Quia nempè *perspicuè intelligimus*, *materiam* hujus universi *omnia* omninò *spatia imaginabilia*, in quibus *alii mundi* esse deberent, *jam occupare*. xvii. Ut tandem *cognoscamus*, hunc *mundum*, sive substantiæ corporeæ universitatem, *nullos extensionis* suæ *fines habere*. xviii. Repugnetque conceptui, sive, quod idem est, *implicet contradictionem*, *ut mundus sit finitus vel terminatus*.

Talia cui exciderunt, non semel, non aliud agenti, is quo pacto mundum non re verâ habuerit extensione infinitum? ego quidem non video. Cæteris quidem admiscet, fateor, molliora quædam, v.c. cum *se nescire profitetur*, *an mundi extensio sit simpliciter finita*, *nec ne*; *scire tantum*, *se in illa nullum finem agnoscere*; *negare se non posse*, *illius forsan fines aliquos esse Deo notos*; *&c.* Verum ista similiaque meritò referenda esse ad *vocabula nimiùm sup-*

XXVIII. *Veram extensionis Infinitatem eis asseri, ostenditur observatione unâ atque alterâ.*

pressa & modesta, quibus *mentem suam obscurare* nititur, facilè credat cum Moro, quisquis eorum quæ hìc exhibuimus continuum filum atque universæ cogitationis Cartesianæ non interruptam seriem, quam dedimus, vel leviter attenderit. Saltem, quicunque etiam cæteris quæratur color, in quemcunque verba deflectantur sensum, tres postremi à nobis notati articuli tantæ sunt in hoc negotio evidentiæ, ut quâvis exceptione existant majores. Certè qui asserit, *alios mundos esse non posse*, eo quod *intelligat perspicuè*, *materiam hujus nostri omnia spatia*, *in quibus alii esse deberent*, *jam occupare*, qua obsecrò ratione illi dubium esse potest, num ipso facto infinitum sit nostrum universum? Hoc enim qui *se nescire profitetur*, quo fundamento ponit *se perspicuè intelligere*, *omnia spatia* in quibus alii mundi esse deberent *jam occupari* ab hoc nostro. Si enim sint *forsan fines quidam Deo noti*, nec id negare queas; qui potes negare Deum forsan extra illos aliquid creare posse? En, ut pelluceat artificium! Sed & quid clarius isto: *Cognoscimus*, *hunc mundum nullos extensionis suæ fines habere*? Non ait negativè, *Non cognoscimus*, ullos fines mundum habere, quod potuisset videri magis pertinere ad cognitionis imperfectionem, quam ad rei cognitæ actualem infinitatem: verum exertim & positivè inquit, *cognoscimus*, *nullos habere* mundum fines. Imprimis verò quid dici poterat hìc plenius & planius, quam: *Puto implicare contradictionem*, *ut mundus sit finitus vel terminatus*? An verò credemus, aliquem sanæ mentis id à se impetrare posse, ut dubium id habeat, nùm sit nec ne, quod ipsum *putat implicare contradictionem*. Adde expressimis hisce Cartesii effatis consentire, ut jam antè notavimus, hypothesin ejusdem de mundo vorticoso; cui omnis recentior physica inædificata existit; quæque salvari nullâ ratione potest, nisi Universi extensio supponatur actu infinita. Quæ cum ità sint, judicium penes lectorem esto, num tantas habeant Cartesiani causas conquerendi, suam Philosophiam opinione de mundi extensione actu infinita iniquè gravari?

XXIX. *Distinctio Cartesii inter Infinitum & Indefinitum*

Nos quod attinet, ne hisce quidem litigiis inhærere necesse habemus, quandoquidem Dissertationi huic nostræ sat amplum campum aperit materia hujus Universi, si non *Infinita*, *Indefinita saltem*: in qua distinctione cum mirum in modum sibi placeat Cartesius, quid illi inter duo ista discriminis intercedat, videndum

dum est paulò accuratius. Textum Auctoris, quo hac de re disserit, dedimus §. xxv. ex *Epist* xxxvi. *Lib.* 1. Addam illi verba clara & perspicua, quæ occurrunt *Reponf. prim. p.* 59. *Et quidem*, ait, *hic distinguo inter* indefinitum *&* infinitum, *illudque tantum propriè infinitum appello, in quo nulla ex parte limites inveniuntur; quo sensu solus Deus est infinitus: illa autem in quibus sub aliqua tantum ratione finem non agnosco, ut extensio spatii imaginarii, multitudo numerorum, divisibilitas partium quantitatis, & similia,* indefinita *quidem appello, non autem* infinita, *quia non omni ex parte fine carent.* Ex quibus liquet, duas ob causas Cartesium maluisse mundum hunc appellare *indefinitum*, quam *infinitum*: Primùm, quia id tantum vult propriè dici Infinitum, quod ratione aliquâ probetur esse tale; id Indefinitum, quod nullâ ratione probari potest esse finitum, qualis est materia ex qua constat universus orbis. Deindè, quia in mundo sub aliqua tantùm ratione, videlicet respectu extensionis duntaxat, finem nullum agnoscit; cum Infinitum hoc tantum censeat appellandum, in quo nulla ex parte, respectu nullius prædicati aut perfectionis, limites inveniuntur. Atquì nequicquam Cartesium juvare potest hæc distinctio, ad declinandam vim efficacissimarum rationum, quæ pro finita mundi extensione urgeri queunt. Quandoquidem enim de Infinitate mundi, non omni ex parte, sed tantum sub aliqua ratione, scil. extensionis, hìc disputatur; & quidem ità, ut quæratur, an hoc respectu mundum Infinitum non esse, firma ratione probari possit, utiquè in hac controversia planè coïncidunt hactenus, atque unum idemque sonant, *Indefinitum* Cartesii, & Antagonistarum ejus *Infinitum*. Quibus ritè intellectis, nemo hic sibi patietur imponi per *τὸ Indefinitum*, sub cujus umbone in hac controversia Recentiores ferè delitescere, quodque instar caput Gorgonis identidem objicere, consueverunt; perturbantes ità quantum possunt quæstionis statum, atque in litigiosis vocibus, quandò se rationibus impares experiuntur, præsidium quærentes: quod profectò disputatoris est flexiloqui & parùm generosi.

nil hìc aufert difficultatis.

XXX. *Mundi extensio quo sensu affirmanda Infi-*

Nos candidè agere instituimus: atque ideò, ut nullus maneat ambiguitati, in qua ludatur, locus, tribus articulis, quæ nostra sit de extensione universi Infinita, Indefinita, Finita, sententia, clarè & distinctè sic paucis definiemus. 1. *Infinitam* mundi hu-

nita, Indefinita, Finita? jus extensionem esse & dici posse potentiâ, ut loquuntur, quatenus sese nunquam eo usquè diffundit, ut non in infinitum ulterius & ulterius extendi atque ampliari queat, tantùm abest ut negemus, ut contrà hoc ipsum quam maximè contendamus: nequit enim admitti hæc infinitas potentialis in mundi diffusione, nisi actualis ejusdem terminatio omninò supponatur. II. *Indefinitam* hujus universi extensionem etiam faciles admittimus: si ejus nomine veniat magnitudo tam vasta, ut ejus termini, ubi definitè sint, & quantum ab invicem distent, præcisè à nobis definiri nequeant. Atque ità mundum agnoscimus Indefinitum, quo sensu indefinitum dicimus V. C. numerum arenarum in littore maris, aut amplitudinem Terræ Australis incognitæ, aut profunditatem maris, aut altitudinem Solis, &c. quæ omnia certo certius cognoscimus aliquos re verâ habere suæ magnitudinis terminos ac limites, licet eorundem definitum ubi nequeamus assignare. At si sumatur acceptione Cartesianâ vox Indefiniti, aut pro re in qua sit vera infinitas, etsi certâ tantum ratione, puta respectu extensionis; aut pro re, quæ nullâ ratione probari queat finita, prosùs negamus, mundum posse aut debere dici Indefinitum. Quin ex adverso asserimus, III. *Finitum* esse re ipsa hoc Universum, ut omni modo, ità nominatim respectu extensionis; idque solidâ ratione non tantum probari posse, verùm etiam argumentis compluribus eisque efficacissimis, Universi hujus, sive materiæ ejusdem, diffusionem nec à parte rei esse, nec à parte mentis concipi posse Infinitam, citra multiplicem contradictionem, demonstratu esse facillimum, contendimus. Hoc si ostendamus, procul dubio verum faciemus elenchum; quum Cartesium contrarium ejus expressissimè asserere audiverimus.

XXXI. *Finitas partes nulli Infinitæ extensioni constituendæ sufficere, ostenditur.* Non explicabo aciem, neque omnes adducam argumentorum classes, adversus mundi extensionem, quæ sit, aut esse possit, Infinita, militantes infinitas. Tantùm quas hìc rationes suppeditat tum mundi creati conditio, tum Dei Creatoris perfectio, notabo. Neque has quidem omnes urgebo; contentus, unam aut alteram fortius adstrinxisse, alias istùc pertinentes paucis attigisse. Ut verò quæ res ipsa clamat audiamus primum, attendi velim diligenter ad corporum, ex quibus constat hoc Universum, naturam. Intima eorum essentia (urgentibus id præ aliis quibuscum

cum nobis hìc res est) extensionem necessariò involvit. Ea quum sine partibus neque sit, neque concipi possit, nullâ ratione mundo partes integrantes denegari possunt. Et hæc quidem, ut opinor, extra controversiam collocata sunt. Jam verò, quodcunque partibus constat, id Infinitum nec esse, nec esse posse, invictè conficitur ratiocinio hoc, quovis Hercule fortiore. Partes nimirùm, quibus constabit totum extensione Infinitum, à parte rei vel finitæ erunt, vel infinitæ. Tertium hìc ne cogitari quidem potest; propter membrorum oppositionem contradictoriam, medium quodvis respuentem. Neutras autem infinitum corpus admittere, sic ostendo. Non finitas; est enim manifestissimum, extremæ partis terminationem eandem omninò esse cum terminatione totius: ut toti, ex finitis partibus conflato, non magis deesse possit terminus & extremitas, quam ipsi ejusdem ultimæ parti finitæ. Quæ quamvis luce meridianâ sint clariora, neque ullâ ulteriore confirmatione egere videantur, ne quid tamen in argumento nostro desiderent importuni disputatores, qui quidvis sæpè negare malunt, quam suis valedicere hypothesibus, age! etiam assertionem hanc nostram demonstremus clarè & distinctè! Indubitatum est, partes omnes simul sumtas & unitas ipsum totum esse, adeoque illas huic existere prorsùs adæquatas. Pariter itaquè indubitatum existit, inter partes & totum, hoc ipso quia illæ huic adæquatæ existunt, rationem vel proportionem dari. At finiti ad Infinitum ullam dari, aut dari posse, proportionem, nemo dixerit, cujus non insania sit sine ulla proportione infinita. *Rationem habere inter se dicuntur quantitates, quæ possunt multiplicatæ sese mutuo superare. Def. 5. v. Eucl.* Multiplicetur autem finitum quotiescunquè, nunquam superabit Infinitum: nunquam enim finitum finito additum finiti naturam exuit; nec partes unquàm toti dabunt, quam ipsæ non possident, perfectionem. Quin, si finitis partibus constare queat totum Infinitum, quid eveniet, si nova eis pars finita addatur? (Finitis verò finitum addi, quid vetat?) Numquid hoc casu totum Infinitum adauctum dices? Quis neget; cum addita de novo pars suam toti, quâ antè caruit, adjecerit quantitatem? Quis tamen affirmet, qui non simul necesse habeat largiri, unum Infinitum altero Infinito finitâ quâdam sui parte posse esse majus? Quæ quam sit insulsa cogitatio, nemo

non

non videt; atquè ex infrà dicendis constabit abundè. Est itaquè plus quam certum, contradictionem non unam ponere, si quis asserat, Infinitum totum ex finitis partibus constare posse. Quod demonstrandum erat.

XXXII. *Etiam partes numero infinitas in Infinita extensione admitti non posse, docetur.*

Verùm neque partes infinitas Infinita hujus Universi moles, vel quantitas quævis alia, admittit; seu numero eas infinitas dixeris, seu extensione. Aliam autem, præter hanc alterutram, infinitatem partibus tribui nullam posse, clarum est. Certè partium numerus infinitatem omnem prorsùs respuit: nisi numerus admittendus sit verè innumerus, talis nempè, cujus unitates absolutè colligi nequeunt; id est, qui reverâ sit non-numerus. Quid enim aliud est numerare, quam singulas unitates percurrere, & à paucioribus ad multiplicatiores gradatim ascendere? Quis numerus, qui non decades, centurias, chiliades, &c. complectatur; quique adeò non constet partibus finitis? ex quibus Infinitum totum resultare non posse, planum modò fecimus abundè. Quis numerus, qui non subductâ unitate fiat minor; additâ unitate, major? Quumque Infinitum, qua tale, suâ naturâ se majus non admittat, neque etiam minus, non tantum ea admittet infinitus numerus, sed & absolutam suam infinitatem unitati debebit; adeò ut unius unitatis adjectione vel detractione, infinitus numerus finito succedat immediatè, & finitus infinito. Ità insanire fas est eos, qui in extensione Infinita infinitas numero partes admittunt. Sed & aliud hìc occurrit planè insolubile. Pone, si lubet, partes illas numero infinitas, ex quibus hoc universum Infinitum conflari contendis, pone, inquam, eas palmaris magnitudinis, vel etiam majores, minoresve, pro arbitrio; eodem enim vis demonstrationis redibit: tantùm si divisibiles posueris; de quo nulla nobis contentio. Singulis palmis quaterni continentur digiti; totidemque grana singulos iterum componunt digitos; atque ità porrò quævis pars major plures minores in se complectitur in infinitum. Continebunt ergò semel infiniti palmi quater infinitos digitos; & decies sexies infinita grana; sicque in infinitum; quoniam hìc in corpore progressus à partibus majoribus ad minores continuari potest sine fine. Elige nunc, obsecro! nùm in Infinito corpore palmorum numerum numero digitorum, granorum, &c. statuere velis æqualem, an mino-

minorem. Æqualem si ponas (uti exigit natura Infiniti; quod, cum sit quid maximum atque absolutissimum in suo genere, inæqualitatem omnem respuit) tot unitates admittes in corpore, quot quaterniones, &c. utque uno verbo absolvam, directè incurres in 9. *Axiom.* 1. *Eucl.* statuendo, *partem toti æqualem.* Fac ergò palmorum numerum eo qui est digitorum minorem; (quod natura partium exigit) sed dic simul, unum numerum Infinitum altero numero Infinito infinities esse minorem. Quasi quod Infinito minus est, possit nihilominus verè esse Infinitum! Quasi de ulla re creata dici debeat, quod de sola Divinarum perfectionum plenitudine cogitare fas est, eam esse infinities infinitam in infinitum, & ab infinitis sine fine participabilem. Hisce omnibus cum exitus dari queat planè nullus, constat certo certius, Infinitam quantitatem ex partibus numero infinitis nullâ ratione componi posse. Quod demonstrandum erat.

XXXIII. *Neque ex partibus extensione infinitis infinitam extensionem componi, evincitur.*

Superest, ut tandem cogitetur, quod unum restat, an non partes mundi Infiniti integrantes esse queant magnitudinis infinitæ. Verùm nec hoc monstrum absque multiplici contradictione sibi quis imaginatus fuerit. Etenim partem aliquam talem mundi Infinitam statuesne toti mundo æqualem, nec ne? Inæqualem non dixeris, nisi pariter unius Infiniti præ altero Infinito admiseris excessum, ob quem alterum alteri inæquale dicatur. At Infinitum quodvis nullum excessum ultra se admittit, quoniam de natura Infiniti qua talis est, ut contineat totam plenitudinem prædicati, cujus ratione Infinitum dicitur: adeò ut extensio Infinita tanta sit, quanta absolutè dari potest; consequenter ea, quâ major cogitari nequit. Quin, ne quidem excessum unius Infiniti ultra aliud Infinitum cogitaveris absque evidenti repugnantia. Quis enim excessum concipiat, nisi limites supponantur in re, quæ ab altera se majore exceditur; limites, inquam, ultra quos excedens excessum excedat? Infinitum itaquè si excedi ab alio cogites, terminatum id concipis istic, ubi excessum patitur. Quæ autem contradictio sit, nisi hæc sit? nescio. Id ergò solum reliquum est, ut partem Infiniti mundi Infinitam toti mundo Infinito æqualem statuas: quod rursùs è diametro adversatur, & 9. *Axiom.* 1. *Eucl.* *Totum parte majus est*; & 1. *Def.* v. *Pars est magnitudo magnitudinis, minor majoris, cum metitur majo-*

rem. Quid? quod ex partibus infinitùm extensis (sint, v. c. A. & B.) propter ipsam earundem infinitatem, ne quidem totum componi possit. Vel enim pars altera A alterius B extensionem in se continebit; vel non. Si A in se contineat extensionem B, utique frustrà ad totius complementum parti A addetur pars B; quoniam pars B comparti A nihil adjungere poterit, quod non pars A jam antè in se continuit. Non ergò hoc casu B concurret cum A ad constituendum totum; adeòque ne quidem B pars erit; quod manifestè est contra hypothesin. Dic itaquè (quod superest) partem A infinitam in se non continere extensionem suæ compartis B. Verùm hac ratione pars A Infinita reverâ non erit; quoniam (ut res ipsa monstrat) de natura Infiniti est tantum esse quantum esse potest. Quapropter si parti A addi possit extensio partis B, prioris partis extensio tanta non fuit, quanta esse potuit; consequenter neque Infinita. Deniquè, ipsa totius integralis notio partium componentium Infinitatem penitus excludit. Totum nullum continuum datur aut dari potest, sine partium extensarum unione; nullum contiguum, sine mutuo earundem contactu. At quæ partium extensarum unio, quis contactus, conceptibilis est, qui non supponat partium unitarum in puncto unionis, vel contactûs, terminationem? Undè & recepta est continui definitio, tanquam Magnitudinis cujus partes communi termino copulantur. Quoniam ergò possibilis non est partium infinitarum in unum continuum unio, vel etiam in contiguo contactus, etiam possibilis non erit quantitas continua, vel contigua, ex partibus in infinitum extensis conflata.

XXXIV. *Imò ne alterâ quidem parte infinitas partes extensionem totam Infinitam conficere posse, demonstratur.*

Nec quicquam quod hisce opponi possit video, nisi fortè hoc unum, nostrâ demonstratione tantùm confici, partes, quæ ad totum Infinitum constituendum concurrunt, debere quidem finitas agnosci eâ parte quâ inter se uniuntur, sed nihilominus versus alteras partes, quibus ab invicem recedunt, posse esse fine fine extensas; ut scil. partium altera sit infinita hinc, altera indè, totum verò ex iis conflatum Infinitum existat undecunquè. Quasi nempe linea B C

B D A E C

composita cogitetur ex duabus lineis A B, & A C, finitis quidem

dem à parte A, quâ inter sese uniuntur, sed ab altera parte utrimque, & versus B, & versus C, protensis in infinitum: sic ut ex duabus A B, A C, infinitis alterâ parte, una fiat tota linea B C, Infinita utrinque. Verùm ista altius introspecta nequicquam hìc auferunt difficultatis. Ut mittam alia, tantum cogitemus, lineas A B & A C, infinitùm, uti vis, extensas versus B & C, partes sui agnoscere, & tanquam tales includere, lineas A D, & A E. Hæ cum undiquaquè existant finitæ, utique tota linea infinita B C, ex hac sententia, componetur ex partibus quibusdam finitis, puta A D, A E; & aliis quibusdam infinitis, scil. D B, E C. At verò, quod antè demonstravi, finiti ad infinitum nulla proportio est; qualis semper esse debet inter partes & totum: quapropter lineæ finitæ A D, A E, ne quidem considerari possunt tanquam partes totius lineæ infinitæ B C; nedum ut ex infinito & finito chimærica istiusmodi & quovis monstro monstrosior fiat mixtio. Præterea, ex junctis in puncto A lineis A B, & A C, alterâ parte infinitis, ita ut tota B C utrimque existat infinita, pars quæpiam circa A auferatur, puta D E, unitis rursùm inter se punctis D & E. Quid jam? Num adhùc linea tota composita erit Infinita? At verò minor facta est per ablatam partem D E. Sic ergò iterùm statuetur Infinitum infinito parte aliquâ finitâ minus; quod jam antè ostendimus implicare. Nec evades, si dixeris, lineam B C factam esse finitam, sublatâ parte D E: est enim contra omnem rationem, ut particula finita D E, quæ nullam omninò ad Infinitum dicit proportionem, si adjecta fuerit vel abjecta, ex Infinito faciat finitum, ex finito Infinitum. Contradictionem itaquè multiplicem involvit magnitudo Infinita ex partibus infinitis quomodocunquè composita. Quod demonstrandum erat.

XXXV. *Ex quibus omnibus, extensum nullum, ob ipsam sui extensionem, Infinitum dari, aut*

Nequit igitur mundi extensio, Infinita si sit, constare ex partibus & numero & magnitudine finitis. Neque etiam ex partibus, vel numero, vel magnitudine, infinitis. Neque aliæ partes præter illas vel dantur, vel dari possunt. Interim partibus carere nequit. Restat itaquè, ut universi extensio nec sit, nec esse possit, infinita. Quod demònstrandum erat. Estque hujus nostri ratiocinii per omnes sui partes vis & efficacia tanta, ut evidentissimâ certitudine & certissimâ evidentiâ certet cum demonstratione qua-

dari posse, concluditur. vis mathematica; cujus rei judicium lubens quibuscunque, qui ad singula & omnia ejus membra sine præjudicio attendere dignati fuerint, committo. Me quod attinet, sic habeo, omnes omnium Novatorum in unum congestas claras & distinctas ideas minimè sufficere infringendo robori tam immotis rectæ rationis fundamentis inædificati argumenti. Ausim universam illorum familiam hìc obtestari per omnia quæ sacra eis sunt in Patriarchæ sui hæreditate, per ejus libros Principiorum quatuor, per Meditationes de Prima Philosophia sex, per Responsiones ejusdem Primas, Secundas, Tertias, Quartas, Sextas, Quintas & Septimas, dent exitum huic rei aliquem, si possint! Atquì quid possint isti, quod ipse non potuit Cartesius? Is, cum nihil quod hisce opponeret inveniret, quod unum supererat, necesse habuit negare, *de infinito disputandum esse*; nimirùm, ut *respondere non curaret iis, qui quærunt, an si daretur linea infinita, ejus media pars esset etiam infinita; vel, an numerus infinitus sit par, anve impar; &c. Princip.* 1. §. 26. Benè habet! Veritati sat triumphi in eo est, si adversarios ipsa suos redegerit ad terminos *non respondendi.* Nulli interim extra partes constituto satisfaciet, opinor, turpis ejuscemodi tergiversatio; quippe quæ minimè arguit animum candidum, & veritati cedere paratum, sed manifestissimum potius existit invincibilis pertinaciæ argumentum. Confer *Dissertat. hujus* §. IV.

XXXVI. *Quod idem ex rei corporeæ natura & attributis quibuslibet pluribus instantiis conficitur.*

Ità cum ostenderimus invictè, extensioni, quæ Recentioribus ipsam corporis naturam constituit, adeò adversari Infinitatem ut eam penitus evertat, non necesse erit plura congerere, quibus mundi diffusio intra terminos coërceatur. Tantùm, ne in unica ratione omne veritati præsidium esse videatur, alias nonnullas, quas ad modum prioris efficacissimè urgere facile fuerit, digito monstrabo. Nimirùm, Mundus si sit extensione Infinitus, essentiâ pariter Infinitus erit. Si enim extensio sit ipsa corporis essentia, res per sese manifesta est. Si sit, ut placet aliis, aliquis corporis modus, eodem res redit; cum essentia finita attributi nullius Infiniti sit capax. Creaturæ verò cujuscunque essentiam Infinitam quis admiserit, qui non rectam sternat ad Atheismum viam? Avertat Deus, quæ prudentiores meritissimo jure suspicari facit hæc de mundo Infinito opinio! Porrò, Si Mundus sit exten-

extensione Infinitus, omnium quoque attributorum suorum ratione infinitus erit. Extensio enim infinita, uti docui, necessariò arguit essentiam Infinitam. At quod essentiâ Infinitum est, infinitum pariter est omnibus suis prædicatis; quoniam attributa quævis conditionem sui subjecti sequuntur. Erit ergò mundus non minus Infinitus ratione durationis, & cujusvis alterius perfectionis, quam ratione extensionis. Quid ad atheisticam naturæ ἀποθεώσιν desideretur amplius? non video. Verum de hisce mox plura. Nunc & hoc notetur, Si mundus sit extensione Infinitus, omnia ei ex adverso detrahenda erunt attributa, quæ corpori sunt propria. Divisibilis non erit ejus magnitudo: neque enim in partes finitas resolvi poterit, neque infinitas; utì probavimus. Nec diminui ea poterit: Infinito enim nihil detrahi posse, ex antè dictis manifestum est. Neque ullâ sui parte augeri poterit: quia non minus incrementum respuit Infinitudo, quam decrementum. Nec figurâ aliquâ præditus erit: magnitudinis enim terminationem Infinito tribuere mera contradictio est. Nec mobilis erit: nam nullum Infinito relinquitur spatium quo feratur. Nec mensurabilis erit: non enim ei applicari poterit mensura finita, quippe quæ Infinitum nunquam exæquare potest; neque Infinita, cum ipsa infinitas mensuram destruat. Nec situm partium habebit: nullus namque is dari potest sine ordine, quem omnem Infinitas excludit? Nec distantia quibusvis ejus partibus in ordine ad alias conveniet: nisi alicubi Infinita; quæ re verâ nulla est. Verbo uno ut absolvam, neque, quo me ducit argumenti fertilitas, excurram in infinitum, extensionis Infinitas corpus omnibus exuit suis proprietatibus: adeò ut, mundum corpus non esse, si Infinius sit; aut Infinitum non esse, si corpus sit, existat absolutè necessarium.

Nec tantùm ipsam corporis naturam prorsùs evertit, omnesque ejus proprietates planè tollit Infinita hujus Universi extensio, sed & in plurimas Dei Creatoris perfectiones eadem existit injuria haud leviter, neque uno modo. Certè, solius supremi Numinis prærogativam esse essentiæ Infinitatem, unanimi consensu tradiderunt hactenùs Doctores Christiani, ipsique inter Gentes sapientiores. Et meritò. Nam eam cum Independentia, quæ omnium Divinarum perfectionum fons est & origo, nexum habere essentialem & insolubilem, facile est demonstratu: quemadmodum & ex hac In-

XXXVII. *Essentia solius Dei Infinita extensionis cujusvis Infinitatem evertit.*

In-

Infinitate Dei deducitur firmissimâ sequelâ, ejusdem Æternitas, Immensitas, Immutabilitas, Primitas, Unitas, aliaque ejus generis attributa, Incommunicabilia vulgò dicta. Hinc omnium voce celebratus semper Deus, tanquam qui unus existit, uti Optimus, ità Maximus. At non jam solius excellentissimæ Majestatis hæc erit eminentia, sed in societatem admmittetur Mundus, extensione suâ eodem gaudens cum suo Opifice privilegio. Impia profectò, nec sine sacrilegio profana, cogitatio! quam magno mercentur Athei, qui naturam θεοποιοῦσι. Non nescio, quis absurditati obducatur color. Aliam planè esse, ajunt, atque alterius ordinis Infinitatem, quæ mundo competat, quam quæ Deo. Hanc dicere Infinitatem omnibus numeris absolutam, cùm ratione ipsius essentiæ, tùm ratione omnium omninò, quæ dari aut cogitari queunt, perfectionum: illam verò, quæ mundo conveniat, Infinitatem ad solam restringi extensionem; quam in ente perfectissimo locum habere non posse, certò intelligimus. Speciosè, fateor, hæc dicuntur, at minus verè; neque ea altiùs introspecta quicquam hìc tollunt absurditatis. Quamvis enim differitatem agnoscant hi auctores inter essentiam Dei & Mundi, quod illa, ut ipsi loquuntur, sit cogitatio, hæc extensio; manet nihilominus firmissimum, admissâ magnitudine hujus Universi infinitâ, extensioni creatæ non minus, quam cogitationi increatæ, essentialem Infinitatem esse tribuendam. Contendunt enim hi auctores (quod & antè observavimus) ipsam corporis essentiam in extensione consistere: quapropter, cum mundus sit in genere rerum corporearum, imò verò corporum omnium compages, nequit ejus essentiæ negari, quæ ejusdem extensioni tribuitur, Infinitas. Ex quibus clarissimè conficitur, admisâ infinitâ mundi extensione, Infinitatem essentiæ tale prædicatum esse, quod secundum se, non tantùm Deo proprium non est, verum quod cadat etiam in rem longè imperfectissimam, quale est corpus, sive extensio. Quæ quidem evidentia adeò sunt, ut vel manibus sese offerant palpanda. Neque tandèm dici poterit, non saltem omnimodam ratione cujusvis perfectionis Infinitatem, uti Deo, ità mundo infinitè extenso, tribui. Dato enim, quod jam evicimus, mundum, si sit extensione infinitus, ipsâ essentiâ infinitum esse, non potest non Infinitus pariter hic agnosci ratione cu-

jusvis

jusvis attributi; quùm, ut jam *artic. prox.* docui, proprietates subjecti sui conditionem necessariò sequantur. Undè & ex essentiæ Divinæ Infinitate quarumvis in ipso perfectionum Infinitatem rectè adstruunt Theologi ac Philosophi. Manet itaquè, aut solum Deum essentiâ Infinitum non esse, quod à blasphemia non multùm distat; aut Mundum nostrum extensione esse finitum: quod demonstrandum erat.

In Immensitatem Divinam non minus incurrit crudum dogma. Ejus nomine hactenùs intellexêre Philosophi & Theologi, illam primi entis supereminentem perfectionem, quâ ipsum existit suâ essentiâ, non tantùm ubì corpus est, verùm etiam ubicunquè id esse potest. Sed neque hac parte mundus, si sit extensione Infinitus, quicquam Deo cedit; quippe qui, non minus quam Ille, existit suâ essentiâ ubicunquè corpus dari potest. Facilis admitto, in hac mundi Immensitate diffusionem partium involvi, quæ eadem ab Immensitate simplicissimi Dei planè est removenda; ut in aliquo quidem rei modo videam discrimen: attamen in re ipsa nullum id mihi hîc esse videtur, dum nuspiam in infinitum admittitur Deus non-extensus, ubi pariter non sit mundus extensus. Non profectò talis fuit idea, quam de Divina Immensitate habuit, à Deo ipso edoctus optimè, sapiens non minus per omnia Philosophus, quam Regius Propheta Salomon, quandò Deum Immensum cogitans, negavit Ipsum *capi cælo, imo vel cælo cælorum.* Quem eundem in sensum scitè alibi Dionysius Deum celebrat *ἐγκόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, ὑπερουράνιον*; quasi dicas, *Immundanum, Circummundanum, Supermundanum, Supercælestem.* Scio, non admitti hos conceptus Novellis Doctoribus, qui, cum clarè videant per mundum suum Infinitum & Immensum nullum relinqui locum Immensitati illi divinæ, quam hactenùs credidit orbis Christianus, hanc totam, quasi aliquid sapiat corporeum, expungere reipsa malunt, eique substituere creationis & providentiæ ideas; quasi videlicet Immensitas Dei nihil sit aliud quam efficacissima Dei voluntas, quâ omnia producit, sustentat ac regit. Verùm uti ante nostra tempora inter Orthodoxos inauditum fuit hoc dogma, ità etiam id longè esse absurdissimum ac periculosissimum, ostendimus alibì; nominatim in *Dissertat. de Nullibitate Spirituum.* Sufficit in præsens monstrasse, aut

XXXVIII Immensitas Divina extensionem mundi Infinitam non patitur.

mun-

mundum, si sit extensione Infinitus, non minus Immensum esse, quam ipsum Deum; aut, si solus Deus existat Immensus, mundum non esse ubicunquè corpus esse potest, atque ideò nequè extensione Infinitum. Quod demonstrandum erat.

XXXIX. *Divinæ Potentiæ infinitas, & liberrimum in rem creatam dominium, cum Infinita hujus extensione non consistit.*

Non etiam cum interminabili Potentiæ Divinæ amplitudine, liberrimaque, quam habet summum Numen in opera creationis & providentiæ, potestate, consistere potest Infinita Universi quantitas. Theologorum & Philosophorum axioma est receptissimum, Opera Dei ad extra esse indifferenter libera. Verùm per hanc sententiam id stare nequit; dum quæ adferunt argumenta inferunt, non tantùm mundum actu esse in infinitum extensum, verùm etiam alium quam Infinitum esse non posse. Ex quo sequitur, Deum ex necessitate quâdam mundum produxisse tantum, quantus existit, neque ex indifferenti voluntatis placito minorem producere potuisse. Sed de hisce infrà latius. Nunc observari velim, infinitam liberrimi Creatoris vim creaturæ cujusvis perfectiones longissimè semper & in immensum excedere; quandoquidem res adeò dispares nullam ad se mutuo dicere posse proportionem, luce meridianâ existit clarius. Ex quo concluditur firmissimè, eam esse creatæ cujusvis naturæ essentiam, ut nunquam sit, aut quoquè esse possit, in extrema, uti loquuntur, actualitate, id est, in perfectionis gradu ac complemento absolutè ultimo: quod vulgò ajunt, creaturam perfectissimam non posse dari. Quamobrem nequè ullum rei creatæ prædicatum unquam esse potest tantum, ut non amplius subsit activæ Creatoris potentiæ; utque adeò non existat in potentia passiva ad recipiendos plures perfectionis gradus, quos necdum habet, liberrimo tamen Omnisufficientis Dei nutu & arbitrio habere potest. Jam verò corpus Infinitum ad ampliorem sui diffusionem potentiam nullam passivam admittere, liquet, quòd antè demonstraverimus, Infinito majus nihil dari posse, neque id vel tantilli incrementi, per ipsam naturam Infinitatis, existere capax. Undè sequitur, admisso mundo Infinito, immensam omnipotentis Dei vim de novo in hoc universo ne muscam quidem aut pulicem ex nihilo creare posse. Quemadmodum & ex adverso ex eadem fluit hypothesi, per absolutam Dei potentiam, ne pulvisculum quidem, aut quamcunque vel minimam hujus universi particulam, annihilari posse; quoniam implicat.

per

per antè demonstrata, Infinitum finitâ sui parte posse diminui. Vel itaquè (ut sileam quæ istius generis plura hùc adducere possem) si mundi extensio finibus caret, ad extremum deducta fuerit Dei potentia, ejusdemque sublatum indifferens & liberrimum in suam creaturam dominium; vel, si hæc cogitare nefas sit ac summo Numine indignum, mundus extensione Infinitus nequaquam esse potest: quod demonstrandum erat.

XL. *Deniquè, extensionis Infinitas inimica existit Divinæ Sapientiæ, Unitati, Incomprehensibilitati, atque Æternitati.*

Et quid de Divina Sapientia dicemus? Ea quo modo salvari queat in productione hujus Universi, si extensionem ejus nullos limites habere statuamus, non video. Certè, extensum aliquod sine partibus concipere, pura puta contradictio est. At partes (sive finitas eas volueris, sive infinitas) in Infinito citra repugnantiam cogitari absolutè non posse, fusè jam demonstravimus rationibus firmissimis atque omni exceptione majoribus. Quid ergò? An extensionis Infinitæ à se producendæ ideam habuisse Creatorem, credendum erit? At illa sui eversiva est; nedum ut cadat in mentem perfectissimam. An verò sic habebimus, Artificem summum ad instar causæ brutæ, absque prævio tanti operis in suo intellectu exemplari, id produxisse, cujus conceptum ne quidem habere per ipsam rei naturam quiverit? Absit! Quin potius concludo, talem hujus Universi materiam creasse Deum, qualis sine contradictione concipi potest, id est, necessariò finitam. Addi hisce possent & alia, quibus ostendatur, admissâ mundi Infinitate, communicanda esse eidem absolutam Unitatem, Incomprehensibilitatem, similiaque Deo propria prædicata: quò ut deveniat, non facilè à se impetrabit devotus Deo animus. Etiam minimâ operâ demonstrari posset, Æternitatem hujus Universi cum ejusdem extensione infinita pari passu ambulare; ut illam negare nequeat, quicunque hanc tuetur: per quæ nec solus Deus æternus erit. Verùm per singula hæc non jam me diffundam, qui finire laboro hunc de Infinito laborem, ne & ipse excurrat in infinitum. Autumo, quæ hactenùs adversus hunc nullos extensionis fines habentem mundum adduximus, tùm ex natura ipsius creatæ materiæ, tùm ex perfectionibus Dei Creatoris, esse omninò talia, in quibus non possit non acquiescere, quicunque adfert animum veritatis studiosiorem, quam vorticosis Cartesii ideis ex præjudicio addictiorem. Me quod attinet, sic

habeo, ipso sole meridiano clarius ex demonstratis intelligi, vix ullam in universa Philosophia opinionem è diametro magis rectæ rationis lumini adversari, vix ullam includere sequelas tot portentosas & tam in Deum Creatorem atrociter injurias, quam quæ sententia creaturæ corporeæ vel umbram tribuit Infinitatis cujuscunque.

XLI. *Difficultas de spatiis imaginariis, quæ veram in suo conceptu involvant extensionem, aufertur:*

Solvendæ supersunt difficultates, quæ contra Finitam mundi extensionem objiciuntur. Earum summa præcipuè redit ad duo capita quæ apud Cartesium occurrunt, locis ex Libris Principiorum jam suprà allegatis. Priori sic infert: *Cognoscimus hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ fines habere. Ubicunque enim fines illos esse fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinite extensa, non modo imaginamur, sed etiam vere imaginabilia, hoc est, realia, esse percipimus; ac proinde etiam substantiam corpoream indefinitè extensam in iis contineri.* At ego falsissimum esse dico, ex vero ultra quoscunque mundi fines *spatia extensa &* VERE REALIA ESSE, *percipi.* Etenim quoties intellectus noster ultra fines, quibus mundum alicubi saltem terminari certò certius novit, suas diffundit cogitationes, tantùm abest, ut ibì esse veram extensionem percipiat, ut ex adverso nihil prorsùs istic esse percipiat, præter puram omnis omninò veri corporis atque extensionis carentiam. Fateor, quandò animum simul subit de Divina tum Immensitate tum Omnipotentia cogitatio, occurrit menti nostræ fundamentum concipiendi extra suppositos quoscunque mundi fines corpora: atquì non, quæ verè existant ac realia sint; sed planè contrà, quæ, cum non sint, per inexhaustam Dei vim, si sic visum fuerit, poni possunt ubì reapse nunc est nihil, ac mera duntaxat possibilis corporis negatio. Et hæc sunt illa tam nullo suo merito miserrimum in modum vexata hodiè spatia imaginaria: quorum sensus unicè est, extra nostrum hunc mundum de facto existere planè nihil, produci tamen extra eundem posse corpora; quæ, si quandò producantur, realia erunt; nunc in sola nostra imaginatione, non tanquam realia, sed tanquam pure possibilia, subsistunt. Neque alicujus momenti existit, quod de extensione vera, adeoque reali corpore, in his spatiis contento, ingeminat centies ad ravim usque Cartesius. Non enim hìc occurrit conceptus extensionis verè

exi-

existentis, sed, ut dixi, tantum merè possibilis. Quæ verò scimus merè possibilia esse, quæque nos non nisi tanquam talia cogitare probè novimus, ea cum veris ac realibus corporibus confundere, tam est ineptum & ridiculum, ac si dicam, quandò concipio, Principiorum Cartesii Libris Quatuor addi potuisse de viventibus Quintum, de homine Sextum, hoc ipso duos hosce libros me non modo mihi imaginari, sed & verè imaginabiles, hoc est, reales esse, percipere. Non invenio, quibus mentem clarius exprimam in hoc negotio, quam quibus suam, *Lib.* I. *Epist.* XXXVI. de indefinita mundi duratione effert ipse Cartesius. Sic ille: Quod objicitur de indefinita mundi duratione, *mihi videtur tantum occasionem præbere putandi, nullum posse ante mundi creationem concipi tempus, quo Deus, si voluisset, non potuisset illum creare. Neque est cur exindè quispiam concludat, fuisse re vera mundum ante tempus indefinitum creatum; quia existentia mundi actualis, sive vera, quam retro abhinc quinque aut sex millibus annorum habuit, cum ejus existentia possibili, sive imaginaria, quam antea habere potuit, necessariam connexionem non habet.* Dicam ego, mutatis tantum mutandis: Quæcunque de spatiis imaginariis objiciuntur, mihi videntur tantum occasionem præbere putandi, nullum posse extra mundi fines concipi corpus, sive spatium, si mavis, quod Deus, si voluisset non potuisset extra illos creare. Neque est cur exindè quispiam concludat, fuisse re vera corpus tale, sive spatium, creatum extra fines mundi; quia existentia corporis, seu spatii actualis, sive vera, quam abhinc usque ad sui terminos mundus habet, cum spatio seu corpore possibili, sive imaginario, quod extra fines suos sibi adjiciendum habere potest, necessariam connexionem non habet. Scio, postremam periodum negare hoc ipso loco Cartesium: verùm si demonstrationem exigas, redibit vetus de extensione actuali in omni spatio conceptibili cantilena; quæ eadem facilè illi occinitur de duratione mundi, quæ potuerit antevertere id quo nunc cœpit durare principium, nec ipsa absque actuali mundi existentia concipienda.

XLII. *Quamque ea sit inefficax ad impugnandam*

Ut verò neminem lateat, quanta sit Cartesiani ratiocinii absurditas, addam duo, quibus ut clarè & distinctè satisfaciant ejus patroni, cupio. Primum suppeditat ipsa Epistola citata, eoquè se frustrà istic expedire laborat. Nimirùm, eadem sequelâ, quâ

 hic

finitam mundi extensionem, duplici instantiâ ostenditur.

hìc impugnatur finis extensionis hujus Universi, impugnari quoque potest initium durationis. Quidnì enim inferre liceat eodem argumentandi modo, iisdem penè verbis: *Cognoscimus hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem, nullum durationis suæ initium habere. Quandocunquè enim initium illud esse fingamus, semper ultra ipsum aliqua spatia temporalia indefinitè extensa, non modo imaginamur, sed etiam vere imaginabilia, hoc est, realia, esse percipimus: ac proinde etiam substantiam corpoream indefinite durantem in iis contineri.* Respondeatur solidè ad hanc nostram illationem, atque erit quo ipso satisfiat argumentationi Cartesianæ. Alterum quod hoc loco notari cupiebam est, hac ratiocinatione Cartesii, si sit vera, confici necessariò, non tantum hunc mundum posse esse Infinitum, sed & Deum alium quam Infinitum producere nequivisse. Quin sequitur, ne quidem ullum finitum corpus à Deo creari posse. Si enim possit, produxerit ergò Deus hoc solum, in quo ista scribo, musæum. Atquì de hoc ipso eâdem viâ concludere dabitur, nullos id quoque extensionis fines habere. *Ubicunque enim*, dicam, *fines illius esse video, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinite extensa, non modo imaginor, sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia, esse percipio; ac proinde etiam substantiam ejus esse indefinitè extensam.* Ex quibus instantiis, ad oculum patet, vel nullam omninò esse, quam tanti faciunt & invictam arbitrantur Recentiores, argumentationem hanc Cartesii; vel, si quid valeat, eâ evinci re verâ, quodlibet corpus non posse non infinitum esse simul & æternum. A quo quicunque non abhorret, viderit is, ne hac ratione rectam struat ad Atheismum viam.

XLIII. *Non qui mundi extensionem finitam cogitat, quicquam sentit de se superbum, de Deo minus magnificum*

Altera, quam tollendis Mundi limitibus Cartesius admovet, machina hæc est. *Attendentes*, ait, *ad infinitam Dei potentiam & bonitatem, ne vereamur nimis ampla, & pulchra, & absoluta ejus opera imaginari: sed è contrario caveamus, ne, si quos forte limites, nobis non certo cognitos, in ipsis supponamus, non satis magnifice de Creatoris potentiâ sentire videamur. Etiam caveamus, ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus. Quod fieret, si quos limites, nobis nulla cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam si vis cogitationis ultra id quod à Deo revera factum est ferri possit.* Ità scilicet Viri modestiam simulant, cujus velo absurdam de Infinito mundo ideam pallient, qui ipsi in enarrandis Universi

versi hujus orginibus ex materia & motu ad stuporem usque existunt temerarii & audaces, tantâque de omnium ac singularum in eo partium fabrica & structura definiunt confidentiâ, ut majori non possint, si vel Deo à consiliis fuissent. Rem quod attinet, magna procul dubio temeritas est quorundam Mathematicorum, isto supercilio præcisam mundi magnitudinem definientium, ac si spithama vastissima ejus spatia fuissent dimensi; de quibus rectè Plinius, *Lib.* 11. *Cap.* 1. *Furor est, mensuram ejus animo quosdam agitasse, atque prodere ausos.* Verùm cum istiusmodi deliriis nihil habet commune nostra assertio, ad nullam determinatam quantitatem descendens, subsistensquè duntaxat in generali thesi, de agnoscendis saltem aliquibus in hoc Universo limitibus, ubicunque demùm isti fuerint, & quantumcunquè ab invicem distent. Quam veritatem, juxta rectæ rationis non uno modo firmissimè eam persuadentis dictamen, agnoscere non velle, metu nescio cujus superbiæ, aut defectûs erga magnificentiam Divinam reverentiæ, præposteræ est modestiæ. An verò etiam de se superbè, de Creatoris potentia non satis magnificè, sentit, qui negat muscam esse concipiendam ad instar elephantis? Profectò conceptus rebus ipsis conformes formare, atque opera Dei concipere qualia se produxisse ipse Creator lumine rationis manifestum facit, ea demùm vera sapientia est. Quumque operum divinorum norma & mensura sit, non absoluta Dei potentia, verùm liberrima ejusdem voluntas, possumus utiquè, si eis plus tribuamus perfectionis, quam largiri illis voluit Creator, possumus, inquam, etiam hac parte à vero aberrare, illa nobis imaginando ampla nimis, & pulchra, & absoluta: quique hîc cogitationum suarum excessum ad id quod rei naturæ congruum est restringit, nullâ parte injurius existit in Deum, quippe qui non ideò desinit Illum habere Optimum atque Maximum. Quid? Quod ipsi non sentiant sat magnificè de Creatoris potentia & bonitate, qui eam creaturæ productione exhaustam esse fateri coguntur: utì coguntur, qui mundi extensionem finitam negant; quemadmodum ostendimus. Adde, de Opificis bonitate & potentia, nec non de operis ipsius amplitudine, pulchritudine & perfectione, nec potissimùm, nec semper, judicandum esse ex magnitudine molis. In minimo non rarò ars maxima: magisque relucent sapientiæ, potentiæ & bonitatis Divinæ

radii (si nobis homuncionibus fas sit tantarum rerum instituere comparationes) in unius hominis ad imaginem Dei conditi minuta machina, quam in totius macrocosmi amplissima structura. Deniquè, constat sua Deo bonitas infinita & potentia, sua huic Universo amplitudo, pulchritudo, & perfectio, etsi id ab æterno extitisse non concipiamus; cur minus, si extensione infinitum negemus? An verò neque hic sat magnificè cogitabimus de Creatoris potentia & bonitate, nisi, ut extensionis, ita quoque durationis principium omne Universo detrahamus? An quoque hic de nobis ipsis sentiemus superbè, tanquam si vis nostræ cogitationis, ultra id quod à Deo re verâ factum est, ferri possit? Mirum, nisi probent hi modestiæ patroni, & tam sollicitæ de Creatoris magnificentia animæ, quæ de hoc Universo Plinius, *Loc. cit. Mundum numen esse credi par est, æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam. Hujus extera indagare, nec interest hominum, nec capit humana conjectura mentis. Sacer est, æternus, immensus, totus in toto, imo vero ipse totum, &c.* Quæ quò tendant, nemo ignorat, qui Atheismum Plinii non ignorat.

XLIV. *Non ad extensionem quamlibet finiendam aliud corpus ambiens cum Epicuro admittere necessum est:*

Aliæ quædam solvendæ supersunt argutiæ, quæ quandoquè pro Infinita hujus Universi mole à quibusdam adferuntur. Ajunt: Quicquid finitum est, ab aliquo ambiente finitur & terminatur. Itaquè, si sit finitus mundus, ultra ejus extremitates corpus aliquod, cujus complexu & circuitu terminetur, admittere erit necesse. Id verò contradictorium est. Quandoquidem enim omne corpus est pars Universi, nunquam cogitari potest corpus finiens mundum, quin hoc ipso cogitetur mundus longius adhûc extensus, id est, re verâ nondum finitus. Ex quibus concludunt, sine repugnantia mundum finitum concipi non posse. Si quid autem video, eadem hæc prorsùs ratio est cum ea, quâ jam olim Epicurus probare nitebatur, Universum hoc esse Infinitum. Ciceronem audiamus, *Lib. II. de Divinat. Videsne Epicurum, quem hebetem & rudem dicere solent Stoici, quemadmodum, quod in natura rerum Omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? Quod finitum est, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. Ne hoc quidem negari potest. Omne igitur, cum nihil habeat extremum, infinitum*

nitum sit necesse est. Videsne, ut ad rem dubiam concessis rebus perveneris? Accinit vates Epicureus; cujus quædam hìc referam; ut intelligat unusquisque, quibuscum antiquatis, atque orbi erudito explosis dudùm, à Novatoribus nuper instauratis, conceptibus, pugnandum hodiè sit. Sic ille, *Lib. 1. de Rer. Nat.*

Omne quod est igitur, nulla regione viarum
Finitu'st: namque extremum debebat habere.
Extremum porrò nullius posse videtur
Esse, nisi ultra sit quod finiat, ut videatur,
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra summum quoniam nil esse fatendum est,
Non habet extremum: caret ergo fine modoque.
Nec refert quibus adsistas regionibus ejus,
Usque adeo quem quisque locum possedit, in omneis
Tantundem partes infinitum omne relinquit.

Quo eodem pertinent, quæ post pauca sequuntur:

Postremo ante oculos rem res finire videtur:
Aër dissepit colleis, atque aëra montes,
Terra marè, & contrà mare terras terminat omneis.
Omne quidem verò nihil est quod finiat extra.
Usque adeo passim patet ingens copia rebus
Finibus exemtis in cunctas undique parteis.

Facilis autem est universæ difficultatis solutio attendenti, falsissimum esse, quod ceu fundamentum huic ratiocinio substernitur, videlicet, id postulare rei finitæ finitudinem ut extrinseco quo ambiente terminetur. Equidem, in conceptu finitatis, qua tali, includitur nihil, quam rem non extendi quousque extendi potest. Cujus causa non est quid ambiens, sed arbitrium efficientis, rei extensionem tantam, non majorem, tribuentis. Itaquè unaquæque res suis ipsa definitur perfectionis extremitatibus, non termino ambeuntis. Quod idem in mundo obtinet; qui terminatur istìc, ubì nullum amplius corpus producere Deo Creatori placuit. Etenim pone, hanc solam terram, quanta nunc existit, creasse Deum prætereaque nihil, finita illa erit certò certius, nec tamen ambiente corpore circumscripta. Nisi quis tueri malit, corpus nullum à Deo potuisse produci, nisi simul hoc ambiens infinita extensio producta fuerit. De quo absurdo jam antè dictum.

Sed

XLV. *Cum id corpori accidat, non quâ finito simpliciter, sed quâ parti universi.* Sed aperiendus nonnihil clarius fons argumentationis, non nisi ex infantili præjudicio ortum trahentis. Nimirùm ab ineunte ætate hi observarunt, cum Lucretio, montes cingi aëre, terras mari, nullamque Universi partem nobis esse conspicuam, cujus terminatam superficiem non tangat proximè aliud corpus vicinum. Indè de extremis mundi partibus idem cogitare instituerunt. Atquì perperam; dum ipsam Finitatem ab eo quod per accidens in hoc universo eam comitatur non distinxerunt satis. Per accidens, dico: quamvis enim quodcunque ab alio ambitur finitum sit, non tamen idcircò finitum est, quia ab alio ambitur. Nam non ideò sese mutuo tangunt Universi partes, ut altera alterius diffusioni ponat limites (ad quos sufficit mera ulterioris extensionis carentia) verùm quia mediantibus causis secundis rerum naturalium operationes peragi voluit Deus. Quum enim solo motu interveniente corpus in corpus agat, nec ullus possit esse corporis moti in aliud quiescens influxus, nisi per contactum ei fuerit approximatum, planè necesse fuit, partes hujus universi contiguas esse, si, ex intentione Dei Creatoris, coöperaturæ sint omnes, tanquam causæ secundæ, in mutuum auxilium ad totius universi conservationem. Atque hæc vera causa est, cur quævis corpora in hoc universo vicinis aliis corporibus cingantur: non verò eorundem finitas, quæ, sublato etiam quovis ambiente, eadem planè manet. Sufficit enim ad corporis finitatem, ut id tantum non sit quantum esse potest. Cæterùm, an quod ei addi potuisset existat re verâ, & corpus finitum tangat, an saltem existere idque tangere possit, nihil omninò refert. Atque hoc posterius in mundo obtinet: qui quamvis à nullo corpore ambiatur, finitus nihilominus est, quia, uti suprà docuimus, magnitudini ejus potest fieri accessio, adeòque eâ tanta non est, quanta esse potest: quod unum prædicatum hîc sufficit, tanquam Finitati proprium & essentiale; quale non est ab extrinseco tangi.

XLVI. *Omnipotentia Divinæ Immensitas pro possibili extensione* Nec denique præsidium hîc est in Divina Omnipotentia juncta cum ejusdem Immensitate; undè quidam hunc in modum argumentantur. Deus, ajunt, ubicunquè existit, inibì potest operari, & corpus extra se producere: At verò ipse existit ubicunquè corpus est vel esse potest; Ergò etiam potest corpus producere, ubicunquè corpus esse potest. Quodcunque autem corpus

est

est ubicunquè corpus esse potest, id necessariò infinitum est: si enim finitum supponatur, nondum est ubicunquè corpus esse potest. Atque hoc ratiocinio arbitrantur confici corpus Infinitæ extensionis, si non detur, saltem dari posse. At, si sat diligenter totum hoc expendamus, mera est sophisticatio, orta ex conjunctione *τοῦ ubicunquè corpus esse potest*, modò cum potentia divina, modò cum producti corporis existentia. Quamvis enim rectè dicas, Deus *ubicunquè potest* creare corpus; non tamen rectè dixeris, Deus potest creare *corpus ubicunquè* existens: illud enim ex perfectione Divina fluere, facilè demonstratur; hoc verò cum corporis natura non consistere, jam antè ostendimus. Ut ista duo toto cœlo sint diversa. Itaquè potest Deus distributivè in quolibet spatio conceptibili creare corpus finitum; at non ideò collectivè in omni simul spatio conceptibili potest creare corpus Infinitum. Planè, quemadmodum Deus potuit producere mundum quandocunquè Ipse extitit ab æterno: *ab æterno* nimirùm *potuit*; sed non potuit condere *mundum ab æterno* existentem. Quapropter, uti æternus Deus ab æterno potuit condere cum quovis temporis initio mundum non-æternum; ità Immensus Deus in immensum potest condere in quolibet spatio vel ubi mundum Finitum.

Infinita nil concludit.

Instabis fortè: Potest Deus tamen creare tantum corpus quantum creare potest. Supponamus ergò, tantum creare ipso facto, quantum creare potest; illud vel finitum erit, vel infinitum. Non finitum; quia quolibet finito potest à Deo fieri majus. Ergò Infinitum. Potest itaquè Deus producere corpus infinitum. Ut verbo expediam: nego unquam ex vero dici posse, Deum tantum corpus creasse, quantum creare potest; quandoquidem id non minus perfectibilitati creaturæ quam inexhaustæ perfectioni Divinæ repugnat; de quibus suprà actum est abundè. Ut autem clarè deprehendatur, quam nihil solidi sit in hoc argumento, tantùm attendamus has illi similes illationes. Puta: Deus creare potest tantum corpus finitum, quantum potest creare. Supponamus ergò tantum creare ipso facto, quantum creare potest: illud vel finitum erit, vel infinitum. Non finitum, alias Deus non posset facere majus finito; quod absurdum. Ergò corpus illud finitum erit Infinitum. En contradictionem explicitam! Iterùm dicam: Deus potest tantum quadrangulum creare quantum potest.

XLVII. *Detegitur indè petita sophistica-tio, non unâ in hanc rem allatâ instantiâ.*

Creet ergò: illud vel finitum erit, vel infinitum. Non finitum, sic enim nondum maximum esset, cum quovis finito possit fieri majus. Ergò quadrangulum fieri poterit infinitum. Quis concedat? Rursùm arguam: Deus potest creare spiritum tam perfectum, quam creare potest. Creet ergò: ille vel finitus erit, vel infinitus. Non finitus; is enim tam perfectus non est quam esse potest. Ergò Deus creare potest spiritum infinitè perfectum; id est, alium Deum. Absurdissimè! Sufficiunt hæ instantiæ, ad demonstrandum, quam sit nullarum virium hæc argutatio, pro extensione mundi quæ saltem Infinita esse possit.

XLVIII. *Demonstrationis de extensione necessariò finita Porismata, Cartesianam Physicam subvertentia.*

Desino alia addere. Satis est, per hactenùs disputata lascivienti hujus Universi extensioni præfixos esse fines, ubicunquè locorum illi fuerint; solique Deo Optimo Maximo vindicatam stare Infinitatis gloriam. Tantùm coronidis loco recolligam quædam nostræ demonstrationis Porismata, quorum & in ipso tractatu subindè facta est mentio. Quamobrem & tribus verbis ea notasse habebo satis. Ex mundi nostri extensione finita, eâque concipiendâ tanquam tali, sequitur: I. *Rectè concipi spatia imaginaria*: i. e. extra Universi fines, ubi nunc nihil est, corpora quædam per omnipotentiam divinam produci posse. II. *Dari Posse plures mundos*: si enim aliquod corpus extra hoc universum esse queat, quid ni corporum Systema, nostro, in quo vivimus, per omnia simile; quod ipsum Mundus dicitur. III. Imò, *ex natura non constare, hunc mundum tantùm esse unum*: cum ejus unitas fluat non ex natura rei, sed ex libera Divinæ voluntatis determinatione. IV. *Mundo huic tribui posse Ubiquitatem*, non Immensitatem; quatenus hæc Infinitatem involvit, non ista. V. *Per absolutam potentiam posse dari vacuum*: cum enim extra mundum actu sit corporis carentia negativa, cur non in ipso, absolutè loquendo, esse queat absentia ejusdem privativa? VI. *Mundum mechanicum ex vorticibus compositum adversari legibus motûs*: quatenus partes extremorum vorticum, mox etiam proximorum, à centro sui motus, juxta naturæ legem, recedentes, necessariò per inane dissilirent. Quæ omnia cum sint clara & distincta, viderint quotquot Universi extensionem Infinitam admittere nolunt, num Cartesiani hìc esse possint, & amplecti Physicam, cujus, nullos agnoscere in mundi extensione fines, præcipua basis est & fundamentum.

DIS-

DISQUISITIO
DE
NULLIBITATE
SPIRITUUM.

SUMMARIUM.

I. *Nullibitatis nomen merito in hac Disquisitione usurpatum, neque sine exemplo.* II. *Nullibismi spirituum assertor primarius Cartesius :* III. *Contendens, non nisi operationum respectu spiritus dici posse Alicubi esse.* IV. *Præivit olìm hac sententiâ Cartesio Valentinus Weigelius.* V. *Opinionis Weigelianæ atque Cartesianæ consensus.* VI. *Ex operationibus spirituum in aliquo Ubi essentialis eorundem in illo præsentia infertur.* VII. *Frustrà ad actionem spiritûs transeuntem ejus Alicubi restringi.* VIII. *Iis imprimis, qui motus corporis cum actione spiritûs nihil habere per se commercii opinantur.* IX. *Arctissima mentis humanæ cum corpore conjunctio præsentiam spiritûs essentialem validè adstruit.* X. *Nec non mystica, quam dictat fides, duarum naturarum in eandem Christi personam unio.* XI. *Essentialem Dei Omnipræsentiam Nullibistica sententia palam evertit.* XII. *Cælumque beatorum inducit reperiendum nuspiam locorum.* XIII. *Nequaquam ex vulgi errore natum axioma, Omne quod est, Alicubi est.*

XIV. *Neque ſpirituum Ubi obſtat ſpatium, quod cum corpore ſit idem.* XV. *Quale ſit ſpirituum Alicubi, & quâ ratione nobis concipiendum?* XVI. *Spirituum Alicubi non tollit non-extenſa illorum natura.* XVII. *Forgæi in hanc rem dictum, & quædam in id obſervatiunculæ.* XVIII. *Corporis, cui ſpiritus coëxiſtit, aucta vel diminuta quantitas hujus Alicubi nil præjudicat.* XIX. *Solo ſpiritu, nullo corpore, exiſtente, etiam illi ſuum competit Ubi; & quo modo?* XX. *Actio ſpiritus tranſiens, eum hìc aut illìc eſſe non facit, ſed tantùm indicat.* XXI. *Nullibiſtis nulla de afflictis ſibi opinionibus querelarum cauſa.* XXII. *H. Mori in Nullibiſtas dicto Diſquiſitio clauditur.*

I. *Nullibitatis nomen merito in hac Diſquiſitione uſurpatum, neque ſine exemplo.*



NOmina rebus & conceptibus, quibus ſignificandis inſerviunt, convenientia eſſe oportet. Quapropter, quùm hâc Diſſertatione examinare conſtituiſſem illam quorundam aſſertionem, quâ, *Spiritus eſſe Nullibi*, contendunt, conceptui novo ſubtiliſſimo exprimendo conveniens omninò & dignus videbatur novus titulus. Neque res eſt abſque exemplo. Simili planè aliorum errori, nec minus prodigioſo, ſed abeunti prorsùs in oppoſitum, de Omnipræſentia corporis Chriſti, notum eſt deberi voces Ubiquitatis, Ubiquitiſmi, ac Ubiquitiſtarum, in ſcholis Thelogorum tritiſſimas. Pari in caſu pari jure hìc uti quis vetet? Maximè cùm hac ipſa quoquè in re præeuntes nobis habeamus alios. Audiamus, ſi lubet, Henricum Morum, *Enchirid. Metaph. Part.* 1. *Cap.* XXVII. Is uti quoſdam Philoſophos ait Spiritûs naturam ſic deſcribere, quaſi ſit totus in toto, & totus in qualibet ſui ſpatii parte, ità aliam quoque eſſe ſententiam, atque huic è diametro oppoſitam, eorum „qui, „ tametſi Res incorporeas in rerum natura exiſtere non gravatè agnoſcunt, eas tamen in tota rerum Univerſitate *Nuſquam* eſſe, „ perquam acriter contendunt. Quæ quidem opinio, quanquam „vel

„ vel primâ fronte satis ridicula videtur, ab ejus tamen Assertori-
„ bus, non sine aliquo fastu ac supercilio, aut occulto saltem con-
„ temptu aliorum philosophorum, qui aliter sentiunt, tanquam
„ minus Intellectualium, & Imaginationi nimium quantum indul-
„ gentium, mordicus tenetur. Hi igitur, propterea quod Spi-
„ ritus *Nullibi* esse tam audacter affirmant, *Nullibistarum* titulum
„ sibi merito conciliaverunt.

II. *Nullibismi Spirituum Assertor primarius Cartesius:* Novi dogmatis Auctorem primum & fautores idem ibidem hunc in modum describere pergit: „ *Nullibistarum* quidem, ait, pri-
„ mus Author exstitisse videtur festivum illud caput *Renatus Carte-*
„ *sius*, qui, jocularibus suis Meditationibus Metaphysicis, In-
„ geniis satis sobriis alias atque acutis, sed in hac parte ob nimiam
„ Cartesii admirationem minus cautis, facultates rationales ita lu-
„ xavit ac distorsit, ut partim ementitâ ac præstigiosâ subtilitate,
„ partim authoritate decepti, ea sibi persuaserint verissima clarissi-
„ maque esse, quæ, nisi hisce præjudiciis occæcati essent, nun-
„ quam existimaturi fuissent possibilia. Itaquè tam sedulò ab ipso
„ edocti & diligenter instructi, ut à nullo, ne potentissimo qui-
„ dem & malignissimo deceptore Deo, falli possent, non satis sibi
„ caverunt, ne à mero homine, sed perfaceto quidem, quan-
„ quam astuto satis & abstruso, deciperentur illuderenturque.
„ Quemadmodum clarè patebit, postquam rationes hujus Opinio-
„ nis *Nullibistarum* ab ipsâ stirpe exquisivimus. Hoc idem præsta-
re nobis propositum est: verùm ità, ut hujus Auctoris rationes, nec non hypotheses ejusdem de Spiritu extenso, similesque, minimè adoptemus. Eas intactas suo linquimus loco ac pretio: contenti eundem errorem confutasse argumentis magis firmis ac solidis, quam multis fortassè videbuntur illa Mori.

III. *Contendens, non nisi operationum respectu spiritus dici posse Alicubi esse.* Sed necessarium fuerit ante omnia rectè percepisse *Nullibistarum* mentem; quæ abundè & clarè innotescit ex iis, quæ occurrunt apud Claubergium, *de Cognit. Dei & nostri*, *Exercitat.* LXVI. ubi ad eam, quam sibi pertractandam istic sumit, Quæstionem, *An omne quod est, Alicubi sit; adeo ut hoc axioma à Deo & Creatura* (convenientius iis, quæ apud ipsum sequuntur, dixisset, *à Spiritu & Corpore*) sit *abstractum*? inter alia respondet, §. 2. *Subjectum de quo dicitur quod sit Alicubi, non est res intellectualis seu incorporea, sed corporea tantum, sive materialis, quæ in longum, latum &*

profundum est extensa. Et §. 16. *Res intellectuales non possunt aliter dici esse Alicubi, quam efficaciter agendo.* In eandem sententiam alii asserunt, Spiritum in se consideratum non posse dici *Hic* esse, aut *Illic*, aut *Ubiquè*; quippe qui conceptus ei non magis quadrent, quam coloris aut saporis. Atque ideò secundum verborum & conceptuum proprietatem non verè dici, ajunt, Spiritum per suam essentiam *Hic*, *Illic*, aut *Ubiquè* esse; sed tantùm per operationem, quam circa corpus exerit, acquirere denominationem, quòd *Hic* sit aut *Illic*: corpore verò non dato, non posse de eo rectè dici, quod *Hic* aut *Illic* existant. Atquè hoc ipsum est, quod rejicimus, cujusque antithesin asserimus esse verissimam: Spiritus scil. citra ullam operationem in corpore sic *Hic* aut *Illic* existere, ut *etiam ratione essentiæ* accuratè & propriè dici & concipi debeant esse *Alicubi*.

IV. *Præivit olim hac sententiâ Cartesio Valentinus Weigelius.*

Id priusquam planum facio, minimè prætereundum videtur, non ità in solidum subtilissimi hujus de *Spirituum Nullibitate* conceptûs laudem Cartesio tribuendam, ut non in ejus partem admittendi sint & alii. Famosissimum est fanatici hominis Valentini Weigelii nomen. Is, præter alia, ex Paracelsi veterumque hæreticorum lacunis potissimùm hausta deliria, etiam asserit, *Spiritus Nullibi esse.* Verùm illi hac quoque in parte, sui inter Orthodoxos antagonistæ non defuerunt. Celebris in his est Johannes Crocius, qui *Antiweigelii sui Part.* 1. *Cap.* IV. *Quæst.* 1. versatur totus in examinanda controversia, *An Angeli sint neque Hic, neque Illic?* Sed lubet ipsa Weigelii verba referre, ut à Crocio exhibentur. Ea ex Germanico in Latinum versa sic sonant: *Summus intellectus omnem crassam imperfectionem removet, ac reperit, neque Deum, neque Angelos ulla sede corporea aut quopiam externo indigere, verum eos neque Hic esse; neque Illic; sed esse in se ipsis actuosos, uti Deus est. Corpus certo in loco esse debet, sed Spiritus eget nullo loco.* Huic assertioni Weigelianæ communi Orthodoxorum nomine hanc aliam opponit Crocius Anti-Weigelianam, eamque, loco citato, variis tùm Testimoniis S. Scripturæ, tùm Rationibus naturalibus, tum Patrum Auctoritatibus confirmat. *Angelos*, inquit, *non indigere loco circumscribente, modo corporum, quæ propter quantitatem suam loco commensurantur, agnoscunt Catholici.* *An-*

Angelos non indigere aliquo πῶ, seu Ubi, in quo existant, non agnoscunt. Quin imò Angelos Hic & Illic esse affirmant; non modo corporum, sed suæ naturæ spirituali convenienter.

Parallelismum utriusque & Weigelianæ & Cartesianæ sententiæ, atque hanc in illa à Crocio Catholicorum nomine rejectam & confutatam, quis hic non videt? Quisve etiam miretur, consentire conclusiones, ubi principia amicè adeò inter sese conspirant. Expendantur quæ Crocius, *Ibid. Quæst.* 11. citat. ex Mystica Philosophia Weigelii. *Qui dicunt, Angelus in Persia non est simul in Græcia, ii saltem perpendunt, Angelum visibilem corporeum, juxta corpus assumptum, & non juxta veram substantiam Angelicam, quæ potest esse Ubique.* Quid verò Neoterici? Contendunt hi, *Angelos in duobus spatiis esse posse*; quin, ne id parùm videatur, *Mentem nostram, quamvis divina non sit, toti Universo posse esse præsentem.* Essent fortè quos impelleret tantus Virorum inter se in dogma non ubiquè obvium consensus, ad suspicandum, vitulo Weigelii arasse Cartesium. Ego verò benignius sentio, ac forte fortuna potius in eandem cum Weigelio sententiam hunc incidisse; ipsumque ideò (deficiente jam fermè familiâ Weigelianâ) lubens, cum Moro, agnosco hodiernorum nostrorum Nullibistarum caput atque principem. Operæ pretium interim erat, hanc utriusque auctoris in eodem placito notare harmoniam: ut exemplo hoc nunc obvio appareat, quam hodiè eveniat sæpè, ut illa quoque paradoxa non rarò applausum inveniant apud multos, tanquam reconditioris sapientiæ arcana, quibus assurgere deceat orbem eruditum, quæ ipsa jam olim, tanquam fanatica, & veritati atque orthodoxiæ prorsus inimica, damnarunt & confutarunt viri magni. Si menti infixum hæreret illud: *Via trita, via tuta*, non tam frequenter qui per diverticula incedunt cum erronibus inciderent in foveam eandem. Sed ad rem!

V. *Opinionis Weigelianæ atque Cartesianæ consensus.*

Pro confirmatione nostræ assertionis, assumam primum, quod ultrò largiuntur adversarii, Spiritus alicubì esse, saltem ratione operationum, quas circa corpora exercent. Possunt autem hæ spectari duobus modis, vel à parte Spiritûs operantis; vel à parte corporis actionem istam recipientis. Priori modo, si credimus Recentioribus, quibus Spiritus non existunt actuosi nisi simpliciter volendo, sunt nihil aliud quam ipsissimæ Spirituum Cogitationes.

VI. *Ex operationibus spirituum in aliquo Ubi essentialis eorundem in illo præ-*

sentia infertur. nes. Posteriori verè sunt ipsi corporis motus, illas cogitationes comitantes. Neutro sensu stare potest Nullibistica opinio. Si enim verum est illud tritum, uti est verissimum, *Agere præsupponit esse*, &c, *Modus operandi sequitur modum essendi*, utiquè certissimum est & hoc, *Hic aut Istic agere præsupponit Hic aut Istic esse*. Quod si jam operationes Spirituum, prout sese habent à parte ipsorum, nihilque aliud sunt quam meræ Cogitationes, verè sint alicubì, quis etiam essentiam Spirituum verè alicubi esse neget? Imprimis, quis id neget eorum, qui omnem rei intellectualis rationem formalem in sola Cogitatione consistere affirmant? Et profectò non video, quì, hoc sensu, cum iis, quas suprà ex Claubergio aliisque exhibuimus, assertionibus consistat hæc illius thesis, quæ occurrit §. 17. cuique planè similia alii etiam Nullibistæ subindè tradunt. *Nec proinde*, inquit, *opponenda sunt in rebus intellectualibus, quod essentiâ, virtute, actione sint præsentia; cum hæc omnia in ipsis realiter idem sint, licet ratione nostra distinguantur.* Quid enim? An non opponitur essentia Spiritûs actioni ejusdem, cùm hæc alicubì esse conceditur, illa esse negatur? Certè opponitur; nisi idem prædicatum de eodem subjecto affirmari simul & negari posse citra oppositionem, deinceps statuendum sit. Sed age! non sint hoc loco opponenda, uti contendit Claubergius, spirituum essentia eorundem actioni, verùm sint ea unum idemque. Quid indè sequitur aliud, quam invictam hanc esse & firmissimam nostram illationem: Quodcunque præsens est alicubì virtute & actione, etiam præsens est essentiâ. At Spiritus verè & propriè loquendo præsens alicubì est virtute & actione. Sequitur ergò, etiam Spiritum verè & propriè loquendo præsentem alicubì esse suâ essentiâ. Quod ipsum volebamus.

VII. *Frustrà ad actionem Spiritûs transeuntem ejus Alicubi restringi.* Sed jam præsentisco, respondendum fore à Nullibisticæ sententiæ fautoribus, nullius esse hanc nostram argumentationem, quòd Spiritus tantum sibi dicantur esse alicubi ratione actionis, non immanentis, sed transeuntis ad extra. Verùm, quicquid sit de soliditate hujus exceptionis (de qua mox) non saltem eâ se tueri potest Claubergius, quique hac in parte ejus premunt vestigia. Ex iis enim quæ ipse, loco citato, ad confirmationem suæ sententiæ adfert, evidentissimum est, ei intelligi operationes, quatenus se habent à parte Spirituum ipsorum, tanquam immanentes. Nempè,

pè, ut doceat Spiritus duntaxat per operationes alicubì esse, ad imitationem illius axiomatis Metaphysici, *Ut unumquodque est, ita & verum est*, format hoc aliud §. 15. *Ut unumquodque est, ita & Alicubì est; sive, Qualis est existentia rei, talis etiam ejus est præsentia. Ratio similis est*, inquit (sui, ut videtur, prorsùs oblitus) *quoniam* N. B. *per Entitatem suam Alicubi est, sive præsens est per suam existentiam. In eo autem*, pergit §. 16. *consistit τὸ esse rerum intellectualium, quod sint actus: existentia enim actuosa est ipsarum vita, vis, efficacia. Itaque si unumquodque uti est, sic etiam Alicubi est, res intellectuales non possunt aliter dici Alicubi esse, quam efficaciter agendo.* Clarissimum est, in toto hoc discursu sermonem esse de Spirituum actionibus immanentibus, seu ipsis cogitationibus, quatenus sunt in mente; non de iisdem quatenus sese circa corpus exerunt. Nisi dicendum sit, res spirituales amplius *actus* non esse, adeòque omni *existentiâ actuosâ, vitâ, vi & efficacia* destitui, quandò ab omni corpore separatæ existunt, nec quicquam in eo ad extra operantur. Quod minimè velint Nullibismi spiritualis patroni.

VIII. *Iis imprimis, qui motus corporis cum actione spiritûs nihil habere per se commercii, opinantur.*

Verùm neque satis convenienter suis hypothesibus ratiocinantur quoties ajunt, Spiritus alicubì esse ratione operationum, quas producunt in corporibus. Nullæ enim tales existunt quarum mentem causam agnoscant propriè dictam: statuunt enim ipsi, rem intellectualem *non esse actuosam nisi cogitando*, ità ut *in sese operetur, quicquid operatur*. Motus corporeos quod attinet, qui in nobis conspicui sunt, eos à mente tanquam à vera & reali causa pendere negant, quippe qui, mente etiam non datâ, in corpore humano, tanquam in automato, peragi nihilominus possint. Quin tantùm abest, ut mentem habeant motuum corporeorum principium, ut nullum illi in hos imperium concedant, nisi quatenus, ex sola Dei voluntate, ejus actiones volendi corporeis actionibus conjunguntur. Quod si ergò motus in corpore non sint operationum mentis effecta, sed solummodò quædam ejus concomitantia, eaque ne reciproca quidem, sed talia quæ quoque existere in corpore possint, mente non operante, quin non datâ; sequitur, ineptissimum esse asserere, Spiritus esse alicubì duntaxat ratione operationum ad extra, quas producunt in corporibus, cum ne ullas tales mentem in corpore verè producere credant ipsi & con-

tendant. Quid itaquè attinebit spiritui tribuere alicubì ratione motûs ejusmodi corporei, qui tam nullis perticis cum essentia spiritûs ejusque activitate quicquam commune habet, ut ne quidem hæc illius vera causa cogitari possit aut debeat? Verùm missa hæc facio Claubergiano discursu, quo res omnis absolvitur & conficitur plenissimè: Ut unumquodque est, ità alicubì est: At per essentiam suam, quæ illis in nuda cogitatione consistit, non per operationes extra se in corpore productas, Spiritus est: Ergò per essentiam suam, non per operationes extra se in corpore productas, Spiritus alicubì est. Quod erat demonstrandum.

IX. *Arctissima mentis humanæ cum corpore conjunctio præsentiam spiritûs essentialem validè adstruit.*

Si deinceps animo cogitemus arctissimam illam Spiritûs cum corpore in idem suppositum unionem, qualis observatur naturalis in quolibet nostrum, mystica creditur in Christo Domino, validissimum ea contra opinionem Nullibisticam suppeditat argumentum; quin efficax adeò, ut, quì ejus ictum declinare possint Novatores, non videam. Nam id quidem extra controversiam est, omnem plurium rerum inter sese conjunctionem præsentiam earundem mutuam, unioni isti convenientem, supponere. Jam verò anima rationalis humano corpori unita existit, non per assistentiam duntaxat, & ratione operationum transeuntium quas inibì exercet, sed re verâ per essentiam & personaliter. Si enim nulla sit unio inter mentem & corpus, citra influxum operationum illius in hoc, utiquè ea cessante, sublata quoque erit inter partes hominis essentiales unio personalis. Si sic; ergò moritur homo, omnisque animæ cum corpore unio tollitur, quoties in lypothymiam, syncopen, apoplexiam, similesve graviores cerebri affectiones, omne mentis imperium in corpus suspendentes incidit: contrà revivisćet, quoties, recedente paroxismo, ad se redit, mensque iterùm in corpore operari incipit, Non jam miremur amplius bis-mortuos opus est, quandò cum vel centies mortuis res nobis est quotidiè. Adeò est per novam sapientiam à morte ad vitam facilis regressus! Addere possem, ex hac sententia admittendum esse, Angelum cum corpore in quo operatur, non minus unam constituere hypostasin, quam anima nostra constituit cum corpore nostro. Sed ulteriorem hujus rei pertractationem servo peculiari Diatribæ, quâ examinare constitui Neotericorum conceptum de Unione humanæ mentis cum corpore. Nunc indicasse ista sufficit, ut appareat,

pareat, citra manifestam absurditatem negari non posse, Mentem, adeòque & Spiritum, per essentiam verè alicubi esse, etiam ubi extra sese nihil operatur.

X. *Nec non mystica, quam dictat fides, duarum naturarum in eandem Christi personam unio.*

Suppositâ porrò ex fide duarum Naturarum in Christo Mediatore unione hypostaticâ, simile incommodum sententiam Nullibisticam premit; sed tanto gravius, quanto periculosus magis hìc error est. Si enim Spiritus *non aliter* possint dici esse alicubì, quam efficaciter agendo, nec dicantur *verè secundum verborum & conceptuum proprietatem* per essentiam suam *Hic* aut *Illic* esse, sed *tantùm per denominationem* ab operationibus in corpore; (quod Nullibistas disertè asserere, audivimus) non poterit etiam *verè* ac *propriè* dici, essentiam naturæ Divinæ unitam fuisse in Christo cum natura humana, sed *tantum per denominationem* ab operationibus ad extra in corpore desumptam. Ubiergò vera Unio personalis? quam Theologus doctissimus Junius ait *propriè definiri*, quòd sit *duarum naturarum perfectissima &* SUBSTANTIALIS *in unam personam conjunctio*. Viderint itaquè Theologi, an hactenus sententia Nullibistica absolvi possit à consequentia Nestorianismi, non aliam hìc admittentis unionem personalem, quam κτ̀ παράςασιν vel ταυτοϐυλίαν, per assistentiam, vel voluntatis consensum. *Per* SOLAM *operationem*, inquit Walæus, *Divinæ Naturæ in humanam unionem hanc esse factam, Nestorianum est, & à tota Veteri Ecclesia condemnatum.* Sed nos manum de hac tabula. Sat nobis est evicisse, sive rationem attendamus, sive revelationem, ex personali spirituum cum corpore unione admitti debere, non tantùm per operationes, sed & per essentiam illos esse alicubì. Quod erat demonstrandum.

XI. *Essentialem Dei Omnipræsentiam Nullibistica sententia palàm evertit.*

Ulteriùs, Si Spiritus *non aliter* dici possint alicubi esse, *quam per denominationem* ab operationibus in corpore derivatam, *non* autem *verè & propriè* per essentiam, quid de Divina Immensitate & vera παντα χυσία dicendum erit? Eam contra Vorstium, ejusdemque asseclas, ità asseruerunt hactenus saniores Theologi & Philosophi, ut (verba sunt Walæi) *Omnes orthodoxi, Deum Ubiquè per essentiam, tam in cœlo quam in terra, præsentem esse, rectè contendant; & contrariam sententiam blasphemiæ condemnent.* Ubì interim invaluit apud quosdam opinio Nullibistica, nullis non modis orthodoxa hæc doctrina sugillata fuit passim atque luxata. Præi-

vit Cartesius ipse hunc in modum, *Epist. Part. 1. p. 205. Videris* (Moro respondet) *Infinitatem Dei in eo ponere, quod ubique existat; cui opinioni non assentior. Sed puto, Deum ratione suæ potentiæ ubique esse; Ratione autem suæ essentiæ nullam plane habere relationem ad locum.* Antesignanum suum gnaviter secuti alii, hypothesi Nullibisticæ convenienter, affirmarunt, *Omnipræsentiam Dei nihil aliud esse, quam efficacissimam ejusdem voluntatem, qua omnia extra se sustentat ac gubernat.* Quæ thesis, etsi plurimos jam dudum gravissimè offendit, ità tamen Nullibistis in deliciis est, ut post alios nuperrimè quidam eorum publicè contenderit, illam *neque pietati neque rectæ rationi adversam, sed quæstionem purè Philosophicam esse.* Utì quondam Vorstius cum Sociis, quò tutius controversiam subterfugerent, atque Orthodoxorum censuram declinarent, controversiam de essentiali Omnipræsentia Divina subtilitatem Scholasticam esse, prætenderunt, *ejusque modum nusquam in Verbo Dei esse patefactum.* Quin rideri cœpit apertè versiculus Orthodoxis hac in re explicanda tritus: *Enter, Præsenter, Deus hic & Ubique Potenter.* Nam, *qui statuunt Dei Immensitatem esse triplicem, nempe Essentiæ, Potentiæ, ac denique Præsentiæ, illi nugas agunt,* disertè Auctor *Append. Demonstr. Princip. Cartes. p. 114.* Verùm missa hæc facio, alibi quoque nobis notata pluribus.

XII. *Cœlumque beatorum inducit reperiendum nuspiam locorum.*

Aliud contra Nullibitatem Spirituum argumentum subjicerem, ostendendo, parem hìc esse rationem τῦ *Ubi* & *Quando*: ideòque cùm posterius Spiritibus, operationum non tantùm, verùm essentiæ quoque ratione tribuendum esse, non inviti largiantur Neoterici, etiam prius iisdem denegandum minimè esse. Universalem porrò eruditorum consensum adducerem, rem omnem singularem hactenus determinantium per *Hoc, Hic, Nunc*; & pro generali ac firmissimo axiomate habentium illud. *Quod Nullibi est, non est.* Verùm quæ jam in medium adduximus sufficiunt restituendo Spiritibus suum Ubi, undè nullo suo merito à Recentioribus fuerunt exturbati. Neque per hæc singula ire sinunt, præfixi brevitatis termini. Quapropter nec urgebo argumenta Scripturaria, quibus Deus asseritur *cœlorum cœlos non capi*, ubi tamen nil extra se operatur; Animæ damnatorum abiisse dicuntur in infernum, tanquam in *Locum suum*; Beatorum Spiritibus promittuntur parata

Loca

Loca in cœlis, tanquam *in Domo* patris, ubi *Mansiones* multæ; quæque ſexcenta occurrunt in Sacris hiſce ſimilia. Ad quorum vim elidendam, quæ mira Scripturarum interpretamenta, Carteſianæ Philoſophiæ radiis illuſtrata, ab iis quibus Novæ ſapientiæ lux affulſit, excogitata ſint? non eſt hìc oſtendendi locus. Novum certè, & de quo nulla unquam audiverunt tempora, à quo invaluit opinio Nullibiſtica fabricari cœpit cœlum; quod nimirùm nuſpiam re verâ detur, ſtatumque tantum ſignificet non locum, inque quod migratio mutationem ſtatûs duntaxat dicat non loci. Aberrarunt itaquè totâ viâ à vero cœlo, & nuſpiam inveniendum quæſiverunt, quotquot id hactenus quæſiverunt abſque præambula hac face Carteſiana de Nullibitate ſpirituum; ductura ſcilicet ad cœlum quod inveniri poſſit nuſquam gentium. Notus eſt graviſſimi Theologi Petri Martyris ſerius ille jocus, quo Bullingero ſe jamjam exceſſurum è vivis conſolanti dicto Pauli, de fidelium *Politia quæ ſit in cœlo*, reſpondit, *Sed non in cœlo Brentii, quod eſt nuſquam.* Ità tunc temporis Doctores Reformati; qui ignorabant cœlum quod ſit ſine loco ſtatus ſolummodò, & nil niſi quidam novus cogitandi modus, in quo pacem habitura ſit mens cum glandula pineali, cujus motibus hodiè adſiſtit mancipata. Solentur ſuas animulas ſpe cœli ejuſmodi Carteſiani, qui velint: nobis Paulinum placet, quærendum *ſupra*, *in quod* olim Dominus Jeſus *corpore* ſuo *aſcendit*, *quo* & hodiè *capitur*, *& ex quo viſibili modo rediturum* noviſſimo conſummati hujus ſeculi die exſpectamus. A qua fidei ſimplicitate quiſquis abduci ſemet ipſum patitur διὰ τῆς φιλοσοφίας, viderit is ne ſic tandem hìc aberret, ut inveniat nunquam, quod quærit nuſquam.

XIII. *Nequaquam ex vulgi errore natum axioma, Omne quod eſt Alicubi eſt.*

Sed properandum eſt ad expendendas rationes, ob quas Spiritum omnem ad Atopiam, dicam, an Utopiam, relegandum cenſent Nullibiſtæ: ut appareat, quam ἀτόπως Atopica ſententia confirmetur. *Subjectum* (inquit Claubergius, *loc. cit.* §. 2. 3.) *de quo dicitur, quod ſit* Alicubi, *non eſt res Intellectualis, ſed Corporea tantum: id quod probatur, primò ab eorum ſenſu, qui hoc Axioma* (Omne quod eſt, Alicubi eſt) *invenerunt & uſurparunt. Qui id primi introduxerunt ſunt vulgus hominum, qui nihil ſolent niſi corporeum cogitare, deque eo ſolo ſermones miſcere.* Mirum equidem argumentum! de quo undè conſtet Claubergio, neſcio.

cio. Eruditos primos controversum canonem introduxisse, eumque consequenter non corporibus tantùm, quæ sola vulgus ferè concipere solet, sed & Spiritibus applicandum esse, æquali certitudine affirmet alius. Quìn hoc hic probet ex universali regula Platonis (Viri procul dubio haud vulgaris, ac immaterialium rerum ideis contemplandis satis assueti) quam ex Parmenide ipse citat Claubergius, *Quod Nusquam est, nihil penitus est.* Verùm esto! Introduxerit vulgus! Nihilne adeò à vulgo benè dictum aut conceptum, ut quicquid id fuerit, ilicò totum sit rejiciendum, quia tale? Si hoc axioma à vulgo introductum est, etiam aliud ei simile, *Quod nunquam est, non est*, pari ratione ab eodem descendit. At hoc etiam ad Spiritus extendi debere, ipsi largiuntur dissentientes. Quæ igitur consequentia, Effatum hoc à vulgo fuit usurpatum primitùs, ergò rebus Intellectualibus applicari nequit? Et quicunque demùm fuerit, qui axioma hoc introduxit, demonstratum à nobis, non absque gravi causa Auctores gravissimos, Sacros pariter & profanos, de rebus etiam intellectualibus pronunciasse, quod fortè ex vulgo quidam, nil nisi corporeum cogitantes, rebus tantum extensis applicuerunt. Perquam jejunum est, Claubergium, ostensurum idem hìc secum sentire (de axiomate videlicet vulgi Spiritibus non applicando) eruditos, Theologos scil & Philosophos, duos §. 4. & 7. adducere textus, alterum Platonis, Augustini alterum, in quo neutro vel γρὺ quod hùc spectet, occurrit. Asserit duntaxat uterque, corpora sine Ubi esse non posse: at verbum apud eos nullum, quo Spiritus ab eo excludant; quod probandum sumserat Claubergius. Rectius allegasset illa, quæ nos ex Weigelio suprà exhibuimus, quippe quæ verbotenùs mentem Nullibisticam exprimunt.

XIV. *Neque spirituum Ubi obstat spatium quod cum corpore sit idem.* Pergit Claubergius §. 8. *Nec ratio permittit, ut latius extendatur axioma: nam causa hujusce veritatis, quod omne quod est Alicubi sive in aliquo spatio sit, alia non est, quam quod corpus omne sit extensum, & spatium etiam sit extensum: adeo ut idem re vera sit, extensum esse, & spatium esse, & in spatio esse, &c. Ad quæ autem causa axiomatis applicari nequit, ad illa nec ipsum debet applicari.* In quibus omnibus supponitur, spatium esse corpus ipsum quod in spatio est, nec quicquam inter ista duo intercedere discriminis; quod plurimi,

nec

nec sine ratione, negant: ut qui autumant, errorem hunc, spatium cum corpore locato confundentem, non aliundè ortum duxisse, quam ex infantili præjudicio, quo mens nostra jam indè à primis annis occupata esse solet, dum ab ineunte ætate observavimus, omnia spatia, nobis designabilia, corpore esse repleta. At distinctius rem cogitantes, ac omnipotentiam Divinam ritè expendentes, facilè percipere asserunt, etiam dari posse spatium sine corpore, seu distantiam inter duo corpora nullo tertio interposito, quam vacuum appellant. Et quamvis hi ex vero sic philosophari nobis videantur, hoc loco tamen de spatio corporis, nùm sit idem cum ipso, nùm quid ab eo diversum, disputare nil attinet. Nam, utrumlubet supposueris, id certum, neminem eorum, qui asserunt Spiritus esse Alicubi, eo absurditatis descendisse, ut Spiritus in spatio esse voluerit per modum corporum, quibus proprium est, per partes sui spatio suo ejusque partibus coëxistere, idque sic occupare, ut omne aliud corpus ex eodem spatio excludant. Quis enim est qui ignoret vulgarem ꝑ Alicubi distinctionem in Circumscriptivum, Definitivum & Repletivum? Et cui non audita recepta antiquitùs formula, de Spiritu, qui sit in spatio toto totus, & totus in qualibet ejus parte? Ista ꝑ Alicubi distinctio, hic coëxistentiæ modus, expugnanda fuissent, non verò de spatio corporum disserendum, cum id totum sit à re præsenti alienissimum; nisi in antecessum demonstratum fuerit, aliud Ubi, præter id quod Corporum est, admittendum non esse: quod hoc saltem Claubergiano argumento non evincitur, nisi per principii petitionem. An autem, & quæ sint causæ, ob quas hoc Axioma non corporibus duntaxat, verùm etiam Spiritibus sit applicandum, jam vidimus abundè.

XV. *Quale sit Spirituum Alicubi, & quâ ratione nobis concipiendum?*

Instabis fortè, quale ergò erit τὸ Alicubi Spirituum, si non aliquam involvit extensionem? Nihil aliud quam tale eorundem attributum, quo per essentiam suam in rerum corporearum spatiis, seu veris seu possibilibus, existunt modo indivisibili. Notatque adeò, ut verbo dicam, absque sui extensione spiritum esse, ubì corpus est, vel esse saltem potest. Ita V. C. Anima nostra in corpore humano est, tanquam in suo Ubi, quatenus essentiâ suâ corpori ejusve spatio intimè ac verè coëxistit; sed naturæ suæ spirituali convenienter, i. e. absque sui partibus. Sic quoque Deus, etiam

etiam ante mundum conditum, Alicubi fuit, quatenus ipse infinitus omnisque extensionis expers verè tunc extitit, ubi nunc mundus est, tunc esse poterat. Quæ, cum clarissima sint & distinctissima, qui non capit, eum vel indocilem esse oportet, qui hæc intelligere non possit, vel malignum, qui non velit. Quapropter neque plura addo; imprimis quandoquidem quædam adhùc infrà dicenda venient, quæ ad plenissimam horum explicationem conducent plurimùm, quæque cum eis quæ jam diximus collata, facillimam facient solutionem omnium, quæ vel eadem, vel ex istis principiis deducta, in citata sæpius Claubergii Exercitatione de Spirituum Nullibi occurrunt. Nominatim concidunt, quæ adfert §. 12. *Unde & ipsum Axiomatis nostri*, Omne quod est, Alicubi est, *prædicatum satis innotescit; nihil enim aliud significat τὸ Alicubi esse, quam in aliquo loco esse, per spatium aliquod extensum esse, &c. adeoque corporeo modo quantum esse.* Id enim quamvis daretur verum esse de Ubi corporum, nulla tamen indè, uti ostensum, ad Ubi Spirituum formari potest consequentia. Disquiri porrò posset, quì cohæreat, quod Auctor §. 1. asserit, *idem re vera esse, extensum esse, & spatium eße & in spatio esse*, cum eo quod immediatè sequitur, §. 9. *Alicubi esse solum est intelligendum de his & illis rebus particularibus, quæ portiones quædam sunt Universi; non de ipso Universo, seu toto mundo, vel corpore in genere.* Quasi totum Universum, vel corpus in genere extensum non sit! Verùm cum de Ubi corporum nunc agere non constituerim, hæc, aliaque quæ hùc spectant in Dissertatione Claubergiana plura, transeo, pergoque potius tollere alias nonnullas, quas contra Spirituum Ubi passim urgent difficultates Nullibistæ.

XVI. *Spirituum Alicubi non tollit non-extensa illorum natura.*

Trita est & ad nauseam usque plus millies reposita Novatorum contra Spirituum Alicubi objectio, desumpta ab eorundem non-extensione. Inconceptibile est, inquiunt, neque ullâ ratione fieri potest, ut res non-extensa atque indivisibilis per essentiam suam coëxistat rei extensæ & divisibili. Quapropter (pergunt) quicunque rebus Spiritualibus τὸ Alicubi tribuunt ratione essentiæ, pariter in iisdem extensionem concipere necesse habent; si non crassam, saltem subtilem. At hoc absurdissimum. Verùm universi hujus discursûs fundamentum unicum est, non posse res plures sibi mutuo coëxistere, nisi inter se ejusdem prorsùs sint na-

naturæ & conditionis: quod totum falsissimum est. Quid enim? An non æterna Dei duratio, omnis mutationis ac successionis expers, *totaque* adeò, uti loquitur Philosophus Christianus, *simul & perfecta*, coëxistit spatiis hisce nostris temporalibus, annis, horis, &c. quæ fluunt continuò & mutantur? Quis neget, nisi qui simul, vel Deum nunc durare, vel durationem ejusdem successivam non esse, neget? At quod obtinet in rerum diversissimarum *Quando*, idem in earundem *Ubi* obtinere quid nì queat? Quæque, obsecrò, ratio erit, cur, si res eadem & immutabilis coëxistere queat rebus successivis earumque mutationi, absque tamen ulla suæ durationis mutatione aut successione, cur, inquam, non pari ratione res non-extensa & indivisibilis, qualis est Spiritus, coëxistere possit rei extensæ & divisibili, puta corpori, absque extensione aut divisibilitate sui? Vidit jam olìm consequentiæ hujus vim & robur Vorstius cum Sociis: undè etiam factum, ut, postquam ridere cœperunt essentialem Dei Omnipræsentiam, ut vocabant, *Atomicam & Atopicam*, simul etiam negaverint, ejusdem Æternitatem successionis ac mutationis expertem esse. Similibus hypothesibus qui utuntur, caveant ne in consequentiam incidant eandem: & quì queant non incidere? ostendant, velim. Nos terrent vestigia. Concedo itaquè, quantum ad rem ipsam, quoties Spiritus Alicubì concipitur, concipi pariter extensionem; at non in Spiritu qui est Alicubì, sed in eo cui Spiritus coëxistere concipitur, nempè in corpore, vel, si ità vis, in spatio quod extensum & corporeum est, aut tanquam tale concipitur. Rectè ergò instituis: Si spiritûs essentia extensione caret, ergò neque per essentiæ suæ extensionem corpori potest coëxistere præsens. Quod totum utì verissimum est, sic minimè concludit, etiam spiritum corpori præsentem esse non posse modo sibi conveniente, id est, indivisibili; quod unum contendunt Nullibistarum antagonistæ.

Quibus dum solvimus objectum argumentum, simul satisfecimus difficultati, quam movet De la Forge, *Tractat. de Mente Hum.* Cap. XIII. cum inquit: „Philosophia Scholastica, cum „ex una parte doceat, essentiam mentis in eo consistere quod non „sit extensa, & ex altera statuat, naturam unionis duarum sub„stantiarum consistere in locali præsentia unius cum altera, simul „au- XVII. *Forgæi in hanc rem dictum, & quædam in id observatiunculæ.*

Rr

„ aufert hoc modo omnia media concipiendi mentis ac corporis uni-
„ onem. Quomodo enim quis comprehendat mentem, id est,
„ secundum eos substantiam cujus natura consistit in eo quod non
„ est extensa, posse fieri extensam? Nam nullo alio pacto concipe-
„ re possumus, quomodo præsens esse possit substantiæ alicui ex-
„ tensæ, nisi ipsam etiam extensam concipiamus, &c. Ad quæ notetur: I. Nullo modo necessum esse, ut extensum sit id omne, aut tanquam tale concipiatur, quod alicui extenso coëxistit; utì demonstratum satis. Quapropter etiam, ad difficultatem hanc evitandam, nullatenùs indigemus distinctione inter *extensionem realem & virtualem*, adeò ut per hanc res spiritualis corpori esset quasi coëxtensa; quam Auctor impugnat deinceps. Non magis quam in explicanda Æternitate Dei, successivæ rerum creatarum durationi coëxistente, opus est concipere *virtualem successionem* à *reali* distinctam. II. *Si nullo alio pacto concipere possumus, quomodo Spiritus præsens esse possit substantiæ extensæ, nisi ipsum etiam extensum concipiamus*, viderit Auctor, quâ aut fide, aut prudentiâ, sub finem *Cap.* XII. professus sit, *se nolle negare*, *Deum non etiam per suam essentiam suamque substantiam rebus omnibus esse præsentem.* Profectò, nisi lectori suo hic verba dare voluerit, omninò secundum ista necesse habet fateri, vel Dei substantiam extensam se concipere, cum eam rebus corporeis præsentem esse fatetur; vel falsò dici, *non alio pacto concipi posse, quomodo spiritus rei extensæ sit præsens, nisi concipiatur extensus.* III. Quod ad unionem Spiritûs cum corpore attinet, non quidem ea, nostro judicio, in locali præsentia consistit; attamen hanc ad illam omninò prærequiri, firmiter in superioribus probavimus. IV. Observetur, Auctorem disertè fateri, *Philosophiam Peripateticam docere*, *essentiam mentis in eo consistere, quod non sit extensa*; & (uti addit paulò inferius) *non esse mentem*, *nisi propterea quod non habeat extensionem.* Audiant ista nostri Novatores! qui quamvis ignorare nequeant, hanc esse adversariorum suorum mentem perpetuam & assertionem constantem, nihilominus, planè contra officium viri boni, objicere illis non desinunt iterùm iterùmque, eos Spiritum sibi imaginari per modum subtilis corporis ac tenuis extensionis. Cætera, quæ habet hac de re Auctor, transeo; quippe quæ, uti magnam partem ex Claubergio petita, ità quoque cum hunc refutavimus refutata sunt.

Alii,

Alii, ut probent Spiritibus Alicubi tribui non posse citra absurditatem, vehementer urgent, quid sit futurum, si pars istius corporis, cui Spiritus coëxistit, auferatur, V. C. si manus homini amputetur; vel si extensio ea augeatur, ut cùm puer accrescit, &c. Rogantque, an eo in casu adhùc Spiritus maneat in eodem Ubi, nec ne? Quibus respondeo, in eodem Ubi manere, quamdiu eidem spatio, coëxistit. Membrum resectum quod attinet, ei mens simpliciter non amplius existit præsens, absque ullo tamen sui motu, divisione, aut diminutione. Habet res se per omnia, uti in æterna Dei duratione nostris temporibus coëxistente. De ea si quis quærat quid futurum sit, si mundus existere desinat? dicendum, extiturum Deum, uti semper extitit, citra ullam suæ durationis contractionem. Quapropter quæ à quibusdam hoc loco quæruntur, An Spiritûs essentia dividatur, minuatur, prorepat in partes de novo additas, vel retrocedat seseque contrahat in cæterum membrum, atque ibi intumescat? quæque sexcenta moventur his similia, ridicula prorsùs sunt, & inepta adeò, ut responsum nullum mereantur. Oriuntur quippe difficultates illæ & quæstiones absurdissimæ ex absurdo conceptu, quem de Spirituum præsentia sibi formant, aliosque secum formare autumant. Videlicet supponunt, & sic sentire dissentientes fingunt, quasi ità dicatur & concipiatur Spiritus corpori coëxistere, quemadmodum ex. gr. vapor, vel aliud quod tenue corpus, corporis alterius porosi, v. c. spongiæ, interstitia replet, in ea sese insinuat, perque ea diffunditur; undè necessario fit, ut, si corporis ejusmodi pars abscindatur, etiam simul auferatur aliqua pars corporis subtilioris, per id diffusi eique inhærentis, nisi hoc sese contrahat ac in cæteram illius partem sese recipiat. Verùm nisi quis ex hactenus explicatis didicerit alios formare conceptus de Spirituum Ubi, ac intelligere longissimum discrimen quod intercedit inter spiritûs cum corpore coëxistentiam, & hanc tenuis corporis in poros alterius insinuationem, frustrà laborabo discutere crassas illas corporearum idearum nebulas: quæ suâ sponte evanescunt, superioribus duntaxat ritè perceptis.

XVIII. *Corporis, cui spiritus coëxistit, aucta vel diminuta quantitas hujus Alicubi nil præjudicat.*

Majoris momenti est argumentum quod pro Nullibitate Spirituum desumunt quidam ab eo, quod Spiritus solos producere potuerit Deus, nullis creatis corporibus. Nempè inquiunt, hoc

XIX. *Solo spiritu, nullo corpore, existen-*

 posito,

te, etiam illi suum competit Ubi, & quo modo.

posito, etiamnùm Spiritus Alicubì forent? Si non; utiquè inseparabile Spirituum attributum non erit τὸ Alicubi esse, sed id eis conveniet, non sui ratione, sed ex accidente tantùm, ratione corporum in quibus operantur, quæque verè sunt Alicubi. Si verò non existente corpore, Spiritus nihilominus forent alicubì, admittendum etiam erit, Spiritum à Spiritu distare, alterumque alteri propiorem esse, &c. At quis ista concipiat sine existentia extensionis intermediæ? Ad quæ observandum, fore omninò, spiritus alicubì, etiamsi soli existerent, quatenus essentia eorum esset, ubi corpora esse possent, ità ut, si hæc producerentur, Spiritus iisdem verè coëxisterent, quod ad Ubi Spirituum concipiendum sufficere, antè fuit dictum. Atque hoc sensu Immensus Deus etiam ante creatum mundum extitit Alicubi, quoniam fuit, ubi tunc fuit nihil, extensio tamen esse potuit. Quod additur de intermedia extensione, cujus respectu Spiritus distare deberent, id supponit, extensionem & spatium & distantiam coïncidere prorsùs, nec hæc posse esse sine illa; quod falsum autumamus. Sed latioris id indaginis est, quam quod in præsens, hæc absolvere festinans, pertractare possim. Conferantur quæ in hanc rem notavimus. §. XIV.

XX.
Actio spiritûs transiens, cum hìc aut illìc esse non facit, sed tantùm indicat.

Urgent alii: Si mens per se & ratione suæ essentiæ alicubì esset, procul omni dubio hujus sui attributi sibi foret conscia, novissetque adeò ubinam præcisè existeret. At nullo modo ejus sibi conscia est. Imò, addunt, ignoraremus penitus, utrùm Spiritus hìc aut illìc sint, nisi id concluderemus ex operationibus eorundem externis & transeuntibus; quas ubi nullas observamus, illicò incerti sumus, utrùm quis adsit Spiritus, nec ne. Ex quibus manifestum esse putant, non per essentiam, sed tantùm per operationes in corporibus, Spiritus esse alicubì. Verùm salva res omnis est, si distinxerimus inter causam, uti vocant, essendi & cognoscendi. Fateor, non nisi ex operationibus transeuntibus nobis innotescere, Spiritum in hoc aut illo determinato Ubi existere: cum enim sit res quæ sensus non afficit, quæque in intellectum nostrum rarò immediatè agit, nos verò, ceu cognitionis nostræ administris, utamur sensibus, quid mirum, si ignoremus, in hoc aut illo determinato Ubi Spiritum existere, quamdiu se suis operationibus inibì non manifestat? Sed & sæpissimè corporis alicujus tenuioris,

no-

nobisque ob subtilitatem suam insensibilis, præsentia à nobis non percipitur, nisi quædam ejus operationes externæ sensus nostros afficiant. At, quemadmodum nequaquam indè colligere licet, corpus tale verè istic præsens non fuisse, quamdiu conspicuas nobis operationes non produxit, ità neque de Spiritu concludere id licet. Cæterùm, parvi momenti est, quòd dicatur mens sibi non esse conscia sui alicubì: plura enim sunt prædicata, quorum sæpè mens sibi conscia non est, quæ nihilominus verè ei conveniunt. Ne longè abeamus, dic, quæsò! estne sibi satis conscia mens, in qua parte corporis humani immediatè operetur? Si est; undè ergò tam diversa de sensorio communi inter ipsos eruditos sententia? Si non; nùm & ideò negandum, mentem in aliqua corporis nostri parte immediatè agere? Inquies forsan, benè attendenti id sat notum esse potest. At (ne jam inquiram, quam hoc sit vel verum vel falsum) idem à me tibi responsum puta; mecumque idcircò agnosce, haud licere menti denegare attributum quodpiam, ex hoc quod ejus sibi non sit immediatè conscia. Nempè, non immediatè, sed argumentando ferè devenimus in cognitionem plerarumque proprietatum nostræ mentis: quam argumentationem quisquis secum instituit diligenter & accuratè, actutum is certus erit nobiscum, Mentem etiam verè alicubi esse, atque esse debere.

XXI. *Nullibistis nulla de affictis sibi opinionibus querelarum causa.*

Ex omnibus hactenus allatis concludimus, Spiritus jure merito esse revocandos ex exilio, ad quod eos nullo suo merito damnarunt, & non ultra Garamantas tantùm & glacialem oceanum relegarunt, sed terrâ marique, inferni cœlique sedibus, totiusque Universi finibus expulsos, proscripserunt Nullibistæ: ***aut delirantes, aut ludentes, vafreque ac obliquè insinuantes, mentem, quatenus est substantia incorporea, tanquam chimæram inutileque figmentum, ex tota rerum Universitate esse exterminandam***, inquit H. Morus. Quousquè hæc verè? judicent alii! Ipsi quid ad hæc? Jam mihi eos more suo videor audire conquerentes de injuriis & calumniis, quibus iniquè graventur. Non enim se eos esse, qui negent Spiritus, etiam ratione essentiæ, esse alicubì; sed, qui accuratius solùm explicent, *Quomodo* alicubì sint; idque ordine meliori quam hactenùs factum sit à Scholasticis. Videlicet, tantùm se velle, ut concipiamus gradatim Spiritum esse Alicubi; primùm quidem per operationes externas; hìnc per potentiam;

indè denique per essentiam. Ast hoccine est, quod rotundè affirmare audivimus, Spiritus alicubì esse *non aliter* quam efficaciter agendo; *tantùm* per operationem; *non verè*; *non propriè* per essentiam, &c. Quis, hæc cum illis conferens, non miretur vel prodigiosam contradicendi libidinem, vel vaferrimam in palliativa hac cura astutiam? Non ità solent qui pacem & veritatem amant candidi. Si dissentiant ab iis qui statuunt Spiritus alicubì esse ratione essentiæ, etiamsi extra se nil operentur, quid Viros pudet suæ sententiæ? Cur eam per verum elenchum oppugnatam non fatentur? Quidve adeò conqueruntur de injuriis amplius & calumniis? Quod si cum affirmantibus idem re verâ sentiant, quid attinet his obloqui non tantùm, sed & eos tam immeritò & acerbè passim traducere? Cur non missas faciunt phrases oppositum sonantes, insitatas, periculosas, ac turbantes docentium & discentium scholas? Atquì cum stupidis istis, scilicet! Peripateticis idem se sentire, affirmabunt, sat scio, nunquam: tam animulis istis volupe est esse Nullibi, ne videlicet corporum contagio ipsæ quoque extensæ fiant, atque ità omni suâ excidant cogitatione.

XXII. *H. Mori in Nullibistas dicto Disquisitio clauditur.* Uti orsus sum, ità pertexam hanc Dissertatiunculam verbis H. Mori, qui, *loco citato*, ad verba illa Ludovici de la Forge, *Quando dico Deum esse omnibus rebus præsentem per suam Omnipotentiam, nolo negare eum etiam per suam Essentiam suamque Substantiam iis esse præsentem*, sic disserit: „Audin' tu, mi *Nullibista!* quid apertè „profitetur unus è præcipuis Condiscipulis tuis, & religiosissimis „stupendi vestri Arcani, *Nullibismum* intelligo, Symmystis, „Deum etiam per essentiam vel substantiam suam omnibus materiæ „partibus adesse? Et tamen vos non pudet interim asseverare, nec „Deum nec Spiritus ullos creatos *Alicubi* esse posse? Quo nihil „repugnantius dici potest vel excogitari, & ab omni ratione alie-„nius. Quamobrem cum tam prope ad veritatem accedant *Nulli-„bistæ*, impossibile videtur, ut adeo ex inopinato eam rursus re-„fugerent, nisi superstitiosa Metaphysicæ *Cartesianæ* admiratione „occæcati essent, & jocularis illius subtilitatibus præstigiosisque „abstractionibus illusi, effascinati, & dementati. Concluditque demum: „Quod quicquam existat, nec tamen sit usquam in „tota rerum Universitate, tam malesana vox est & ab omni ra-„tione aliena atque absona, ut à nemine mentis compote, nisi „per

„per deridiculum possit proferri ; prout suprà monuimus.
„ Unde magis dolendæ sunt eorum vices, qui, admiratione
„primi Authoris tam absurdæ sententiæ capti & occæcati, eam
„tam seriò sanctèque amplectuntur, tamque diligenter ex-
„poliunt.

EXERCITATIO
DE
HOMINE
AUTOMATICO.

SUMMARIUM.

I. *Assumptarum hypothesium falsitas fertilis plerorumque errorum causa.* II. *Admissi in brutis motus automatici iisdem in hominibus admittendis viam parant.* III. *Hominem Automaticum quem, & quo sensu, admittat Cartesius?* IV. *Per eum inane reipsâ redditur & superfluum animæ rationalis in corporis motus imperium.* V. *Deleturque prorsus efficax mentis, tanquam veræ causæ, in motus corporeos influxus.* VI. *Obstat eidem impeditus corporis motus ad mentis ægritudinem, abstractam meditationem, & separationem ejus à corpore in morte.* VII. *Opinio de Homine Automatico patronos suos incertos reddit, nùm bona hominum pars anima rationali gaudeat?* VIII. *Operationes brutorum*

torum pro automaticis hominis motibus nihil concludunt. IX. *Operationes hominis multæ rationem habent causam, etsi inconsultâ eâ fieri videantur.* X. *Etiam purè animales actiones à rationali anima proficisci possunt.* XI. *Motus corporis qui passiones animi comitantur mentem habent principium sui, & voluntarii sunt.* XII. *Convulsionum motus ipse ab anima est; inordinatio ejus à perturbata corporis dispositione.* XIII. *Automata artefacta pro rerum naturalium motibus automaticis concludendis nihil prosunt.*

I. *Assumptarum hypothesium falsitas fertilis plerorumque errorum causa.*



A ubi pedem figam, & totam Terræ molem dimovebo loco, quondam Geometræ Syracusani vox erat. Adeò facile est, datis postulatis etiam valdè exiguis, grandia quævis moliri. Atque id in veritatis inquisitione non tantùm obtinet, ubi ex principiis valdè paucis & tenuibus infinita deducitur conclusionum continuâ demonstrationis concatenatione connexarum multitudo, cujus rei specimen exhibet elegantissimum Geometria; sed & falsitatis atque erroris par, si non major, existit fertilitas. Nimirùm non solum in ratiocinando consequentiæ inconsequentes nectuntur sæpius, verùm legitimâ etiam firmæ sequelæ necessitate dogmata deducuntur sat nitidè ex hypothesi falsa, quæ tamen ob vitium præmissorum principiorum, iisdem nihilo sunt aut firmiora aut veriora. Quæ cogitantes haud mirabimur, eum, qui vel semel hypothesin falsam pro vera assumsit, ex una falsitate incidere in aliam, nec sæpè antè quiescere in præcipiti hoc lapsu, quàm continuo descensu venerit ad imum; istud nimirum absurditatis barathrum, in quod descendere potuisse rationis compotem negares, ni viam noscas quâ istuc pervenerit. Scilicet, uti nemo de repente fit pessimus, quoniam quisque sceleratus sentit reluctantis conscientiæ morsus, quos simul & semel superare difficillimum est & vix possibile; ità nemo facilè per saltum in extrema incidit absurda, cohibente hominem ali-

qua-

quatenus & aliquamdiu lumine rationis menti ingenito. Idcircò sensim plerumquè sine sensu à minori ad majus hìc fit progressus; donec error, initio parvus & contemnendus, dum errorem trahit, accrescat eundo, atque in fine magnus evadat & monstrosissimus. Ità ut quisque paulo ingeniosior promittere jure possit: *Da ubi pedem figam* (in falsa hypothesi), *& totum scientiarum orbem movebo loco.*

Rei hujus fidem facit, neque uno specimine, hodierna Philosophorum secta, cui placita Cartesii placent. Insolens ei non est, quædam præmittere dogmata, quæ primo intuitu minoris momenti videri possunt, & toleranda saltem tanquam ingeniosæ subtilitatis inventa; quibus tamen si quis inhæserit, iisque convenienter philosophari perrexerit, absurditatibus involvetur longè maximis: quibus tamen (ut pessimo more fieri solet) repudium mittere deinceps recusabit, ne in præconceptis hypothesibus errasse deprehendatur. Sit unum instar omnium! Cœpit antehac Recentioribus defendi, Bruta quicquid agunt agere ad instar machinæ cujusdam pneumaticæ aut hydraulicæ; per solam nimirum partium dispositionem, & sanguinis ac spirituum motum tantùm ab extrinseco impressum, citra ullius animæ, quæ sit intrinsecum ac substantiale sensûs & cognitionis principium, præsidium aut moderamen. Quamvis autem hujus sententiæ patroni primùm non proderent, se opinari, idem quoque in corpore humano evenire posse, haud tamen jam tum deerant inter eruditos prudentes viri, qui, attendentes quanta sit & organorum & operationum externarum in bruto & homine similitudo, facilem ab illo ad hunc transitum & consequentiam aliquandò faciendam, prævidebant. Indè non pauci vel ob hoc solum concedendum neutiquam arbitrabantur dogma de brutis, quæ sine principio substantiali intrinseco agant ad instar horologiorum, quòd crederent, viam per illud sterni, ad humana quoque corpora in ejusdem generis machinas automaticas convertenda; sicque tandem mentem substantialem penitus ab iisdem excludendam.

II. *Admissi in brutis motus automatici eisdem in hominibus admittendis viam parant.*

Neque hic metus fuit omninò vanus: re verâ enim Cartesius corpus humanum considerare cœpit tanquam ergasterium quinque accidentium, Motûs, Quietis, Sitûs, Figuræ, & Magnitudinis; quodque adeò vivere possit & moveri absque animæ rationa-

III. *Hominem Automaticum quem,*

& quo sensu, admittat Cartesius? lis præsidio, æquè ac brutum. Ipsum audire operæ pretium fuerit. *Epist.* LIV. *Part.* I. *Externarum nostrarum actionum nulla est, præter loquelam, quâ possit cuipiam illas examinanti constare, corpus nostrum non esse automatum, sed insuper inesse illi animam, quæ cogitandi facultate polleat.* Ecce! Actiones nostras omnes corporeas, loquelâ exceptâ, ad corpus, tanquam ad automatum referri posse, opinatur. Atque iterùm clarè, *Epist.* LXVII. *Nullam agnoscimus rationem, propter quam, ubi est talis membrorum conformatio, qualem in animalibus videmus, cogitatio etiam debeat adesse; atque ideo majori admiratione dignum est, quod mens aliqua reperiatur in unoquoque humano corpore, quam quod nulla sit in ullis brutis.* Transeo quæ hùc spectantia occurrunt plurima in Tractatu ejusdem gemino, tùm *de Homine*, tùm *de Passionibus animi*: quem utrumque quisquis unquam evolvit diligentius, super hanc unam hypothesin, tanquam primum ac præcipuum fundamentum, ædificatum stare, nullo negotio deprehendet. Quin imò, si ad ipsas Viri Philosophationes attendere velimus potius quam ad phraseologias quasdam modestiores, quibus illas evitandæ offensionis gratiâ de industria nonnunquam involvisse videtur, intelligemus facilè, genuinam illi mentem fuisse, hominis corpus vivere non tantum posse sine animæ rationalis influxu, sed & re ipsâ absque ejusdem præsidio vivere & moveri. Quibus convenienter passim hodiè docent istius opinionis fautores: *Vitam nostram in solo corporeo motu consistere; eam cum belluis nos communem habere; non dependere à mente, cum, hac non datâ, in automato, omni suâ operâ potuisset defungi.* Item, *Hominem moveri ab anima, & mortem ejus à carne divortium esse, non simpliciter esse asserendum: Ut Molitor molam non movet, sed motam regit, sic animam non tam motum, quam ejus modos facere, suâ directione, &c.* Et hic Homo, cujus corpus, licet forte animâ rationali non careat, haud tamen ab ea moveatur (quem meritò idcirco *Automaticum* dicimus) nùm admittendus sit? hac Exercitatione disquiremus.

IV. *Per eum inane re ipsâ redditur & superfluum* Videtur autem nobis sententia affirmativa, utì falsissima, ità periculosissima. Id demonstraturi supponemus, certum esse, nos ipsos in nobis experiri Animam rationis participem, essentiæ à corpore nostro distinctæ, ad cujus nutum & arbitrium motus

nostri

nostri corporis passim excitantur & peraguntur. Jam verò si motus isti corporis etiam citra animæ moderamen oriantur, aut oriri possint, cui, obsecro, fini mens corpori unita sic fuerit, ut illius imperio hujus actiones subsint, talesque quales sunt existant? Certè, dicis causâ hæc duo connectere noluit sapientissimus rerum opifex; qui, uti pondere, mensurâ, numero fecit omnia, ita frustrà produxit nihil. Quasi necesse sit, motorem addere navi, quæ ipsa ex sese, ventis solis & fluctibus agitata, apta satis est moveri, & viam sic conficere ut nullo motoris auxilio indigeat. Quasi sapiens sit, qui famulum assistere perpetuo jubet horologio, citra admotæ manûs opem horas indicare parato. Quin nihil jam aliud restare videtur, quam ut credamus, animam nostram corpus, cujus motibus non tam præest ex hac opinione quam potius subjecta existit, pro vero carcere duntaxat habere: quæ quondam Platonicorum erant deliria, sapientioribus dudùm rejecta & explosa. Quantò fuerit concinnius, & sapientiæ ac bonitati Divinæ, nec non animæ rationalis dignitati, congruum magis, sic omninò habere, movendæ nobili & structuræ præ omni alio in hoc Universo corpore admirandæ machinæ nobilem destinatam esse Divinâ providentiâ motricem Mentem, quę ipsa suo sic imperio ei præsit, ut absque ea nihil possit moles per se iners atque omni actuositate destitùta.

animæ rationalis in corporis motus imperium.

V. Deleturque prorsus efficax mentis, tanquam veræ causæ, in motus corporeos influxus.

Quin, propius expensa Mentis nostræ cùm Corpore Unio prorsus infert necessariam motuum corporeorum à mente dependentiam. Consistere illam volunt Recentiores in hoc, quod ad varios corporis motus anima nostra variè cogitet, & vicissim ad varias animæ volitiones varii sequantur motus in corpore. Scire autem lubet, an volitiones illæ mentis, quibuscum connexi sunt motus nostri corporis, se habeant ut veræ horum causæ, an verò ut aliquod duntaxat concomitans, quod quidem cum eis existat simul, ità tamen ut hi ab efficientia & influxu causali alterius non pendeant? Si prius, habemus utiquè quod intendimus, quatenus evidens existit, effectum nullum dari sine causa; consequenter neque motus in corpore sine influxu animæ rationalis. Neque excipere juvabit, sic tantùm evinci, motus corporeos ipso quidem facto à mente dependere tanquam à causa, at non hinc sequi, eos in corpore sine mente dari planè non posse. Nam, prætérquam

quam quod ista adferre nequeant, qui vitam nostram à mente dependere corpusque hominis ab ea moveri negant, etiam superflua fuerit mentis illa causalitas, quâ de facto corpus movet, quod etiam sine ea hoc modo moveri potuisset: quod & Deo, & homine, & mente indignum est. Itaquè eligendum posterius, Mentem videlicet nullam veram exercere causalitatem in producendis corporis motibus: quod ipsum hodiè velle videntur plerorumque Recentiorum phrases, atque hùc etiam aurigantur omnes eorundem hac parte assertiones. Atquì non uno absurdo premitur hæc sententia. Nimirùm, sequetur hinc, Mentem à corpore quopiam absentem, cum eo nihilominus re verâ posse esse unitam; quin & eam unam eandemque unitam posse esse eodem tempore pluribus corporibus loco & spatio longè dissitis. Sume (ità dispensante Divinâ Providentiâ) ad animæ meæ voluntatem moveri corpus quodpiam existens Romæ, aliud etiam Parisiis, idque eodem tempore. An ergò eadem mea mens, hìc unita existens meo corpori, simul unita fuerit corpori alteri Romæ existenti, & simul alteri, quod est Parisiis? Si non; reddatur, obsecro, ratio! Sufficit etenim ad unionem, ex hac opinione, cogitationum & motuum corporeorum simultanea existentia, citra realem influxum & causalitatem: at illam hìc habemus. Si sic; vide sis, ne meritò stupidior habearis stipite, quicum mentem tuam uniri posse in idem suppositum credis. Et tamen ista profiteri non metuunt Neoterici; idque hypothesibus suis convenienter. Sic enim ajunt: *Quoniam mentis cum corpore unio decreto Divino duntaxat hæret, non est absolutè necessarium, ut hæc unio localis sit, sive ut mens præsentialiter parti alicui corporis præsideat: cum, tametsi v. gr. esset in cœlis, non eo minus hæc cogitatio & hæc glandulæ, spirituum, aut actionum determinatio, se invicem immediatè exciperent, unirenturque in unico durationis nunc.* Stupeat oportet mecum, qui hæc audit: simul autem notet, quò abducat de motibus nostri corporis à mentis influxu & causalitate non dependentibus, conceptus. Istis adde, si motus nostri corporis à mente, tanquam à vero principio & propriè dicta causa, non pendeant, etiam animam rationalem nullius actionis externæ, consequenter neque ullius operis corporei peccaminosi, causam propriè dictam haberi posse. Neque enim unquam, ex hac sententia,

rea

rea esse poterit Anima nostra, quod quicquam per corpus suo influxu & causalitate effecerit, sed duntaxat, quod tale quid fieri voluerit; quæ voluntas. ex hac hypothesi, non tanquam facti istius peccaminosi causa spectanda erit, sed tantum tanquam conditio sine qua non, ut loquuntur, sive prærequisitum. Per quæ concidit trita peccati in cogitatum, dictum, factum, divisio: ne plura accumulem, quæ in re Sacra hinc fluunt, absurda.

VI. *Obstat eidem impeditus corporis motus ad mentis ægritudinem, abstractam meditationem, & separationem ejus à corpore in morte.*

Experientiam porrò si consulamus, dictat ea non uno modo, motus corporeos ab impulsu & præsidio animæ rationalis prorsùs esse dependentes. Impediri eosdem & turbari videmus, quoties mens ægritudine confecta est, vel aliis modis affligitur; quatenus scilicet iis nimium detenta minus in regendo corpore occupatur: quùm contrà, mente existente vegetâ, prompti atque agiles in corpore nostro exerceantur motus. Quin, absque debita Animæ nostræ attentione nullus existit in nobis usus organorum sensationi, consequenter & motui animali, inservientium. Quis nostrum non expertus est sæpius, quandò mens altius immersa fuit conceptibus profundioribus circa res à sensibus remotas, etiam tunc corpus obriguisse, neque motum aut affectum fuisse ab objectis externis, oblatis etiam satis clarè organis coporeis undiquaquè benè habentibus? Certo argumento, non instar machinæ alicujus automaticæ corpus nostrum moveri & impelli unicè à rebus extra nos positis; quod volunt, & sentire debent, qui motus corporis à mente pendere negant. Et quid in morte hominis eveniat, attendamus! Nempe, simulac Anima corpus socium deserit, quiescunt quoque operationes corporis & motus ejusdem animales. Cur quæsò? nisi motus illi, omnisque corporis activitas, ab Animæ præsentia, ejusque impulsu, sic pendeant, ut citra eam produci planè non possint. Nec moror objectiunculam, quam quidam movent, desumptam à qualicunque membrorum contractione, aut partium vibratione, quæ ad tempus etiam in cadavere superesse observatur: neque enim ordinatus iste motus est, neque diutinus adeò, quin referri facilè possit ad spiritus animales, ante mortis articulum ab anima impulsos, & in isto suo motu aliquamdiu perseverantes. Non parùm confirmabitur nostra ratiocinatio, si, quid ipsa hominis mors sit, cogitemus. Consistit ea in separatione seu disunione Animæ rationalis à corpore, quicum

 unita

unita antè fuerat in eandem personam. Id docet Scriptura, confirmat ratio, clamat quorumvis eruditorum cujusvis seculi & sectæ consensus. Jam verò morti vitam opponi privativè, notum est. Itaquè ut in disunione mentis à corpore mors, ita ex opposito in eorundem inter sese unione vita hominis consistit. Illâ igitur sublatâ, etiam hæc tollitur. At ipsâ vitâ sublatâ, quis actiones vitales superstites manere posse, affirmet? Non ignoro distinctionem adversariorum inter vitam hominis animalem & rationalem: verùm, quamvis negandum neutiquam sit, toto cœlo distinctas esse actiones mentis cogitativas à motibus corporis, hoc tamen loco inane esse hoc effugium, patet, quia hos ab illis dependere ex ipsa unionis natura, prout ea à Recentioribus explicatur, jam demonstravimus.

VII. *Opinio de Homine Automatico suos patronos incertos reddit, nùm bona hominum pars animâ rationali gaudeat.*

Præter ista, militat contra motum hominis automaticum generale argumentum, quo evincitur, nullas operationes à sola partium dispositione & motu, aliisve accidentibus aut modis, citra principii substantialis influxum, oriri posse, ex eo quod accidentia operativa non sint, nisi virtute alicujus substantiæ, cujus beneficio ut existunt ità operentur; quandoquidem modus operandi sequitur eum qui est essendi: nedum, ut actiones tam variæ & elegantes, quales plurimas, etiam præter loquelam, in humano corpore observare datur, ab iisdem proficisci queant. Verùm non lubet actum agere: videatur nostra *Dissertatiuncula de Operationibus Brutorum*. Unum præterire hìc nequeo, eoque absolvam. Obtestor universos qui hìc dissentiunt à nobis, dicant mihi, si operationes in corpore humano obviæ mentis influxu absolutè non indigeant, sed absque eo excitari queant, dicant mihi, inquam, bonâ fide, quì sciant, aut undè certi sint, fœtui humano in lucem hanc prodeunti inexistere mentem? Nunquam, sat scio, se hìc expedient: nullam enim adserre poterunt obviam in eo operationem, præter motus quos ipsi automaticos esse contendunt. Si dicant, ineptum esse, qui indè concludat, Animam rationalem in illis non dari; nihil dicunt quod ad rem faciat. Nec enim ego infero, mentem in iis non existere; sed ab iis peto, ut ipsi inferant ullo firmo ratiocinio, eam omninò in iis dari: quod quamdiu non præstitum, temeritatis videtur, Philosopho imprimis, credere sine ratione, mentem iis inesse. Si hominem adferas

adferas dormientem, in quo mens sit, quamvis nihil ejus deprehendi possit; respondeo, me facilè credere, mentem ei inesse, quippe qui sic habeo, ne quidem actiones istas animales in dormiente superstites citra activitatem principii substantialis dari posse: at tu illam ei inesse in æternum non probabis, nisi infirmâ conjecturâ, quòd & ante & post somnum corpori illi adsit. Neque evades, urgendo, mentem parvulorum actuosam esse, nihil repugnare, licet nihil tale nobis appareat. Etenim, dato, nihil repugnare. An quicquid nihil repugnat, Philosopho credendum est actu esse? Etiam certè nihil repugnat, ex tua hypothesi, parvulorum corpora vivere sine mente. Primo itaque biennio aut triennio à nativitate, priusquam sese rationis usus gestu & loquelà prodere incipit, infantulo mentem inesse, demonstrare Cartesiano homini fuerit impossibile: quod ipsum volebam. Ne addam, per omnem vitam quosdam rationis usu ab ipsa infantia destitui, nec ullo eum signo unquam prodere; de quibus ergò per omnem vitam liceat dubitare, nùm mente gaudeant? Per quæ stant inconcussa, quæ quondam alibì de hoc ipso argumento hunc in modum differebam: „ Non mirabimur amplius (si absque Animæ „ rationalis præsentia vivere possumus) homines Arimaspos, Sciapodas, Struthiocæphalos, Fanesios, Satyros, Cynocephalos, „ Pygmæos, aliaque hominum portenta, quæ nobis delineat Plinius; cum non jam quibusdam corporis partibus, sed & Anima „ carere possit corpus humanum, & nihilominus, imò fortè „ commodius, vivere. Impii Paracelsi homunculum artificia- „ lem, qui istud admittit, non pariter admittat? Quin si hoc ità „ sit, quis novit, an non frequenter (etiam dum hæc scribimus) „ res nobis sit cum larvatis hominibus, specietenus talibus, cæte- „ rùm omni Mente prorsus destitutis? Et si fortè in plerisque, „ quibuscum quotidiè agimus, aliquid occurrat, quod nos su- „ spicari facit, inesse iis quoddam ratiocinandi principium, nihil „ tamen ejusmodi (ex hypothesi adversâ) deprehendere poterimus „ in puero paucos menses nato, phrenetico, similibusque aliis, „ idoneis signis, se aliquid rationaliter agere, indicare non valen- „ tibus. Quare cum in iis nullæ nobis observandæ occurrant ope- „ rationes, præterquam tales, quales hi Philosophi, citra ullius „ Animæ substantialis adjumentum, à sola partium dispositione ac

motu

„ motu proficisci posse asserunt, meritò dubitabimus, an quidem „ ii, quos enumeravimus, Mente gaudeant. Quæ si semel obti- „ neat insania, actum est de charitatis officiis, omnisque dissoluta „ sunt societatis ac humanitatis vincula. Ista quidem tunc. Nunc, si cum Theologo, cui nova placet opinio, res foret, monerem seriò, caveat ipse sedulò, ne ad ægrotos mentis & linguæ usu alienatos vocatus, incautus preces sæpius fundat pro defunctis; siquidem ex novellis hypothesibus, nihil fieri poterit & facilius & frequentius, quam ut anima rationalis jam dudùm absit à corpore, in quo conspicui adhùc fu..t motus, quos in agonizantibus passim observamus. Ità non uno modo sine mente philosophari necesse habent, qui corpus suum sine mente regi posse contendunt.

VIII. *Operationes Brutorum pro automaticis hominis motibus nihil concludunt.*

Quæ tamen pro sua quoque sententia adducant ipsi, examinemus? Primarium novæ assertionis fundamentum est similitudo simillima, quæ datur inter plerasque, si non omnes (loquelam imprimis si exceperis) hominum & brutorum operationes externas. Quumque has supponant oriri à sola partium dispositione, & sanguinis spirituumque motu, absque ullius animæ substantialis moderamine, facili indè inferunt sequelâ, absurdum haberi non debere, si eodem quo corpus bruti movetur modo hominis quoque corpus moveri existimemus. Fateor, satis consequentem videri hanc consequentiam. Neutiquam enim repugnat, quin potius summè probabile est, duas machinas, adeò quod ad ossa, nervos, musculos, sanguinem, spiritus, omnemque organorum apparatum & structuram similes, simili quoque modo impelli & moveri. Ast verò antecedens illud, de Brutis operantibus ad instar horologii, vel ob hanc ipsam consequentiam, falsum esse ac neutiquam admittendum, censeo: de quo & ab initio dixi. Neque in præsens id agam, ut ostendam multis, operationes brutorum motus ejusmodi automaticos non esse. Satis fusè hæc de re disserui, allegatâ jam *de Operationibus Brutorum Exercitatione*: quæ si hìc conferatur, suffecerit ad superandum quicquid hâc parte hærere potest difficultatis.

IX. *Operationes hominis multæ ra-*

Verùm neque Brutis fortè indigent, qui in homine ipso sat multa inveniunt, ad stabiliendam suam thesin. Ipsum audiamus Cartesium! „ Fit plerumque, ait, ut ambulemus aut comeda-

„ mus,

„ mus, neutiquam cogitantes de eo quod agimus; quin imò ea „ quæ nobis noxia sunt repellimus, aut etiam ictus quibus peti- „ mur declinamus tam inconsultâ ratione, ut quamvis dedita „ opera vellemus manus nostras capiti non prætendere cum cadi- „ mus, tamen non esset penes nos id non facere. Credo etiam „ nos brutorum instar manducaturos, sine prævia institutione, „ si cogitatione nulla essemus præditi: & certè, dicunt eos, qui „ per somnum obambulant, ejusmodi fluvios nonnunquam tra- „ nare, ex quibus experecti nunquam emersuri essent. *Epist. Part.* 1. *p.* 107. Quibus ut satisfiat, cum plurimis Philosophis eruditis- simis, distinguendum venit, inter actiones hominis animales & rationales; seu, ut alii loquuntur, inter actiones hominis & hu- manas; quarum illæ ab homine fluunt, quatenus est animal, hæ ab ipso proficiscuntur, quatenus præcisè homo est. Posterioris generis actiones ab homine nunquam quidem eliciuntur, fateor, citra præviam mentis cogitationem & imperium, attamen & hoc certum est, frequenti usu & exercitio tantam sæpè promptitudi- nem & facilitatem earum acquiri, ut peragantur animæ attentione tam exiguâ, ut singula minus expendenti ea videri possit nulla. Quis nostrum sibi conscius est distinctæ cogitationis & imperii mentis circa singula verba quæ proferimus, quoties ex tempore dissertationem sæpè satis prolixam de re quapiam instituimus? In- dubium tamen existit, multiplicem hìc requiri Animæ attentio- nem, & ad res singulas, & ad rerum notiones, & ad unumquod- que verbum quo notionem efferimus, & ad totam orationis tex- turam ac verborum connexionem logicam simul & grammaticam. Atque vel hoc unum evincit satis, non absque mentis cogitatione & præsentia fieri, quæcunque nonnunquam primo intuitu absque ea fieri videntur. Sit v. c. (ut aliud addam frequens & obvium) Studiosus, qui meditabundus Academiam adit lectionem auditu- rus. Non rarò evenit, eum, dum altius meditationibus immer- sus est, videri sibi venisse ad auditorium, absque ulla cogitatione de via, quâ eundem fuit. Interim certum, non absque aliqua mentis attentione & imperio motum progressivum pedum & totius corporis, per varias platearum ambages & longos viarum circui- tus, directum fuisse præcisè ad Academiam; uti vel indè evinci- tur, quod à via & præstituto loco aberret, si nimia fuerit animi

tionem habent causam, etsi inconsultâ eâ fieri videantur.

per alias cogitationes distractio. Quæ omnia docent abundè, plurimas nostras actiones, quæ citra fixam, statam, & morosam, ut ità dicam, cogitationem à nobis peraguntur, non tamen carere imperio incidentis alicujus & fugacis cogitationis; quæ semper adeò omnes nostras actiones comitatur, ut verum nequaquam sit, quod hìc dicitur, *nos neutiquam cogitantes de eo quod agimus, plerumque ambulare, comedere, ictus repellere, &c.* Noctambulones quod attinet, tantum abest, ut credendum sit, eos idem acturos quod agunt, etiamsi nulla cogitatione essent prædìti, ut experientia contrà doceat, eos vigilantes sæpissimè sibi probè conscios esse ejus, quod fecerunt somniantes; certo indicio, non sine voluntatis imperio eos fecisse, quod fecerunt. Negandum tamen non est, minus distinctè eos affici ab objectis per organa minus rectè disposita confusè & inordinatè oblatis; undè &, dum singulas rerum circumstantias minus percipiunt, sine timore agunt, atque ità in tranandis fluminibus, &c. pericula quæ ignorant, felicius evadunt.

X. *Etiam actiones purè animales à rationali anima proficisci possunt.*

Ut autem omnis, qui hærere adhùc posset scrupulus, eximatur penitus, cogitemus in nobis aliud quod genus actionum occurrere, scilicet merè animalium. Eas plurimas etiam citra ullam vel minimam cogitationem fieri, quid si dederim? Ab anima hominis idcircò non proficisci, neque hâc indigere, demonstratum hactenus non vidi. Quin contrarium ejus probant Infantes, Lethargici, Apoplectici, aliique qui neque per cogitationem agunt quæ agunt, neque tamen absque animæ præsentia & influxu operantur; utì jam pluribus evicimus. Nec obstat, quòd anima, quippe spiritus, tantùm cogitando dicatur esse actuosa: undè inferunt, eas quæ sine cogitatione fiunt operationes animam cogitantem non habere principium. Non, inquam, id obstat; antecedens enim verum est de anima secundum se considerata, & quatenus merus existit spiritus, idque in ordine ad actiones immanentes: minimè tamen id admittendum quod ad actiones transeuntes, quæ ab eadem proficiscuntur quatenùs cum corpore unita hujus existit forma; quales plurimas, præter cogitativas, ex mero naturæ instinctu à Deo primùm indito profluere posse ab eadem, quis negaverit? Atque ità animam humanam per gradus in corpore quicum unitur esse actuosam, ab omni ævo, experientiæ

rientiæ convenienter, admisere eruditi cum Philosopho, eleganter id innuente, quandò ait, *hominem primùm vivere vitam plantæ*, tantùm per nutritionem crescendo; *mox bestiæ*, sentiendo etiam, appetendo, & se loco movendo; *demùm hominis*, intelligendo, volendo, &c. Neque multum hìc alicui difficultatis hærere potest, cui non infixa sedet opinio de mente humana quæ nil sit nisi cogitatio. Qua de re alibì.

XI. *Motus corporis qui passiones animi comitantur mentem habent principium sui, & voluntarii sunt.*

Minimè verò *passionum nostrarum motus* evincunt, operationes nostri corporis ab anima non procedere; quasi *clarissimum sit, illos à cogitandi facultate non pendere, quandoquidem invitis nobis sæpenumero exoriuntur. Cartes. Ibid. p.* 108. Non hæc faciunt pro Homine Automatico. Ut enim nunc taceam quæ modò dicta sunt de actionibus ab anima orientibus ex mero naturæ instinctu (quales esse nostros affectus contendunt, qui eosdem in facultate animæ sensitiva, seu inferiori, uti vocant collocant; quibusque facile existit hìc respondere, Affectus ab anima oriri, licet non præcisè ab ea proficiscantur, quatenus cogitandi facultate prædita est) ista, inquam, taceo: nobis enim videtur, motus corporeos, qui passiones animi comitantur, non magis *nobis invitis exoriri*, quam nobis invitis exoriuntur ipsæ illæ passiones. Videlicet, & hæ sæpenumero invitæ sunt, quod ad actus nostræ voluntatis qui easdem vel antecedunt vel sequuntur. Mens enim nostra objecti, cujus bonitas vel malitia animi perturbationem in nobis excitavit, prædicata omnia & singula, postquam desæviit nonnihil affectus, expendens accuratius, errorem judicii deprehendit, indeque ortum inordinatum animi motum, sicque pœnitentiâ ducitur affectûs, quo non ità pridem laborabat. Atque hactenus uti affectus ipse, ità motus corporis cum eo conjunctus, invitus censeri potest. At verò, uti nemo aliquâ animi passione laborat, nisi, quo tempore eâ laborat, sic affectus esse velit (est enim passio animi in homine re verâ nihil aliud, quam intensior ejusdem volitio aut nolitio; at nemo invitus unquam vult, aut velle potest) ità quoque nemo afficitur motu corporis inordinato, quatenus is passionem animi voluntariam comitatur, nisi sic affectus esse hactenùs velit. Dico, eum hactenùs velle, in quantum nimirùm simpliciter is est motûs corporeus; non quatenus hæc aut illa effecta aut consequentia secum trahit. Ità nemo voluerit febrim, quam ex

ex vehementiori ira, eaque voluntaria, sibi fortè contraxit. Qui igitur nostras Passiones animi comitantur corporis motus non minus in suo exortu ab anima nostra pendent, quam ipsæ passiones: quamobrem & nequicquam nobis hìc adversantur.

XII. *Convulsionum motus ipse ab anima est; inordinatio ejus à perturbata corporis dispositione.*

Neque convulsiones demonstrant, corpus humanum posse vivere & moveri sine mente, qua de re ità Cartesius: „Certum est „in corporibus animalium, ut etiam in nostris, esse ossa, nervos, „musculos, sanguinem, spiritus animales, & reliqua organa ita „disposita, ut se solis, absque ulla cogitatione, omnes motus „quos in brutis observamus ciere possint. Quod patet in convul-„sionibus, cum mente invita machinamentum corporis vehemen-„tius sæpè & magis diversis modis solum se movet, quam ope vo-„luntatis soleat moveri. *Pag.* 89. De organis brutorum quæ se solis motus cieant nunc nihil dicere attinet; quùm de iis & antè, & alibì. Quod ad *Convulsiones*, eas nihil facere pro Homine Automatico facilè intelligimus, si in iis distinguamus inter motum simpliciter animalem qua talem, & motûs istius inordinationem. Illum ab anima nostra excitari dicimus, vel ex cogitatione & voluntate præviâ, vel ex instinctu merè naturali; de quibus suprà. Quantum ad ἀταξίαν & inordinationem motûs, quam in convulsionibus observamus, agnoscimus eam omnem oriri à sola partium dispositione perturbata & non-naturali; atque hactenus mente invitâ accidere, non est negandum. Sed ista nihil nobis obest; quatenus in motibus ejusmodi ciendis anima, tanquam *actus corporis organici*, uti benè eam vocat Philosophus, prorsùs est organica, atque omni modo à bona machinæ corporeæ dispositione dependens. Tam ergò elegans atque efficax est hoc argumentum à convulsionibus desumtum, ad demonstrandum motus animales absque ulla anima cieri posse, ac si quis inferat, organum pneumaticum se solo, absque ulla cogitatione organistæ, edere posse sonum musicum; quia scilicet, quandò tubi obstructi sunt, aut rimosi, aut aliquo alio modo non rectè dispositi, invito artifice, machinamentum organi vehementius sæpè & magis diversis modis movetur, edendo bombum vel alium quem confusum sonum, quam voluntate musici moveri solet.

XIII. *Automata artefacta*

Pergit Cartesius: „Rationi consentaneum videtur, cum ars „sit naturæ imitatrix, possintque homines varia fabricare auto-„mata,

„ mata, in quibus sine ulla cogitatione est motus, ut natura etiam „ sua automata, sed artefactis longè præstantiora, nempe bruta „ omnia, producat, præsertim cum nullam cognoscamus ratio„ nem propter quam, ubi est talis membrorum conformatio, qua„ lem in animalibus videmus, cogitatio etiam debeat adesse; atque „ ideò majori admiratione dignum sit, quod mens aliqua reperia„ tur in unoquoque humano corpore, quam quod nulla sit in ul„ lis brutis. Vis omnis hujus argumenti, in quantum hùc pertinet, sita est in collatione automati alicujus artefacti cum re naturali. Facile foret ejus inefficaciam monstrare, & ostendendo, hâc ratione nullum tandèm admittendum fore specificum & essentiale discrimen inter res naturales atque artefactas, cum magis & minus non varient speciem; & docendo artem, quamvis naturam imitetur, nunquam tamen eò usque perfectionem hujus assequi, ut non immensùm ab ea deficiat, tùm ratione ipsarum operationum, tum ratione earundem principii. Brevitatis causâ ista similiaque nunc mittam; daboque, admittendam esse sequelam ab artefactis ad naturalia: tantùm nùm æqua sit, quæ hic instituitur comparatio, nunc videamus! Profectò automata artefacta nequaquam moventur à sola partium dispositione, sed ab adjuncto ab artifice, applicante naturale activum passivæ machinæ, principio motûs qualicunque; quale in horologio v. c. est pondus appensum, vel quid huic analogum. Ex quo concludo: Quemadmodum horologium etiam optimè dispositum se solo nullis motibus movetur, verùm hi omnes proficiscuntur ab addito motûs principio, tanquam à causa sui; ità quoque corpus animalis, quantumvis benè habens, se solo nullos motus exercet, verùm eos omnes debet addito alicui motûs principio; quod hic nobis est anima. Neque evades, excipiendo, corpus animalis, etiam sine anima vivens, non carere suo motore, etsi non interno, externo tamen, quatenus ab objectis per radios luminis, aliisque modis, hûc illûc impellitur, uti v. c. mola circumagitur à vento: talem namque explicationem refutat abundè, tùm experientia in nobis ipsis, qui deprehendimus corpus nostrum moveri, non ab extrinseco aliquo motore, sed ab animæ nostræ, tanquam principii interni, impulsu & directione; tùm, quòd, licet daretur sufficere motionem factam ab extrinseco ad operatiónem qualemcunque, nequaquam

pro rerum naturalium motibus automaticis concludendis nihil prosunt.

quam tamen ad illud referri queant operationes tam variæ & admirandæ, quales in animalium corporibus obviæ sunt; tùm denique, quod sic re ipsa omnia animalia verâ causalitate atque activitate priventur, quoniam arte facta, ab extrinseco mota, non tam agunt, quam potius aguntur: cujus theseos periculum, ut & alia hûc pertinentia, plenius excutere, alterius loci est, nimiumque ab Homine nostro Automatico recederet. Sufficiunt hactenus allata: quæ talia putamus, ut Homo Automaticus meritò habendus videatur, quicunque, ista non capiens, pugnare amplius pro Homine Automatico ausit.

DISQUISITIO
DE
CONTRADICTORIIS DEO POSSIBILIBUS.

SUMMARIUM.

I. *Contradictoria Deum posse, præter Weigelium, vix quisquam ante Cartesium contendit.* II. *Hujus in hanc rem allegati textus, qui mentem ejusdem plenius explicant.* III. *Contradictoriorum possibilitas cum primæ causæ sapientia nequaquam consistit.* IV. *Non nostræ mentis finitudo, sed ipsa rei contradictoriæ repugnantia causa existit, cur ejus idea formari nequeat.* V. *Omnipotentia Divina in veram rem terminatur, non in nihilum; adeoquè nec in*

in contradictoria. VI. *Si contradictoria Deo possibilia sint, nihil fingi tam absonum potest, quod non efficere possit Deus.* VII. *Si facere queat Deus ut contradictoria sint simul, etiam res contradictorias credendas proponere potest.* VIII. *Admissa contradictoriorum possibilitate, nullius momenti existunt quæcunque ab absurdo consequenti petita argumenta.* IX. *Quin, subvertuntur omnia omnium disciplinarum atque universæ quam unquam habere potest homo certitudinis fundamenta.* X. *Potentiæ Dei cum Voluntate ejusdem confusio præcipua novæ assertionis basis.* XI. *Objectorum diversitas evidens distinguendæ Divinæ Potentiæ à Voluntate fundamentum.* XII. *Eandem distinctionem evincit habens sese aliter Potentiæ aliter Voluntatis Divinæ exercitium.* XIII. *Neque, quandò Potentia Dei à Voluntate distinguitur, ideò minus efficax aut perfecta hæc agnoscitur.* XIV. *Productio rerum cur ad Voluntatem Dei sæpè referatur, nullâ factâ mentione Potentiæ?* XV. *Rerum possibilitat fundandæ sola sufficit Dei Sufficientia, citra ullam de Voluntate ejus cogitationem.* XVI. *Nihil perfectionis divinæ libertati detrahitur, si contradictoria Deum efficere posse, negetur.* XVII. *Possibilia, tametsi ad indifferentem primæ causæ voluntatem non reducantur, à Deo nihilominus dependent.* XVIII. *Quæ aliæ esse potuissent naturæ rerum contradictoriorum possibilitatem minimè probant.* XIX. *Nullâ parte immodestiæ reus existit, qui contradictoria infinitæ potentiæ subducit.* XX. *Propositæ quæstionis decisionem Philosopho minimè subterfugiendam esse, ostenditur.*

ditur. XXI. *Absurdè dicitur Deus per Potentiam posse, quod idem efficere nequeat per Bonitatem.*

I. *Contradictoria Deum posse, præter Weigelium, vix quisquam ante Cartesium contendit.*



Remendum quid omnique nostrâ cogitatione majus existit Divina Potentia, cujus tam immensa est summa cum perfectione conjuncta amplitudo, ut nulla de re circumspectâ magis cautelâ atque attentiore attentione quam hìc philosophari oporteat. Nusquam æquè facilè ac hoc loco impingitur, ubì inter dúo præcipitia tenere medium prudentiæ est planè non-vulgaris: adeò Dei virtutem hinc quidam absque causa restringunt arctius quam decet; indè alii temerè eandem extendunt latius quam fas est. Displicuerunt eo nomine modestioribus ingeniis jam dudum illæ maximâ sui parte inutiles, periculosæ plerumquè, etiam non rarò profanæ, de eo quod possit Deus, quæstiones ac determinationes, decisæ non minus temerè quam motæ à Scholasticis Doctoribus, hominibus otiosè laboriosis & inaniter subtilibus, nimiumque hac parte negligentibus metum istum ac venerationem, quâ sacra hæc tractare jubet & Divini Numinis supereminentia, & humanæ mentis imbecillitas. Atquì horum parùm memores adeò audaci scrutinio universa hæc mysteria contaminarunt, ut nihil à vanis suis speculationibus intactum reliquerint, neque quicquam tam absurdum hìc unquam à quoquam fuerit excogitatum, quod non in hoc hominum genere suum invenerit patronum. Vix tamen, quod sciam, omnium unus eo processit ineptiarum, qui contradictoria Deo possibilia esse contenderit. Ut omninò licuerit sperare, reperiundum fore deinceps neminem, qui suum faceret dogma, cui illorum nullus suum commodare ausus fuit patrocinium. Imprimis tale nihil exspectandum videri poterat, postquam risu & contemptu omnium explosus fuit fanaticus & plus quam transcendentaliter ineptus homo Valentinus Weigelius, inter alia ridicula suæ stultitiæ mysteria, nulli sanæ mentis homini intelligibilia, nescio quid garriens de possibili Contradictoriorum combinatione. Atquì eo vivimus seculo, quo illa quoque fieri vide-

videmus passim, quæ fieri potuisse negassent avi. Hi quidem prudenter sic habebant (& nos cum illis) multa Deum posse, quæ nos non intelligimus: ideòque nullâ demonstratâ repugnantiâ, pro evitanda temeritate, ad quæstionem, An istud vel illud Deus possit, ajebant ferè lubentius quam negabant; sæpè judicium suspendebant potius quam ut definirent temerè; dum semper subibat cogitatio, hoc vel istud, de quo quærebatur, forsitan esse ex illorum numero, quæ quidem existunt in classe possibilium, superant tamen nostrum captum, quo minus ea possibilia esse putemus. Ità piè atque modestè in tuto collocabant Divinæ Omnipotentiæ ad sui ingenioli captum comparatæ incomprehensibilitatem. Non hoc interim erat impedimento, quo minus nihil addubitantes rotundè simul pronunciarent, à perfectissima causa nequaquam ista fieri posse, quæ veram involvere contradictionem, evidenter & certò demonstrari potest. Et profectò ne fidem quidem adhibere potuissent vaticinanti, extituros brevi inter nepotes benè multos, qui affirmarent, nos determinare non posse, an Deus ea possit quæ contradictionem implicant: quin Deum facere potuisse, ut bis duo non quatuor sint, sed quinque forsan vel septem, ut trianguli tres anguli non æquipolleant duobus rectis, &c. Et tamen, etiam in medio orbe Reformato, nunc ista defendi audimus. Tam nihil amplius absurdum videtur quicquid assertionis enixum est cerebellum Cartesii, postquam eo usque invaluit apud plurimos, quo usque nostro tempore invaluit, ejus auctoritas. Hic scilicet opinionis absurdissimæ, quatenus hodiè inter suos viget, est architectus. Etsi verò ad *Johannis Crocii Anti-Weigelium*, ubì *Quæst.* 11. *Liminari* hoc commentum confutatur abundè, amandandus Vir cum sequacibus videri queat; quâ tamen ejus sectæ Philosophi illum venerantur existimatio operæ pretium faciet, ut in hanc assertionem paulò diligentius inquiramus, ostendamusque, posse nos, quin debere affirmare, Deum contradictoria producere non posse.

II. *Hujus in hanc rem allegati textus, qui mentem ut*

Verùm audiendus est antè Cartesius. Sic is, *Respons. Sext.* §. 6. *Repugnat Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt, aut unquam fient, quia nullum bonum, vel verum, vel faciendum, vel omittendum fingi potest, cujus idea in intellectu Divino prius fuerit, quam ejus voluntas se determinavit ad efficiendum*

ejusdem explicant plenius.

ut id tale esset. Neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine, vel natura, vel ratione ratiocinatâ, ut vocant, ita scilicet ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius quam aliud eligendum. Nempe, exempli causa, non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab æterno: nec voluit tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, &c. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore, ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab æterno: & quia voluit tres angulos trianguli necessariò æquales esse duobus rectis, idcirco jam hoc verum est, & fieri aliter non potest, atque ita de reliquis. Ibid §. 8. Nec opus etiam est quærere, quâ ratione Deus potuisset ab æterno facere, ut non fuisset verum bis 4 esse 8, &c. Fateor enim id à nobis intelligi non posse; atqui, &c. Quibus principiis convenienter ità alibi instituit. *Part.* II. *Epist.* VI. *Mihi non videtur de ullâ unquam re esse dicendum, ipsam à Deo fieri non posse; cum enim omnis ratio veri & boni ab ejus omnipotentia dependeat, nequidem dicere ausim, Deum facere non posse, ut mons sit sine valle, vel ut unum & duo non sint tria; sed tantum dico, illum talem mentem mihi indidisse, ut à me concipi non possit mons sine valle, vel aggregatum ex uno & duobus quod non sit tria, &c. atque talia implicare contradictionem in meo conceptu, &c.* Clarius verò, *Part.* I. *Epist.* CXV. *Quantum ad difficultatem concipiendi, qui Liberum & indifferens fuerit Deo efficere, ut non sit verum, quod tres anguli trianguli sint duobus rectis æquales, aut universim quod contradictoria nequeant esse simul vera; id facile solvi potest, considerando, potentia divina limites nullos esse posse, deinde etiam, advertendo, mentem nostram esse finitam, atque ita creatam, ut possit concipere tanquam possibilia ea quæ Deus re vera voluit esse possibilia; sed non ita, ut possit etiam concipere tanquam possibilia, ea quæ Deus potuisset quidem possibilia reddere, sed quæ tamen ipse voluit reddere impossibilia. Ex priore enim consideratione liquet, Deum non potuisse determinari seu cogi ad faciendum ut verum foret, quod contradictoria nequeunt esse simul; ac proinde potuisse illum statuere contrarium. Deinde vero altera nos monet, quod licet id verum sit, non tamen debemus laborare, ut id comprehendamus, quia natura nostra huic comprehendendo impar est. Quanquam autem Deus voluerit nonnullas veritates esse necessarias, minimè tamen sequitur id illum necessario voluisse, aliud enim prorsus est*

est velle illas esse necessarias, aliud velle necessario, seu ad id volendum cogi. Undè exertim & rotundè, *Ibid. Epist.* cx. *Dico fuisse Deo eque liberum facere, ne verum foret, omnes lineas ductus a centro circuli ad peripheriam esse equales, atque creare mundum.* Ne quis de Cartesii mente ambigat, istæc verbotim exhibuisse visum fuit. Nunc rectà propero ad examen theseôs principalis, puta, *potuisse Deum statuere, ut contradictoria sint simul.*

III. *Contradictoriorum possibilitas cum primæ causæ sapientia nequaquam consistit.*

Primùm quidem extra controversiæ aleam positum est, Divinam potentiam non esse vim brutam, aut merum impetum rationis moderamine destitutum. Minimè quadrat talis cogitatio in absolutam omnibus numeris primi entis perfectionem; quæ non sinit id gaudere potentiâ, nisi absolutè perfectâ, atque ideò summè rationali, quæque adeò nihil agat vel agere possit, nisi ex rationis præscripto. Evincitque abundè rerum omnium in hoc universo stupenda concatenatio, atque in suos fines directio, principium sui non minus rationale quam potens. Atquì nemo sapientem æquè agnoscere potest causam primam ac potentem, qui non fateatur, nihil à summa ratione produci posse, quod non ipsa, uti loquitur Philosophus & Poëta Christianus,

Superno
Ducat ab exemplo, similique in imagine formet.

Jam verò contradictoriorum, qua talium, ideam nullam dari posse, operosâ demonstratione minimè indiget. Scilicet, quæcunque contradictoria sunt, hoc ipso contradictoria sunt, quod secundum unionem illorum prædicatorum, quorum respectu contradictoria existunt, concipi planè nequeant. Etenim, cum rei contradictio consistat in ipsa prædicatorum, ut ità dicam, incompatibilitate, quâ per unum eorum positum alterum prorsùs evertitur, & contrà, manifestum est, rem omnem contradictoriam necessario sui ipsius esse eversivam, quippe quæ tantum ob hoc ipsum contradictoria existit. Quumque rei conformis sit ejusdem idea, etiam, si rei contradictoriæ daretur idea, ipsa sui eversiva foret; id est, nulla omninò dari potest. Quæcunque ergò res verè contradictoria est, hoc ipso quod talis est, etiam absolutè inconceptibilis est: ut inconceptibile & contradictorium sint re verâ voces æquipollentes. Vel itaquè rerum contradictoriarum ideas Deum non habere; vel si habeat, eo ipso quia earum

ideas habet, res illas contradictorias non esse, dicendum erit. Posterius contra hypothesin est. Prius apertâ sequelâ infert, Deum res contradictorias producere non posse. Neque enim, ut jam diximus, quicquam cujus non habeat in sua mente ideam producere is potest, qui non nisi summa cum ratione atque ex consilio sapientissimo producere potest, quodcunque producere potest.

IV. *Non nostræ mentis finitudo, sed ipsa rei contradictoriæ repugnantia causa existit, cur ejus idêa formari nequeat.*

Non autem hìc evades (ut ab initio viam præcludamus exceptioni, quâ & hanc, & alias nostras, quas adducemus rationes, enervare nituntur) distinguendo inter id quod à nobis, atque id quod à Deo possit concipi. Posse nimirùm fieri, ut rei cujuspiam, v.c. contradictoriæ, idea à nobis quidem formari nequeat, quæ tamen formetur à mente divina; cujus ratione incomprehensibilis sapientiæ infinitus est præ nostro intellectu excessus. Verum nihil ista habent, quo quem adstrinximus nodum quicquam solvatur. Non enim hìc quæritur, quid nos concipere possimus, & an non ampliora Deus queat concipere quam nos, quæ nihil ad rhombum: sed quæstio præcisè est, an quæ prædicata nos in eodem conceptu unire non possumus, quia intelligimus, ex introspecta ipsa eorum intrinseca natura, omnem omninò unionem illa respuere, an, inquam, eadem hæc Deus in sua mente unire, si voluisset, potuisset, consequenter & eorundem inter se unitorum ideas nobis indidisse? Ubì notandum, aliquâ specie hæc dici posse, si supponeretur, mentem nostram, tantum ob sui imperfectionem & finitatem, rem quampiam contradictoriam, v. c. Circulum triangularem, concipere non posse: sic enim cogitare liceret, forsan perfectiorem intellectum, puta divinum, omninò eam concipere posse. Atquì quoties rem contradictoriam esse intelligimus, clarè distinctèque percipimus eam ideò nobis judicari contradictoriam, quia ipsa prædicatorum contradictoriorum natura propius introspecta talis deprehenditur, ut, hoc ipso quod talia sint, omnem mutuam unionem à parte sui respuant. Ità quoties cogitamus, vel rei conformis est conceptus, vel non est. Si non sit, res verè contradictoria non erit, sed per errorem mentis talis tantùm nobis videbitur. Atquì Deum posse ea quæ falsò contradictoria putantur, neque tamen verè talia sunt, utì indubium est, ità ad præsentem controversiam nihil id attinet. Si verò talis conceptus rei omninò sit conformis, rogare lubet, quo pacto mens

mea

mea verè intelligat duo prædicata ob ipſam ſui naturam uniri non poſſe, ſi tamen Deus ea & in ſua mente unire, & unitorum ideam nobis indere, & unita in eodem ſubjecto producere quoque queat? Profectò, ſi ea conjungere poſſit Deus, vel mens mea prædicatorum illorum naturam non verè concipit, cum cogitat ea uniri non poſſe; vel eorundem naturam priuſquam cum altero alterum conjungat, mutare debebit Deus. Utrumque à præſenti quæſtione alienum, quandò de unione eorum diſputamus, quæ verè contradictoria ſunt, & talia manent. Ut abſolvam, tentemus in exemplo jam allegato Circuli triangularis quid ipſa rei natura patiatur, nulla habitâ ratione illius quod mens noſtra concipere poſſit, aut non poſſit. Poſito Circulo, ponitur certè figura, in qua omnes circumferentiæ partes ab eodem centro æqualiter diſtant: poſito Triangulo, ponitur figura, in qua omnes circumferentiæ partes ab eodem centro inæqualiter diſtant. Diſtantia hæc partium æqualis in circulo, inæqualis in triangulo, eſt non noſtræ mentis, neque ideæ in noſtra mente, ſed utriuſque tum circuli tum trianguli ipſius verum ac reale, quin eſſentiale, prædicatum, ab utroque, donec erunt circulus & triangulus, per naturam ſuam inſeparabile. Uniantur nunc iſta, ſi ità lubet! Numquid unitæ figuræ partes omnes à centro diſtabunt æqualiter? Si diſtent, circulus quidem erit, ſed non triangulus; ſi non diſtent, triangulus quidem erit, ſed non circulus. Vides, ut utrumque, manens id quod eſt, cum altero, ratione prædicatorum in quibus pugnant, uniri abſolutè nequeat? Ineptum itaquè eſt quicquid pro palliando hoc abſurdorum abſurdiſſimo in medium adfertur de finitate noſtri, infinitate Divini intellectûs; quæ neutra rerum naturæ quicquam vel addit vel detrahit. Atque hæc ſimul & ſemel, per omnem hanc noſtram Diſſertationem perpetuò deinceps obſervanda, monuiſſe ſuffecerit.

Cæterùm, non duntaxat in cauſæ ſupereminentiſſimæ abſolutam omnibus numeris ſapientiam graviſſimè impingit theſis, aſſerens, *Deum potuiſſe efficere, ut contradictoria ſint ſimul*; verùm & ipſam Ejus Omnipotentiam penitus evertit: tantum abeſt, ut infinitati illius ritè agnoſcendæ ac ſtabiliendæ inſerviat. Id facilè demonſtravero, ſi planum fecero, eos, qui ad Omnipotentiam pertinere autumant poſſe contradictoria, talem Enti Omnipotenti

V. *Omnipotentia Divina in veram rem terminatur, non in nihilum; adeo-*

quæ nec in contradictoria.

tribuere vim, quæ re verâ *Potentia Nihili* est: quod oppidò absurdum esse, ac Divinâ Majestate prorsus indignum, nemo negaverit, nisi nimiùm ab omni ratione alienus. Nimirùm jam antè ostendimus, rem contradictoriam sui esse eversivam, dum prædicata involvit, quorum alterum tollit alterum; indèque, eam ne concipi quidem posse, confecimus. Quid autem aliud Nihil est, quam quod nec est, nec concipi potest? Potentia ergò nihili est, quæ contradictoria potest. Atquì quæ potentia nihili est, nulla est revera. Omnis enim potentia, omnisque potentiæ exercitium, cum sit quid reale, realem etiam terminum, in quem terminetur, requirit. Quamobrem potentiæ alicujus terminum statuere Nihil, aliud nihil est, quam quicquid realis perfectionis in potentia quapiam continetur, reipsà tollere & abnegare. Dic ergò Deum producere posse contradictoria, dices simul, Deum producere posse nihil: quod ut Omnipotentiam arguat tantùm abest, ut eleganter alibì & acutè concludat ex adverso Augustinus, Deum, *quià nihil non potest*, *posse omnia.* Lubet adjicere, quæ non absimilia urget, *Loc. cit.* Crocius, ubì inter alia differit hunc in modum: „ Quæ combinari possunt, ea possunt habere „ rationem objecti, quod cadat sub Dei omnipotentiam. At „ contradictoria non possunt rationem objecti habere, quod sub „ Dei omnipotentiam cadat. Ratio: quia quod sub Dei omnipotentiam cadit, id potest entis rationem habere. Est argu- „ mentum Thomæ sic scribentis: *Est autem considerandum, quod, „ cum unumquodque agens agat sibi simile, unicuique potentiæ activæ „ correspondet possibile, ut objectum proprium, secundum rationem „ illius actus, in quo fundatur potentia activa: sicut potentia calefa- „ ctiva refertur, ut ad proprium subjectum, ad esse calefactibile. Esse „ autem Divinum, super quod ratio Divinæ potentiæ fundatur, est esse „ infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se „ totius esse perfectionem. Unde quicquid habere potest rationem entis, „ continetur sub possibilibus absolutis; quorum respectu Deus dicitur „ Omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, nisi non-ens. „ Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti quod subditur Divinæ „ omnipotentiæ, quod implicat in se esse & non-esse simul. Hoc enim „ omnipotentiæ non subditur: non propter defectum Divinæ potentiæ; „ sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. Qua- „ cunque*

„ *cunque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus con-* „ *tinentur, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Ea vero quæ* „ *contradictionem implicant, sub Divina omnipotentia non continentur,* „ *quia non possunt habere possibilem rationem* 1. *p.* *q.* 25. *art.* 3. Optimè sic, cum Thoma, Vir doctus, qui pergit *ibidem* sexdecim aliis rationibus impugnare dogma Weigelianum. Nos ad nostra revertimur.

VI.
Si contradictoria Deo possibilia sint, nihil fingi tam absonum potest, quod non efficere possit Deus.

Quod si sit admittendum, *Deum statuere posse, ut contradictoria sint simul*, utiquè nihil tam absurdum, atque ab omni ratione alienum dici poterit aut cogitari à quoquam, quod non sub Divinam potentiam cadat, ceu idoneum ejusdem objectum. Etenim, cum contradictionis ratio in hoc sita sit, quod rei cujuspiam prædicata incompatibilia existant & sese tollant, etiam in omnibus eadem illa erit atque uniformis. Itaquè, admisso, Deum suâ virtute efficere posse rem contradictoriam unam, admittendum erit pariter, eundem efficere posse quamlibet. Si, V. C. ità potuerit Deus instituere naturam, ut *bis ter non sint sex*, aut *tres anguli trianguli rectilinei non sint æquales duobus rectis*, quid nì, obsecrò, quâ ista potuit virtute etiam possit sic instituere naturam, ut Possibilia nunquam possint existere, aut, ut Homo non sit rationalis, aut, ut Materia non sit extensa, aut deniquè, ut Universa natura rerum talis existat qualis existit nunc, & tamen simul existat prorsus alia, quam qualis nunc existit? Hæc, similiaque sexcenta, fieri à Deo posse, numquis sibi persuadere possit, miror. Quod si quis nihilominus conetur, metuendum meritò, ne infinita hæc insania abeat tandem in purum putum Atheismum. Scilicet, si indiscriminatim quidvis possit Deus, faxit itaquè (absit dicto profana cogitatio! absit blasphemia!) ut Ipse non sit Independens, adeoque non-Deus. Quid nì enim hoc possit istiusmodi potentia? Imprimis, si (quod contendunt Novatores) credendum sit ità Deum *à se esse positivè*, ut ejus existentia *potentiæ* subjiciatur in tantum, ut hæc *planè sit causa, cur Deus esse perseveret*, sicque Ipse *se Ipsum suâ propriâ potentiâ conservet*. Quid ni quoque independentem esse faciat creaturam, eamque absolvat ab omni subjectione & reverentiâ erga sese? Et quis absurditatum finis, si quævis contradictoria Deo statuantur esse possibilia?

Porrò

VII. *Si facere queat Deus ut contradictoria sint simul, etiam res contradictorias credendas proponere potest.*

Porrò, cum verba duntaxat signa rerum sint, nulla major absurditas est in contradictione logica, quæ notat repugnantiam in verbis, quam quæ est in contradictione metaphysica, quæ dicit repugnantiam rei, ratione prædicatorum essentialium. Imò, illa tota huic innititur, cum modus prædicandi eum qui essendi est necessariò sequatur. Consequenter, qui Deus facere potest, ut contradictoria simul sint, idem ille de eadem re prædicata contradictoria enunciare quoque poterit. Quod qui absurdum non autumat, viderit, quì salvari queat, ut non omnis penitus è medio tollatur, oraculorum Divinorum indubitata Auctoritas; cujus fulcrum unicum est immutabilis illa Deî & constans veracitas, quâ in dictis & factis sibi semper similis adversari sibi nequit. Quanto rectius cum Apostolo credimus, oracula Dei esse non posse ναὶ καὶ οὔ; firmiterque tenemus cum eodem, ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεὸν: quippe qui, contradictoria revelando, non magis abnegare potest testimonii sui certitudinem, quam ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν δύναται. Verùm ista aliud imprimis spectant Novæ Scholæ mysterium (quamvis ab hoc ipso quod præ manibus est procul dubio oriundum) *Deum posse fallere, si velit*: quod Viris pluribus doctissimis confutatum est jam dudum. Unum addo. Frustrà, si Nostris hominibus credimus, sudarunt, quotquot unquam laborarunt Theologi maximi in conciliandis sacræ Paginæ locis in speciem repugnantibus, ac vindicandis à contradictionibus Fidei Christianæ Mysteriis. Quanto facilius nodos istos uno ictu rescidissent, si sic habuissent, *Deum facere posse, ut contradictoria sint simul*? At tantum non sapuerunt, quibus nondum, utì alibì loquitur profanus Philosophus S. Scripturæ Interpres, *Cartesianæ Philosophiæ lux affulserat*. Quâ etiam destituti in tenebris palparunt haud dubiè quotquot unquam eruditi Divinam Auctoritatem derogarunt Apocryphis Christianorum, Talmudi Judæorum, Korano Muhammedanorum, hoc, inter alia, usi argumento, quod contradictiones in iis reperiantur; cujus omnis vis enervata atque tota acies vitrea est, si stet assertio Cartesiana.

VIII. *Admissâ contradictoriorum possibilitate,*

Quin per hanc thesin simul & semel rejiciuntur atque exploduntur quotquot unquam à Theologis & Philosophis quibuscunque adducta fuerunt argumenta ab absurdo consequenti & manifesta contradictione petita. Etenim omnis iste argumentandi modus in

eo

eo fundatur & ex hoc uno robur habet, quod contradictoria nequeant simul esse vera. Facessant igitur Orthodoxi, qui passim rationibus indè desumptis Pontificiorum transsubstantiationem & Lutheranorum consubstantiationem, tanquam argumentis omnium captui manifestissimis, & cuivis rectâ ratione utenti indubiis, impugnarunt. Quam enim facilè ex hac philosophatione didicerint ad illa omnia regerere, mentem suam finitam haud debere definire, nùm Deus ea, etsi contradictoria sint, facere possit. Habent profectò isti de quo sibi gratulentur, quod ex ipsis nostris quidam tantam dent stragem rationum benè solidarum, quibus constringebantur nimium. Certè virorum prudentium jam olim hæc conjectura fuit, præcipuum Cartesio in asserenda contradictoriorum possibilitate scopum fuisse, ut viam pararet, ad se coram suæ fidei hominibus liberandum facilius ab hæreseôs suspicione in negotio de Missa. Quandoquidem enim secundum suæ philosophiæ fundamenta panem verum istic esse negare non poterat, ubi est extensio modificata omnibus modis quibus extensio panis modificari solet; contrarium tamen ejus credere juberet Romana fides, non aliud restabat effugium, quam tandem fateri, contradictoria quidem hæc esse, atquì non ideò impossibilia Deo, quippe qui contradictoria quoque ut sint vera facere possit. Hac scilicet viâ incedere cum Cartesio Reformatis Doctoribus egregia laus est! Atquì, queis minus attenditur sua religio, suum saltem eis cordi esse deberet dogma. Si enim contradictoria possint esse simul, quid fiet de pulcherrimis illis Neotericorum argumentis, à contradictione petitis, quibus passim impugnare solent possibilem plurium Mundorum existentiam, duorum corporum nullo tertio interposito distantiam, Telluris quietem, &c. Omnia certè illa aliud nihil erunt quam plumbei pugiones, quibus umbonem Divinæ omnipotentiæ, ad contradictoria etiam se extendentis, objicere facillimum fuerit cuilibet dissentienti. Neque præsidium hìc esse potest in ideis innatis, quas alias indere debuerit nobis tali in casu Deus: quid nì namque qui contradictoria potest, possit id quoque quod ideis adversatur?

nullius momenti existunt quæcunque ab absurdo consequenti petita argumenta;

IX. Deniquè, absurdissimum commentum funditùs evertit scientiarum omnium principia & fundamenta, qualia sunt, *Non-entis non sunt affectiones*, *Agere supponit esse*; *Totum est majus suâ parte*, &c.

Quin, subvertuntur omnia

omnium disciplinarum atque universæ quam unquam habere potest homo certitudinis fundamenta.

&c. Nominatim illud primo-primum, *Impossibile est idem simul esse & non esse*; cujus contrarium verissimum est, si contradictoria simul queant esse vera. Id verò si detur, mira sese offert oculis nostris rerum facies. Ineluctabilis nimirùm introducitur Scepticismus; dùm, perempto penitus omni certitudinis fundamento, nihil certi relinquitur, præter unum hoc, *Contradictoria possunt simul esse vera*. Atquî per hoc ipsum sic omnia alia ponuntur incerta, ut pedem nuspiam figere liceat ad emergendum ex vortice, cujus centrum necessariò tandem fuerit stultissima illa persuasio, quæ quondam cujusdam Rhetorii fuisse dicitur, *Benè sentire omnes, errare neminem*. Quæ cogitatio cui allubescit, planè ei motum esse cerebrum oportet. Et quid, obsecrò, statuendum fuerit signatè de binis illis, quibus inædificata existit omnis Novæ sapientiæ moles, columnis, *Quod clarè & distinctè percipio est verum*, &, *Cogito ergò sum*? Nihil certè repugnabit, falsa esse quæ clarè percipiuntur, aut, Cogitantem non existere, si *Idem possit simul esse & non esse*, sive, quod eodem redit, si contradictoria possint esse simul vera. Viderint itaquè Recentiores, quantum ità philosophantes arci suæ ipsi eripiant Palladium. Excipies forsan, etsi statuatur Deum absolutè facere potuisse, ut neque hæc principia vera forent, non tamen eum id facere voluisse. Verùm undè sis certus, non etiam voluisse, si possit? quæro ego. Justissima enim de re qualibet, etsi verissima videatur, manebit dubitandi ratio, quamdiu stat thesis, Deum facere posse ut contradictoria sint simul vera. Sed jam dudum nimius sum in convellendo absurdorum omnium absurdissimo: *etenim* (benè alibi Aristoteles) *possibile non est, quempiam putare, Idem esse ac non esse*. Plura qui cupit, præter *Crocii Anti-Weigelium*, conferre poterit doctissimi *Herebortii Disput. Select.* XL. *Vol.* II. *Meletemat.*

X. *Potentiæ Dei cum Voluntate ejusdem confusio præcipua novæ assertionis basis.*

Præcipuum, quo nititur opinio de Contradictoriis Deo possibilibus, fundamentum est, quod ejus patroni nullam aliam possibilitatis radicem agnoscant, præter Divinam volitionem. Nempè, ajunt, liberrima hæc est, &, utì ad alia omnia extra se, ità quoque ad contradictoria, prorsus indifferens; adeò ut per illam oppositum ejus, quod nunc per voluntatis actum definitum est, si lubitum fuisset Deo, definiri potuisset. Sic V. G. Triangulum ideò tres angulos habere volunt duobus rectis æquales, ejusque

talis

talis ideam nobis indidisse Deum, quia decreto liberrimo definiverat, triangulum tres tantùm, non plures, eosque tales & tantos, non alios, angulos habiturum. At si voluisset Deus, addunt, eâdem, quâ nunc hoc constituit, libertatis indifferentiâ oppositum ejus potuisset constituere; triangulum scil. habiturum angulos, qui simul sumpti duobus rectis minores sint, majoresve; iis convenienter, aliam quoque menti nostræ indere trianguli ideam, quam nunc indidit; alium denique de facto, quam nunc produxit, producere potuisset. Hæc omnis philosophatio quid habeat solidi, omnium optimè apparebit, ubi inquisiverimus in hypothesin, quam, ceu πρῶτον ψεῦδος, præsens assertio substernit, quâque contendunt Omnipotentiam Divinam eandem omninò esse cum efficaci Numinis Voluntate. Suffodiendum paucis est hoc fundamentum, quo minori labore diruatur ei inædificata controversa thesis.

XI. *Objectorum diversitas evidens distinguendæ Divinæ Potentiæ à Voluntate fundamentum.*

Itaquè (ut hinc ad ista respondere ordiar) falsum est, Omnipotentiam Dei à Voluntate Ejusdem nullo pacto distingui. Si quod enim inter alia Dei Attributa existat distinctionis rationis ratiocinatæ, utì vocant, fundamentum, hoc loco certè existit. Nimirùm, non quæcunque Deus potest ea aliquando existunt. At quæcunque Deus vult efficaci Voluntate, omninò vi ejusdem aliquandò existunt. Quamobrem non frustrà Potentia à Voluntate in Deo distinguitur pro modo concipiendi nostro. Existere aliquandò omnia, quæ Deus vult voluntate efficaci, per se clarum est; neque enim efficax dici potest Voluntas, quæ non pariter sic sit efficiens, ut re ipsâ quæ vult ponantur. Quod imprimis admittendum iis, qui, cum Recentioribus, nullum operum Divinorum principium agnoscunt præter Voluntatem Dei efficacem, indèque Dei ipsam Creationem & Providentiam nihil aliud ab ea esse dicunt. Restat ergò, ut demonstremus, non ea omnia aliquandò existere, quæ Deus potest. Id manifestum evadet, si attendamus, ab una parte solius Dei prærogativam esse, ut, quemadmodum absolutissimè independens est & omnisufficiens, sic quoque perfectiones ipse possideat nullo numero nullo gradu definitas; cùm tamen ab altera parte nihil unquam creatum existat, extiterit, aut extiturum sit, quod non sit finitæ perfectionis; quandoquidem de natura rei dependentis est certis perfectionum

limitibus, ex arbitrio causæ à qua pendet atque esse suum accepit, circumscriptum esse. Nunc si conferamus Dei perfectiones infinitas cum perfectionibus rei creatæ finitis, clarissimum est, nullam prorsus harum ad illas esse aut unquam esse posse proportionem. Undè sponte sua sequitur, Deum infinitum, propter ipsam perfectionum suarum infinitatem, nunquam ità creaturæ finitæ has communicare posse, quin modis & gradibus infinities pluribus & majoribus eas communicare adhuc queat. Viden, nunquam existere posse, quæcunque Deus absolutè potest; posse tamen quin debere existere, quæcunque efficaciter vult? Atquì tam diversa objectorum latitudo nisi sit sufficiens & idoneum inter Potentiam Dei & Voluntatem distinguendi fundamentum, quid erit tandem?

XII. *Eandem distinctionem evincit habens sese aliter Potentiæ aliter Voluntatis Divinæ exercitium.*

Adde, exercitium Potentiæ esse actionem transeuntem, quæ per se ponit veram rei, hactenùs merè possibilis, existentiam extra Deum; quum actio Voluntatis immanens sit, nullamque talem rei coexistentiam ex sese inferat. Ab æterno nimirùm rectè concipias Deum actuosum volendo, i. e. decernendo de futura rerum existentia: at non rectè (loquor de modo concipiendi nostro) actuosum concipis efficaci potentiâ; quippe cujus exercitium connotat actualem rei possibilis extra Deum existentiam, quam æternam concipere nec possumus nec debemus. Atque istis convenienter Theologi & Philosophi passim benè dixerunt Voluntatem Dei in rerum productione se habere ad instar principii imperantis, Potentiam ad instar exequentis. Eodemque fundamento iidem distinxerunt rectè inter Potentiam Absolutam, quâ Deus, sepositâ omni cogitatione de Decreto, attendendo duntaxat ad absolutissimam Ejusdem Sufficientiam, ea posse dicitur, quæcunque velle potest; & inter Ordinatam, quâ, æternum Decretum supponente, ea potest Deus, quę pro liberrimo beneplacito ipso facto aliquandò extitura voluit. Undè &, præeunte quoque ipsâ S. Scripturâ, plura semper iisdem habita possibilia, quam quæ Deus aut fecit unquam, aut facturus est. Neque, ut verum fatear, video, quì queant, salvis suis hypothesibus, hanc Potentiæ Divinæ divisionem, & per consequens ejus à Voluntate distinctionem, rejicere, qui tuentur, Deum *potuisse* statuere, ut contradictoria sint simul, *non* tamen id *posse*, posito quod has non alias nobis indere

vo-

voluerit rerum ideas. Ecce! *potuit* Deus absolutè, quod idem *non potest*, ex hypothesi quod sic *voluerit*, non aliter. Saltem, si Potentia Dei à Voluntate neutiquam sit distinguenda, peribit planè elegantissimus ille Cartesii conceptus, quem dictat *Part.* I. *Epist.* CXV. *Mentem nostram esse finitam, atque ita creatam, ut possit concipere tanquam possibilia ea quæ Deus* REVERA VOLUIT *esse possibilia; sed non ita, ut possit etiam concipere tanquam possibilia, ea quæ Deus* POTUISSET QUIDEM *possibilia reddere, sed quæ* TAMEN IPSE VOLUIT *reddere impossibilia.* Capiat mysterium qui potest! Sed simul absolvat, obsecrò, à crassa contradictione, si nulla inter Potentiam, quâ talia *potuisset quidem* Deus, & Voluntatem, quâ eadem *non tamen reverâ voluit*, intercedat distinctio.

XIII. *Neque, quando Potentia Dei à voluntate distinguitur, ideò minus efficax aut perfecta hæc agnoscitur.*

Neque pro confundenda Divina Potentia cum Voluntate quicquam facit, quod contendant, plurimum perfectionis Voluntati Divinæ detrahi, nisi ea per sese sufficiens agnoscatur ad ea producenda, quæ existere vult Deus: qualis procul dubio non agnoscitur, quandò indigere statuitur Potentiâ exequente. Speciem enim aliquam ista habere videri possent, si Voluntas in productione rerum penderet à Potentia, ut à principio quopiam reverâ à se distincto. Verùm, quandoquidem omnis hæc Potentiam inter & Voluntatem distinctio, consequenter & ordo inter easdem, tantùm rationis est, & pro modo concipiendi nostro (quamvis conceptu in re fundato, respectu objectorum & effectorum, utì demonstratum dedimus) nulla utiquè metui hinc potest vel umbra imperfectionis; quum aliud nihil sic indicetur, quam Deum res ipso facto extra se existentes producere, non præcisè qua Volentem, sed qua Potentem. Certè, & ipsi dissentientes non illubenter agnoscunt, res creari à Deo formaliter, non per Intellectum, sed per efficacem Voluntatem. An verò & ipsi ideò multum perfectioni Intellectûs Divini detrahere dicendi erunt, quod Deum, non qua intelligentem præcisè, sed qua volentem res producere statuant? Nimirùm, perfectio cujusque Attributi Divini æstimanda est in suo genere; non ex collatione eorum prædicatorum quæ aliis Attributis, non huic, formaliter conveniunt. Quis v. G. Visum perfectum dici non debere autumet, si non sonos percipiat; aut Auditum, si non videat colores. Itaquè, quemadmodum perfectissimus est Intellectus Divinus, eo quod perfe-

ctissimo modo intelligat omnia omninò quæ intelligi possunt, etsi interim tantùm sit principium operum Divinorum dirigens, non formaliter imperans, uti est Voluntas; ità quoque Voluntas Divina perfectissima fuerit, eo quod liberrimè & independenter velit quæcunque vult, etsi rerum creatarum tantùm sit principium imperans, non exequens formaliter, quale est Potentia.

XIV. *Productio rerum cur ad Voluntatem Dei sæpè referatur, nullâ factâ mentione Potentiæ?*

Affine isti est aliud, quod pro tollenda inter Voluntatem & Potentiam Dei distinctione adferunt. Passim, inquiunt, quibusvis Auctoribus, Philosophis & Theologis, ipsisque imprimis Sacris Scriptoribus frequens est & solenne dicere, omnia *esse & creata esse per Voluntatem Dei*, sic ut *Ipso jubente res existat.* Undè superfluum esse concludunt, in operationibus Dei transeuntibus Potentiam concipere tanquam principium earundem proximum, à Voluntate per nos distinguendum. Sed frustrà sunt, quandò sic arguunt: neque enim ea pugnant, quæ ordinem aliquem inter sese dicunt. Sunt omninò res conditæ, ut jam dixi, per Divinam Voluntatem, tanquam per principium imperans; at non id obstat, quo minus eædem creatæ sint per Potentiam, tanquam per principium exequens. Etiam in Sacris non semel Deus dicitur *extendisse cœlos*, aut *formasse terram*, *per Intellectum.* Quid ni ergò, si ista consequentia firma sit, abundet etiam atque expungatur ipsa Voluntas. Possunt igitur creata omnia referri jure merito, & ad Intellectum Divinum, quatenus ex amussi æternarum in mente Divina idearum ea efformantur; & ad Voluntatem, quatenus operatur Deus omnia secundum immutabilis consilii seu decreti propositum; & ad Potentiam, quatenus suam sic exerit sufficientiam, ut ipso facto res existant. Quod interim res Deo *jubente adesse* dicantur, haud caret suâ emphasi. Non quasi jussa Dei sint immediatum existentiæ rerum, nullâ intercedente ejusdem Potentiâ, principium; sed quod absque mora res existat, ità Volente Deo, quoniam Volitio talis comitem habet Potentiam planè irresistibilem, ac vim insuperabilem, quæ sic operatur absque omni labore & conatu, ut nihil ei obicem ponere queat, quo minus, simulac vult Deus, res existat, qualem vult: quo sensu ille inter Antiquos, *Velle Dei, posse est.* Cæterùm tamen non frustrà in Sacris *Manus* Dei cum *Consilio* Ejusdem conjungitur; sic ut *Manu sua implere* dicatur, quæ, juxta prædictiones *operatur secun-*

cundum consilium Voluntatis. Quæ ipsissimam nostram sententiam hac parte exprimunt. Nunc ista evincendæ distinctioni rationis ratiocinatæ inter Potentiam Dei & Voluntatem sufficiant.

XV. *Rerum possibilitati fundandæ sola sufficit Dei sufficientia, citra ullam de Voluntate ejus cogitationem.*

Eâ verò admissâ, quæcunque adversâ hypothesi nituntur, mole ruunt suâ. Nominatim, quandoquidem possibilia quævis sunt possibilia, & talia denominantur, propter dependentiam à potentia alicujus causæ agentis, patet etiam quæ Deo possibilia dicuntur referenda esse ad Divinam Potentiam tanquam ad radicem suam: non autem ad Voluntatem; undè volibilia seu volita rectius dixeris, qualia sunt ea, de quorum futuritione ab æterno per decretum definitum est penes Deum. Clariora hæc evadent, si, quid per Divinam Potentiam intelligi debeat, verbo explicuerimus. Nimirùm, Deus, tanquam Ens perfectissimum, omni perfectionis genere abundans, hoc ipso Omnisufficiens est. Neque sibi tantùm existit talis, sed & quibusvis quæ extra Ipsum concipi queunt alia. Attendentes igitur duntaxat ad meram hanc Dei sufficientiam, tam eam sine mensura superabundantem intelligimus, ut hinc facili viâ ducamur, ad cogitandum, ex inexhausta plenitudine entis infinitè boni scaturire prosse hos istos participatæ bonitatis rivulos; juxta tritum illud, Omne bonum communicativum sui. Sic ut Potentia Divina aliud nihil sit, quam infinita ejusdem perfectio, seu sufficientia, quatenus ab ea perfectiones quædam finitæ & participatæ fluere aptæ sunt. Quæ eædem perfectiones, spectatæ ut dependentes à prima perfectione, sunt ipsa possibilia. His itaquè concipiendis nullâ opus esse de Divina Voluntate cogitatione, res ipsa monstrat; nisi indè pergas meditari, Deum, tanquam summam rationem, etiam sibi in suis perfectionibus placere; quin & placere in hoc, quod quædam suarum perfectionum, quæ antè erant merè expressibiles, ipso facto quoque aliquandò sint exprimendæ. At cùm illa voluntas approbans sit, hæc decernens, neutra ad ipsam rerum possibilitatem sese extendit, verùm utraque hanc supponit; nempe non per indifferentem Voluntatis determinationem Deus omnisufficiens est, sed ipsâ suâ naturâ. Quid ergò? Uti Deus antecedenter ad omnem suæ liberæ Voluntatis actum (loquor de modo concipiendi, quo nos ordinem inter Attributa Dei constituere solemus) Omnisufficiens est, sic & antecedenter ad eundem est Omnipotens, seque Ipsum tanquam talem re ve-

râ intelligit. Quumque cum Potentia immediatè atque indivisim cohæreant Possibilia, tanquam correlatum cum suo relato, luce meridianâ clarius est, etiam antecedenter ad omnem actum Divinæ Voluntatis Possibilia esse talia, & tanquam talia à Deo cognosci. Falsum igitur est, rem hanc, v.c. triangulum, esse possibilem, aliam, sume circulum triangularem, esse impossibilem, tantùm quia liberrimâ volitione sic præfinivit Deus. Consequenter, non jam quæcunque Deus reddere potuit possibilia, sed ea, tanquam possibilia, producere duntaxat potest, quæ cum Omnisufficientia nexum habent indissolubilem. Tale quid non est Contradictorium; quippe quod, si detur, uti est sui eversivum, sic quoque eversivum foret sufficientiæ Divinæ, à qua flueret, & in qua, ceu causa, contineretur. Quæ omnia tam sunt certa & manifesta, omnemque adeò hic tollunt difficultatem, ut entia citra necessitatem multiplicarem, si dictis quicquam adderem. Quid si verò liberalis quoque sim, demque, (præter ullam necessitatem, contra omnem veritatem) radicem possibilitatis esse ipsam Dei Voluntatem, ne sic quidem conficietur, etiam ad contradictoria eam extendi debere, vel posse. Certè omnis Voluntas rationalem complacentiam connotat; rationaliter autem nemo sibi placere potest in re quam non intelligit. Quare, cum voluntas tendens in rem quæ non cognoscitur etiam sapiente homine indigna sit, ipsa citra controversiam à Deo removenda est; fixumque adeò manet, nihil Deum velle, nihil velle posse, quam quod intelligat. At jam antè demonstratum dedi, rei contradictoriæ prædicata ipsâ suâ naturâ sese ita evertere, ut concipi prorsùs nequeant. Nequit ergò Deus velle contradictoria, si quod vult vult rationaliter, i. e. non nisi præviâ intellectûs perceptione.

XVI. *Nihil perfectionis divinæ libertati detrahitur, si contradictoria Deum efficere posse, negetur.*

Nihil autem roboris objectioni accedit ex eo quod assumitur, de Actionibus Dei ad extra indifferenter liberis; quasi hinc conficiatur, indifferenti voluntate Deum definire potuisse oppositum ejus quod nunc definivit, atque ideò facere potuisse ut contradictoria fuissent possibilia, æquè ac constituit ea fore impossibilia. Notandum enim est (ne quicquid hùc pertinet adducam) receptam hanc regulam, de Deo in actionibus ad extra indifferenti, respicere illorum, quæ possibilia supponuntur, tum futuritionem, venia sit voci, atque existentiam, tum etiam pædicata quælibet

corum

eorum extra-essentialia, quæ in rem quamque plura aut pauciora conferre aut non-conferre, pro mero voluntatis placito, potuit Deus. Atquì non eo innui indifferentem esse causam primam ad quælibet attributa, etiam contradictoria, in re qualibet ponenda, vel id satis evincit, quod dici nequaquam possit, citra divinæ perfectionis abnegationem, Deum creaturam, quam voluit producere finitam, dependentem, veram, bonam, &c. producere potuisse infinitam, independentem, falsam, malam, &c. Scilicet nulla est in ente perfectissimo cogitanda libertas, quâ indifferens existat ad ea quæ perfectissimæ suæ naturæ repugnant. Ex quibus signatè liquet, quam sit absurda illatio Cartesii, concludentis *loc. cit.*, etiam ad contradictoria Potentiam Divinam extendi debere, quoniam *liquet, Deum non potuisse determinari, seu cogi, ad faciendum, ut verum foret, quod contradictoria nequeunt esse simul; ac proindè potuisse illum statuere contrarium.* Crassior profectò philosophatio, quam quæ subtilibus Viri meditamentis digna sit! Quid enim? Putandumne, Deum *cogi*, ut sit talis, qualis est vi suæ naturæ? An verò etiam *cogitur* Deus esse Immutabilis, Æternus, Bonus, Justus, Verax; ut uno verbo dicam, an cogitur esse perfectissimus, ipseque Deus? Certè non magis congruè dici potest, eum *cogi*, ut sit Omnisufficiens; ex quo prædicato possibilia proximè & immediatè pendere, jam est ostensum. Necessitas aliqua, fateor, hìc occurrit, quatenus Deus absolutè nequit non is esse qui est: sed non ea est coactio; quippe quæ adjunctam habet complacentiam maximè rationalem, & sic liberrima existens tantùm à *coactione* (quæ notat vim extrinsecam majorem quæ invito infertur) distat, ut huic è diametro adversetur. Cum ergò sint multa quæ Deo vi infinitæ perfectionis conveniunt necessariò, & ad quæ neutiquam existit indifferens, quamvis interim nihil sit ad quod summa ratio ullatenus dici possit cogi, absurdè infertur, *Deus non potuit ad hoc cogi, potuit ergò statuere contrarium*: cum tantundem id sit, ac si dicam ego, Deus non potuit cogi ad producendam creaturam dependentem, ergò producere potuit independentem; &c. Quod si per *coactionem* intelligat Cartesius necessitatem ejusmodi, quæ, cum libertate consistens, indifferentiam duntaxat tollit ad oppositum, phrasi quidem utitur durâ adeò & impropriâ, ut tolerari

hìc non debeat; rem tamen ipsam quod attinet, verissimè dicitur, *Deum determinari* (non ab extrinseco, per vim & coactionem; sed ab ipsa perfectissima sua natura, concomitante spontaneâ voluntatis complacentiâ) *ad faciendum ut verum sit, quod contradictoria nequeant esse simul; ac proinde, non potuisse illum statuere contrarium*: quod jam fusè demonstravimus.

XVII. *Possibilia, tametsi ad indifferentem primæ causæ voluntatem non reducantur, à Deo nihilominus dependent.*

Quemadmodum autem nostra sententia nullam ponit in Deo coactionem, ita neque inducit res possibiles à Deo independentes. Potest enim aliquid pendere ab Ente primo, etiamsi non præcisè ab indifferenti Voluntatis determinatione fluat. Quare, quamvis verum sit ex nostra hypothesi, rerum possibilitatem, pro modo concipiendi, Voluntatem Dei antecedere, non tamen idcirco ea independens habetur. Scilicet, quod & antè monuimus, Omnisufficiens est Deus, etiam citrà cogitationem de ejusdem Voluntate: at cum Omnisufficientia immediatè cohærent possibilia, quatenus accuratè loquendo hæc dicunt denominationem in illa fundatam. Dependent itaque possibilia omninò à Deo, tanquam ab Omnisufficiente causa, perfectiones eorum virtualiter includente, quanquam non formaliter tanquam ab indifferenter illa volente. Volente, inquam, indifferenter; Voluntatem enim quam vocant approbantem neutiquam excludimus. Nam quemadmodum Omnisufficiens existit, se id maximè volente, non tamen formaliter talis est, ideò quia se talem esse vult; ità quoque possibilia (quæ ex Omnisufficientia Divina tanquam ex fonte proximè scaturiunt) talia sunt, Deo volente & probante, non tamen propriè idcircò talia sunt, quia Deus ea talia esse voluit. De quo pluribus §. xv. Per nostram ergò sententiam salva stat Deo sua Primitas, creaturis Possibilibus sua dependentia; quatenus denominationis istius, quâ eæ possibiles dicuntur, quæque nullam includit earundem existentiam, sive præsentem, sive præteritam, sive futuram, fundamentum primum est ipsa perfectissimæ naturæ Divinæ Omnisufficientia.

XVIII. *Quæ aliæ esse potuissent naturæ rerum contradictorio-*

Amplius ajunt: Potuisset Deus alias planè fecisse rerum naturas, quam nunc easdem fecit; atque adeò alia rebus quibusvis tribuere potuisset prædicata, etiam contradictoria eorum quæ nunc res habent: consequenter, contradictoria quoque objectum esse potentiæ divinæ, non videtur negandum. Ad quod observandum venit,

venit, potuisse omninò Deum, loco rerum nunc existentium, produxisse alias, naturæ prorsùs ab his quæ nunc dantur diversæ: at tali casu, vel non has produxisset; vel, si & has & illas, non tamen ideò contradictoria prædicata produxisset unita in eodem subjecto, sed in subjectis etiam contradictoriè hactenùs oppositis. Neque interim & istud negandum est, potuisse res plurimas recipere, Deo ità volente, prædicata quædam contradictoria illis quæ nunc possident. v. c. Sol, qui nunc existit rotundus, produci potuisset non-rotundus, sed triangularis vel quadrangularis. Verùm id accipiendum his cautionibus: Primùm, ut non eodem tempore eidem rei infuissent contradictoria prædicata; quo sensu impossibile est, Solem rotundum, existentem talem, simul esse quadratum. Deindè, ut prædicata illa, quorum ratione subjectum fuisset illi quod nunc est oppositum, talia intelligantur, quæ neque rem evertant ab una parte, neque ex essentia ejusdem necessariò fluant ab altera parte: quo pacto impossibile est, ex.gr. Solem esse non-extensum, vel non-figuratum. Alterutro modo si rem quampiam prædicata contradictoria recipere posse demonstraretur, verum demùm foret, Deum posse producere contradictoria. *rum possibilitatem minime probant.*

XIX. *Nullâ parte immodestiæ reus est, qui contradictoria infinitæ potentiæ subducit.*

Sed, nos modestiæ terminos excedere vociferanrur, ac nimiùm nostro ingeniolo tribuere, qui ausimus finito intellectu Potentiæ Divinæ infinitæ limites ponere, subducendo illi Contradictoria. Verùm inanis est affectatæ modestiæ prætextus, quæsitus duntaxat pro absurda opinione pallianda. Nequicquam etenim is peccat contra modestiam, quicunque ea de Deo & attributis Divinis definit, quæ definienda esse, docet recta ratio. An verò & is violatæ modestiæ accusandus venit, qui negat Dei Intellectum intelligere posse absolutè inconceptibilia, aut Voluntatem approbare posse mala turpia, &c. Equidem, quùm Intellectus Dei & Voluntas non minus infinita sint quam Potentia, eisque nihilominus finito nostro ingenio per modestiam liceat subducere quædam, quæ infinitæ perfectioni eorundem non respondent; scire lubet, quidnì pari ratione, citra ullam temeritatem aut immodestiam, liceat negare, Deum posse impossibilia, sive contradictoria? Infinitam, uti oportet, & infinitè perfectam potentiam Divinam agnoscit, qui per eam infinito operandi modo

producì posse fatetur infinita possibilia. Quin contrà parum verecundè de Divina virtute sentire & loqui eos jam ostendimus, qui ad Contradictoria quoque eam extendunt; quandò sic re ipsâ Divinæ potentiæ perfectionem everti, non uno modo ostendimus suo loco. Id verò mirum est, hos modestiæ patronos adeò in totum tum ejus tum sui oblivisci, quoties tam anxiè inculcant, potentiæ Divinæ subduci debere Vacuum, plures Mundos, &c. utpote contradictoria. Haud parvi interim momenti fuerit hoc loco, ante omnia modestiæ rationem habere, ac pro certissima regula menti infigere, ingenio nostro finito infinitam potentiam circumscribi non debere; quippe quæ potest supra id omne quod cogitare possumus: etsi non ideò possit, quod ipsa summa ratio cogitare absolutè nequit. Verùm quæ modestiæ regula in hoc negotio præprimis observanda veniat, in ipso hujus Disquisitionis limine jam monuimus satis.

XX. *Propositæ quæstionis decisionem Philosopho minimè subterfugiendam esse, ostenditur.*

Minimè gentium autem hactenus disputatis satisfaciunt quidam, qui excipiunt & protestantur, non se affirmare, Deum contradictoria posse; sed tantùm, non audere se negare, etiam ea quæ contradictionem implicant Deo esse possibilia. Verùm inane hoc effugium est. Nam audivimus Cartesium totidem verbis expressè asserere, quin & adductâ ratione probare, *Deum potuisse statuere contrarium*; ejus nimirùm, *quod contradictoria nequeant esse simul*: quod totò cœlo distat ab ista judicii in hoc negotio suspensione, in qua hi sese subsistere prætendunt. Adde, ut non uno argumento jam evicimus, non tantùm non vel minimam esse causam, ob quam quis meritò non ausit negare, Contradictoria esse Deo possibilia; sed urgentissimas etiam ex adverso esse rationes, ob quas id negare, & possimus, & debeamus. Denique, quicunque negare non audet, ea quæ contradictionem implicant Deo possibilia esse, nihil iste ex lumine rationis de re quacunque determinare unquam poterit firmo fundamento. Quùm enim discursus nostri ac ratiocinia quævis certis quibusdam principiis sic innitantur, ut omnem suam veritatem & certitudinem ab iis mutuentur, & quidem nominatim ab illo, *Impossibile est idem simul esse & non esse*; manifestum est, nihil certi de re quapiam per rationis lumen unquam ab ullo definiri posse, nisi supponatur, per absolutam potentiam Divinam fieri non posse, ut quicquam simul sit & non sit: uti demon-

monstratum dedimus, §. IX. Concludimus ex omnibus hactenus hanc in rem allatis, nihil à quopiam dici ac statui posse absurdius, quam, *Deum potuisse statuere; ut contradictoria queant esse simul.* Quod ipsum demonstrandum proposueramus.

Libet, Corollari loco, ob Quæstionis cum materia quam tractavimus affinitatem, tribus verbis expendere: An rectè dicatur Deus per immensitatem suæ Potentiæ facere quædam posse, quæ eadem facere non possit ob infinitatem suæ bonitatis? Nobis qui sic definiunt Divinæ perfectioni parùm convenienter & loqui & cogitare videntur. Quid enim id aliud est, quam Deum ipsum sibi opponere? quandoquidem in ente simplicissimo & Potentia & Bonitas unum idemque sunt; ipsa nimirum natura Divina perfectissima, quæ sibimet ipsi contraria esse nequit. Quin, sepositâ quoquè Divinâ simplicitate, conceptisque Potentiæ & Bonitatis Divinæ attributis, tanquam distinctis pro modo concipiendi nostro, manet nihilominus, Potentiam Divinam cogitandam esse tanquam perfectissimam, adeòque non instar brutæ alicujus vis, sed talem, quæ comites habeat summam sapientiam, justitiam, bonitatem, veracitatem, & quæ sunt similes virtutes. Atqui has omnes à Potentia sejungere necesse habent, qui aliquid Deum posse per potentiam asserunt, quod idem nequeat efficere per bonitatem; consequenter re ipsâ concipiunt potentiam absque illis perfectionibus, absque quibus cogitari à mente nequit virtus Deo digna. Crudum itaquè & absonum assertum est, ac minimè Potentiæ perfectissimæ Majestati congruum, Deum fallere posse si velit; ut scilicet satis virium habeat ad fallendum, sed non sinere ejus bonitatem ut fallat. Verùm in præsens manum de hac tabula!

XXI. *Absurdè dicitur Deus per Potentiam posse, quod efficere nequeat per Bonitatem.*

DISSERTATIO

DE

SENSUUM USU IN PHILOSOPHANDO.

SUMMARIUM.

I. *Difficultatis in cognoscendo vero causa est adminiculorum tum defectus tum abusus.* II. *Manifestum id in sensuum perceptionibus, quibus nimium adhærent, cum plebeis, Epicurei;* III. *Parùm verò tribuunt Sceptici & Platonici: Medium inter utrosque tenent Peripatetici.* IV. *Illorum atque istorum errorem confutare haud operæ pretium existit.* V. *Cartesius hac parte Scepticismi suspicionem apud multos incurrit:* VI. *Dum ad innatas ideas, non sensationes, in cognitione veri, attendere jubet.* VII. *Ejus, quibus id inculcat, adducuntur loca:* VIII. *Et Claubergiana in illa paraphrasis.* IX. *In ea quæ mitigandæ assertionis gratiâ ab utroque admiscentur observatio.* X. *Status quæstionis fixus, proposito paucis Cartesianæ assertionis sensu genuino:* XI. *Eique oppositâ antithesi, sensus non ad vivendum tantùm, etiam ad sapiendum, esse datos.* XII. *Impingit Cartesii assertio in legem propriam, quâ amplissima Dei opera cogitare jubet.* XIII. *Item in aliam, quâ de rerum naturalium fine definire quicquam prohibet.*

hibet. XIV. *Sensus à philosophando remoti, ut major sit innatarum idearum necessitas.* XV. *Quoque amplior esset in fingendis vorticosi mundi elementis libertas.* XVI. *Ad ipsam veri cognitionem acquirendam Sensibus uti jubet Sensuum Opifex.* XVII. *Imò & ad confirmandam Fidei Divinæ certitudinem subjectivam.* XVIII. *Undè efficax, pro Sensu ultra animalis vitæ regimen extendendo, argumentum.* XIX. *Modus cognoscendi statum unionis consequens, Sensus ultra vitæ animalis regimen patere, evincit.* XX. *Maximè, cum in hoc moderando Sensationum cum cogitationibus connexio nullum habeat, juxta novam hypothesin, usum.* XXI. *Rerum materialium existentiam Sceptici negare coäcti, tantùm quod sensui nullum facerent in philosophando usum.* XXII. *Citra Sensuum opem de plurimis corporum adjunctis accuratè philosophari non licet.* XXIII. *Confirmantibus id suâ praxi ipsis dissentientibus.* XXIV. *Negato Sensibus usu in philosophando, etiam experientiæ nullus manet locus.* XXV. *Non existentia tantùm sed & natura corporum adjumento Sensuum intelligitur.* XXVI. *Cavendum, ne sensus sumatur adæquatum cognitionis Philosophicæ principium.* XXVII. *Discernendæ quoque sensationes veræ à fallacibus, ex debitæ attentionis conscientia.* XXVIII. *Nec non, ex explorata recta organorum dispositione.* XXIX. *Etiam, ex requisita objecti ad organum comparati proportione.* XXX. *Deniquè, ex constitutione medii legitima.* XXXI. *Neque difficilius hæc attenduntur, quam regulæ quibus intellectûs perceptiones reguntur.* XXXII. *Ex sensatione repetita de bonæ sensationis*

tionis requisitis facilius constat. XXXIII. *Item, ex plurium sensuum de eadem re consentiente testimonio.* XXXIV. *Sensuum fallaciæ nil obstant, quo minus eis mens utatur in cognoscendo vero:* XXXV. *Haud magis quam errores intellectûs hujus usum in philosophando prohibent.* XXXVI. *Sensuum erroribus, non minus quam intellectûs, corrigendis ad manum sunt remedia.* XXXVII. *Fallaciæ Sensuum, si philosophationi, etiam vitæ moderamini hos ineptos faciunt.* XXXVIII. *Innatæ rerum ideæ, si vel maximè dentur, absque Sensibus philosophationi non sufficiunt.* XXXIX. *Quamvis toti composito Sensus conveniant, non ideò tamen ad vitæ usum præcisè sunt restringendi.* XL. *Sensus sapiendi adminicula sunt, etsi sapientes non sint qui eos semper sequuntur duces.* XLI. *Acumen Sensuum in brutis, eos homini ad philosophandum esse inutiles, nequaquam arguit.* XLII. *Cum non Deo & Angelis, homini tamen ad intelligendum cur sensu opus sit?* XLIII. *Quæcunque Sensui clara sunt, eadem qua talia menti existunt evidentia.* XLIV. *Contrà, quæ nullo modo sentimus, omnium difficillimè intelligimus.* XLV. *Intellectûs humani à Sensu dependentis explicatio & demonstratio paucis theorematibus comprehensa.*

I. *Difficultatis in cognoscendo vero causa est adminiculorum tum defectus tum abusus.*



SI quanta humanis animis naturâ infinita est sciendi cupiditas, tanta quoque iisdem necessariorum ad acquirendam rerum notitiam adminiculorum copia subministrata foret, simulque concessa prudentia ipsis illis, quæ ad manum sunt ritè utendi, nullo equidem negotio ad sapientiam grassari daretur, neque obstaret quicquam quo minus facili labore omnia, quæ

quæ hoc Universo comprehenduntur, intimè perspecta haberemus. Verum ista est mentis in hoc rerum statu imbecillitas ac conditio infelix, ut plerumque vel illi non satis opituletur hac parte natura idoneis mediis, vel si ea largita fuerit abundè, non tamen pariter addiderit peritiam eadem dextrè satis ac circumspectè applicandi ad usum. Atque indè quidem existit in mente hominis crassa ignorantia ac profunda veritatum naturalium inscitia; hinc verò multiplex ac infinitus oritur in indagando vero error. Quoties enim vel instrumentis ad sapiendum necessariò requisitis, vel genuino ac legitimo eorundem usu, destituitur intellectus scire avidus, vix potest evenire aliter, quin tanto majori impetu præceps ruat in falsitatem, quanto flagrantiori desiderio ad sciendum festinat.

Luculentum eorum quæ dixi specimen dant Sensus: quibus quo quis vel minus perfectis gaudet, vel minus prudenter novit uti, eo ferè plus reperit in veri indagine impedimenti. Atquì, quùm ut plurimùm integri satis plerisque obtingant, laborandum imprimis videtur de genuino ac recto eorundem Usu; de quo jam olim gravissimæ fuerunt agitatæ controversiæ. Speciatim (ut alia nunc taceam) disceptatum est jam olim acriter, An, & quis, Sensibus in Philosophando concedendus sit locus? Epicurei cujusvis veri & falsi judicium sic totum in Sensibus collocarunt, tantumque iis tribuerunt, ut nusquam nos per eos falli putarent; quin omnia, quæ discuntur, sensuum regulis metienda esse censerent. Quam eorum sententiam ità exponit Lucretius:

II. *Manifestum id in Sensuum perceptionibus, quibus nimium adhærent, cum plebeis, Epicurei;*

Quid referemus enim, quod nobis certius ipsis
Sensibus esse queat, quo vera & falsa notentur?
Ex sensu namque omnia quæ sunt credita pendent:
Cui nisi prima fides rectè fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quo referentes
Confirmare animos quicquam ratione queamus.

Cui opinioni eo usquè indulsisse dicuntur, ut credantur hoc fundamento contendisse, solem cæterasque stellas majores non esse quam oculo apparent. Quæ eadem sententia, in plerisque saltem, etiam plebeorum ferè hominum est; qui, dum usu rationis ac judicio parùm valent, vix admittunt aliud, quam quod Sensibus usurparunt, atque iis, quæ sic quocunque modo perceperunt, firmissimè onmium adhærere consueverunt.

III. *Parùm verò tribuunt Sceptici & Platonici: Medium inter utrosque tenent Peripatetici.*

In alterum extremum abeuntes Sceptici atquè Academici, quòd aliquandò Sensus fallaces & errori obnoxios deprehendissent, eosdem, ceu testes infidos, in totum rejecerunt, omnemque omninò fidem sic iis abrogarunt, ut indè potissimum (quoniam in hoc statu unionis mens humana occasione sensationum res ferè tognoscit) natum sit ipsorum ἐπέχειν, seu assensûs de omnium rerum veritate inhibitio. Et quamvis Socrates ac Plato, ex duriorum quarundam phrasium interpretatione, fortè minus æqua, iis immerito à quibusdam accenseri videantur (majora quippe ista nomina sunt, quam ut stultæ opinioni cum aliqua veri specie prætendi possint) negandum tamen non est, ipsos justo minus Sensibus tribuisse in philosophando, iis penè neglectis, totam veri perceptionem in sola mente collocantes. Quo tendunt versus Parmenidis:

Nec tibi communis Sensus persuadeat unquam
Quicquam; ut fallaces oculi, aut ut judicet auris,
Aut lingua: at ratio dirimat discrimina rerum.

Inter istos medium tenentes Peripatetici, sic suas Menti partes in dijudicando vero & falso assignarunt, ut & Sensibus suas concesserint: asserentes, primorum quidem principiorum, aliorumque quæ nullam cum Sensibus cognationem habent, à naturali mentis lumine pendere notitiam; rerum interim singularium ac sensibilium evidentem ac certam cognitionem à Sensibus etiam petendam esse. Cui sententiæ & nos maxima ex parte subscribimus.

IV. *Illorum atque istorum errorem confutare haud operæ pretium existit.*

Opinionem quod attinet, & Epicureorum fatuissimam, & Scepticorum perniciosissimam, haud operæ pretium videtur multis eam refellere, quoniam tam manifestè illi experientia multiplex & quotidiana, huic ipsa uniuscujusque conscientia reclamat, ut quisquis evidentissimâ illâ certitudine non fuerit convictus, sperari haud debeat ullis rationibus convinci posse quantumvis validis: conscientiam enim, testem quâvis ratione efficaciorem, ejurasse atque exuisse talis censendus est. Etiam toties ista deliria absurditatis convicta sunt solidissimè à quam plurimis & doctissimis veræ ac certæ sapientiæ assertoribus ac vindicibus, ut refodiendi non videantur errores jam dudum sepulti; quandò ità quibusvis hodiè sordent istæ ineptiæ, ut vix reperiatur, qui prorsùs cum istis Philosophis (si Philosophi appellandi sint isti omnis Philosophiæ ge-

genuinæ everſores ac hoſtes deterrimi) ſentiat, ſaltem ſe ſentire profiteri auſit. Quam ob cauſam maluerunt deinceps quidam crudam ſententiam nonnihil interpolare, atque aliam illi ſpeciem induere, ſi quo fortè modo nova ei gratia conciliari poſſet.

V. *Carteſius hac parte Scepticiſmi ſuſpicionem apud multos incurrit:*

In talium, ſi non Scepticorum, ſaltem quodammodo Scepti-zantium, album multi doctiſſimi viri non ſemel, ægrè licet ferentem, retulerunt jam olim Renatum Carteſium; autumantes, tam parùm ejus methodum philoſophandi abeſſe à Scepticorum caſtris, ut iſtuc per ſe tendere videatur, ac viam ſternere, ſi non neceſſariam, facillimam ſaltem ac maximè pronam. Quo jure, quâ injuriâ tales cenſores expertus ſit Nobilis Auctor? non hìc dicam; qui prudentioribus id ex ſequentibus judicandum relinquere malo. Quicquid ejus ſit, diſplicent vehementer Viri de ſenſibilibus omnibus (alia, quæ pari in ſenſu ei habentur, hùc minus pertinent) dubitationes illæ, quibus in ipſo philoſophiæ ſuæ limine tantum indulget, ut facilè ſupponat, genium aliquem malignum ſummè potentem & callidum omnem induſtriam in eo ponere, ut ipſum fallat: ſic quidem ut det, cœlum, terram, cunctaque externa nihil eſſe aliud quam ludificationes; ſeque ipſum conſideret, tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non aliquem ſenſum, ſed hæc omnia ſe habere, falsò opinantem. Diſplicent, inquam, iſta vel ideò, quod, ſi ea Sceptico largiamur, neceſſariò ſupponatur ac ſequatur, Senſuum nullum eſſe in philoſophando uſum; quo aſſerto nimium Scepticis herbam porrigi judicamus.

VI. *Dum ad innatas ideas, non ſenſationes, in cognitione veri, attendere jubet.*

Aſſerit hoc nihilominus totidem verbis Carteſius. Tam eſt difficile medium tenere! Præconceptas ab infantia erroneas opiniones, ex fallaci Senſuum dictamine majori ex parte oriundas, feliciter philoſophaturo abdicandas eſſe, merito inculcaverat; Senſuſque omnes non ſemper fidos eſſe teſtes rectè demonſtraverat vulgari experientiâ turris, cominus quadratæ, eminus conſpectæ rotundæ. Si, quod indè ſequebatur, concluſiſſet, ſemper & ubiquè in indiganda rei veritate unicè quibuſvis Senſationibus ſtandum non eſſe, ſed adhibendam, in diſcernendis iis veris à fallacibus, debitam prudentiam; ſi, inquam, ſic concluſiſſet, neque univerſam Senſuum in ſapiendo fidem unâ liturâ deleviſſet, promiſcuè eam omnem annumerando infantiæ præjudiciis, tam ſibi feliciter ca-

cavisset à tristi Scepticismi periculo, quam ab Epicureismo totus rectè recesserat, neque adeò, quod ajunt, dum vitabat scyllam, in charybdin incidisset. Nunc verò perperam infert (ut alibì sæpius ita hìc quoque Platonem nimium secutus) in philosophando sic unicè attendendum esse ad ideas omnium rerum unicuique innatas, ut Sensus habeantur insuper; quippe quorum genuinus usus non alius sit, quam in moderanda hac vita; adeò ut, si ad veritatis contemplationem Sensationes nostras extenderimus, merus sit iste futurus earundem abusus.

VII. *Ejus, quibus id inculcat, adducuntur loca:* Sed ne, quod solent, conquerantur ejus asseclæ, minus rectè nos mentem ejus vel capere, vel proponere, ipsum se explicantem audiamus! *Princip. Part.* II. *Art.* III. hunc in modum disserit. „Satis erit, si advertamus, sensuum perceptiones *non referri*, *nisi* „ad istam corporis hnmani cum mente conjunctionem, & nobis „quidem ordinariè exhibere, quid ad illam externa corpora prodesse possint, aut nocere; *non* autem, nisi *interdum* & *ex accidenti*, nos docere, qualia *in se ipsis* existant. Ita enim sensuum „præjudicia facilè deponemus, & *solo intellectu*, ad ideas sibi à „natura inditas diligenter attendente, hic utemur. Atque ibidem in lemmate marginali: „Sensuum perceptiones, *non quid* „*revera sit* in rebus; sed quid humano composito prosit vel obsit „docere. Hisce parallela occurrunt, *Medit.* VI. *p.* 42. „Natura docet quidem ea refugere, quæ sensum doloris inferunt, & „ea prosequi quæ sensum voluptatis, & talia: sed *non* apparet illam præterea nos docere *ut quicquam ex istis sensuum perceptionibus*, sine prævio intellectus examine, *de rebus* extra nos positis „*concludamus*, quia de iis verum scire ad *mentem solam*, non autem ad compositum videtur pertinere. Ac porrò post pauca, „Sed video me in his aliisque permultis *ordinem naturæ pervertere* „esse assuetum, *quia* nempe *sensuum perceptionibus* (quæ propriè „*tantum* à natura datæ sunt, ad menti significandum, *quænam* „*composito*, cujus pars est, *commoda sint vel incommoda*, & eatenus sunt satis claræ & distinctæ) *utor* tanquam regulis certis, *ad* „*immediatè dignoscendum*, quænam sit corporum extra nos positorum essentia, de qua tamen *nihil*, nisi valde obscurè & confusè, *significant*.

VIII. *Et Clau-* Quem textum hoc modo interpretatur, qui fidus habetur præ aliis

aliis Cartesii Paraphrastes, Claubergius, *Lect.* ix. §. 172. „Sed *non* video hanc naturam nos insuper docere, ut *ex istis sensuum* externorum *perceptionibus*, sine prævio maturæ rationis „examine, de rebus extra nos constitutis *certi aliquid concludamus*: „quoniam *veri investigatio* ac scientia *ad solum animum* nostrum, „*non* autem *ad totum hominem*, quatenus animo & corpore con„stat, videtur pertinere. Ac porrò, §. 177. *& seqq.* „Sed „animadverto, nos in his modo commemoratis, aliisque id ge„nus plurimis in rebus, solere vires à Deo nobis datas *in alium* „*usum* convertere, quam datas esse cognoscimus; quod est naturæ „ordinem pervertere. Nam istæ *sensuum perceptiones* quia ad to„tum compositum spectant, concessæ utique nobis *non* fuerunt „*aliâ de causâ*, quam ut indicarent animo, quænam res conve„niant aut noceant toti composito, cujus ipsa pars existit. Atque „in eum usum si referantur, claræ satis ac distinctæ sunt, adeo *ut* „*vitæ* totius animalis *regimen ab iis pendeat*, &c. Hic sensuum „genuinus usus cum sit, *nos iis utimur* tanquam puræ *veritatis ma*„*gistris*, quasi regulas nobis certas suppeditarent, quarum benefi„cio, absque ulla longiore rationis deliberatione, dijudicare li„ceat, quæ sit rerum extra nos positarum natura atque inhærentes „proprietates, de quibus tamen *nihil*, *nisi* confusè & obscurè ad„modum, ipsi *queunt docere*. *Quod dum facimus*, quis non „videt nos *naturæ ordinem* sapientissimum *pervertere*?

bergiana in illa paraphrasis.

IX.

In ea quæ mitigandæ assertionis gratiâ admiscentur ab utroque observatio.

Immixta sunt, fateor, his Locis verba nonnulla, quæ emolliendæ thesi inservire primo intuitu videri possunt; qualia sunt illa, *absquè ulla longiore rationis deliberatione*, pro quo dixerat Cartesius, *sine prævio intellectus examine*, sive *immediatè*; &c. Atquì minimè tollendæ hìc difficultati ea sufficere, vel ex ipso constat Cartesio. Quis enim eorum qui *posterioribus hisce seculis Philosophi esse voluerunt*, asseruit unquam, sic certas regulas sapiendi nobis suppeditare Sensus, ut *rationis deliberatione* opus non sit? Quis extitit quin imò eorum, qui non iterùm iterùmque inculcaverit, circumspectè attendendum semper esse ad Sensus Objectum, Medium, Organum; nec quicquam de re sensibili judicandum, nisi post mentis examen plenè constet de eorundem integritate? Estne id *immediatè*, *sine prævio intellectûs examine*, secundum Sensum judicare? Licet verò ista ignorare non potuerit Cartesius, carpit nihilominus

omnes qui ante se extiterunt, *quique fidem prorsus sensibus adhibuerunt*, quod *error* eorum quidem *emendatus* fuerit *aliquantulum*, ubì Sensus in quamplurimis nos fallere agnoverunt (quì autem agnoverunt, nisi prævio intellectûs examine?) sed radicitus *sublatus non* fuerit; ostendendo videlicet, *non Sensibus*, *sed intellectui soli*, res distinctè percipienti, rectitudinem inesse. Adeò quidem ut hoc imprimis fundamento, incredibili cum confidentia perstringere non dubitet omnes, qui ab antiqua Philosophia initium fecerunt, quod quo plus in ea desudarunt, tanto soleant ad veram percipiendam esse ineptiores. *In Epist. Principiis præfixa.* Ne addam, ne quidem de rebus extra nos positis, in ordine ad totum compositum cui prosint aut noceant quicquam ex Sensuum perceptionibus concludendum esse, *sine prævio intellectûs examine*: nisi probanda sit infantium imprudens præcipitantia, ex hoc solo, quod res oculis arridet, acutum cultrum, flammam, aliaque noxia avidè apprehendentium. Undè manifestum est, frustrà, & tantùm ad colorem obducendum regulæ, de Sensibus in dignoscendo vero non fidendo, addi istud de *prævio intellectus examine*; vel ut Claubergius explicat, *longiore rationis deliberatione.*

X. *Status quæstionis fixus, proposito paucis Cartesianæ assertionis sensu genuino:*

Ut genuina Neotericorum de Sensuum Usu sententia sit, hos non alio fine ac scopo nobis esse concessos, quam ad hoc unum, ut, cum brutis animantibus, per eos discernamus objecta quæ nos tanquam prosequenda si sint utilia, tanquam evitanda si sint nocitura, discernere ipsa naturæ necessitas, ad vitæ animalis conservationem, cogit. Tantum verò abesse, ut sensationes extendere quoque debeamus ad examinandam earum ope ipsam rerum extra nos positarum veritatem, ut potius is sit purus earundem abusus, ac sapientissimi naturæ ordinis perversio, ut imprudens, ità erroris fœcundissima mater. Atque istis convenienter doctiorum conflictui alibì publicatam vidimus hanc thesin, uncialibus literis, nequid hæreat scrupuli, sic expressam. *Philosophi Scholastici &c. non tam sæpius hallucinantur quam semel*: *neque* enim *Sensibus desinunt fidere*, *quorum* natura *est*, NUNQUAM NON FALLERE ET SEMPER ERRARE. *Nam* ne *oculos* semel *aperire*, *manus extendere*, *os diducere & contrahere*, *&c. quimus*, *quin innumerabilium errorum exercitus ac integra plaustra iis se insinuent*. *Ut nec dici possit*, *infallibilem sensum*, *qui nec menti imponat*, *nec foris circumveniatur*,

veniatur, dari. Hinc intellectui cum sensibus, quos in certis tenemur ejurare, lucta ἄφθαρτος *& sempiterna est: Cujus* Arbitrum vere sapientem, ΣΟΦΟΝ ΦΙΛΟΣΟΦΟΝ, *dicimus.* Ipse Pyrrho, si ad nos redeat redivivus, dubito, mentem suam exprimere an possit efficacius, an ausit clarius?

Has nos assertiones, aliasque his affines atque ex his ortas, prorsùs rejicimus ac in totum repudiamus, tanquam falsissimas non tantum, sed & periculosissimas, quin tales, quæ per se comparatæ sunt, ad omnem rerum sensibilium certam ac indubitatam notitiam omninò evertendam ac penitus exstirpandam, ac genuinam Scepticorum de sensibilibus ἐποχὴν iterùm inducendam. Non quidem negamus, salutare animalis vitæ moderamen ità in solidum à Sensuum directione pendere, ut absque ea nullâ ratione consistere queat (quamobrem quoque hactenus brutis peræquè ac hominibus eorundem usum à natura concessum esse videmus; de quo deinceps plura): non tamen istâ vitæ gubernatione Sensus in homine omni suo munere defungi autumamus, sed & nobiliori eos fini destinatos esse asserimus; statuimusque, eum demùm rectum ac genuinum esse Sensuum in homine usum, quando mens eos legitimo modo (quis iste sit? exponemus infrà) adhibet tanquam organa à Deo sibi concessa, non tantùm ad percipienda ea, quæ toti composito commoda sint aut incommoda, quâ talia; sed imprimis quoque ad indagandam rerum extra nos positarum certam veritatem, cùm earum quæ sub sensum directe cadunt, tum aliarum per se insensibilium, quibus cognoscendis, interveniente rationis discursu, sensationes præbent saltem occasionem. Verbo, Sensus non tantùm ad vivendum, sed & ad sapiendum, nobis à Deo esse indultos.

XI. *Eique opposità antithesi, sensus non ad vivendum tantùm, etiam ad sapiendum, esse datos.*

Miror verò vehementer (ut id præmittam, priusquam ad ipsa rationum momenta excutienda accedo) miror, inquam, quì tam confidenter ausit determinare Cartesius, Sensuum perceptiones *tantùm* datas esse *à Natura* (quo nomine Deum intelligi, manifestum est) ad menti significandum, quænam composito commoda sint vel incommoda; cùm hac assertione in utramque regulam, quam, ut rectè philosophemur, imprimis observandam inculcat, *Princip.* III. *Art.* I. II. tam incurrat directè, ut non possit magis. Prima est, *Ut attendentes ad infinitam Dei potentiam*

XII. *Impingit Cartesii assertio in legem propriam, quâ amplissima Dei opera cogitare jubet.*

tiam & bonitatem, ne vereamur nimis ampla, & pulchra, & absoluta ejus opera imaginari. At, cum Sensationum Usum *tantùm* ad vitæ hujus regimen restringis, nonne vereris nimis ampla, & pulchra, & absoluta opera Dei imaginari? Quidni potius Sensus eorumque Usum tam amplum, pulchrum, absolutum, tibi imaginaris quam potes, ne fortè minus magnificè de Creatoris potentia sentire videaris? prout hoc argumento compulsus imaginaris tibi mundum, nullos extensionis suæ fines habentem. Imprimis autem non hìc limitanda videbantur opera Dei, cum non repugnet, plurima rerum corporearum attributa à Sensu nostro menti offerri prout in se sunt: undè hactenus saltem hunc idoneum esse posse, non tantùm ad discernenda noxia ab utilibus, sed & ad dignoscendas ipsas quarundam rerum veritates, juxta hanc regulam, in præjudicium absolutæ divini operis amplitudinis, negandum non videtur. Frigidas quasdam allatas hùc ratiunculas quod attinet, eas suo loco diluemus.

XIII. *Item in aliam, quâ de rerum naturalium fine definire quicquam prohibet.*

Alter canon, quem, ad rectè philosophandum, præscribit Auctor, est, *Ut etiam caveamus, ne nimis superbè de nobis ipsis sentiamus; quod fieret maximè, si fines quos sibi Deus proposuit in creando Universo, ingenii nostri vi comprehendi posse putaremus.* Quodque hìc de toto Mundo asserit, idem alibi extendit ad quævis hoc Universo comprehensa. Ità enim *Princip.* I. Art. XXVIII. ait, *Causas finales rerum non esse examinandas, quia non tantum nobis debemus arrogare, ut ejus* (Dei) *consiliorum participes esse putemus.* Atque iterùm *in Respons. ad Gassendum*, disertè affirmat, *Par non esse, quo fine Deus quidque fecerit divinare; Considerare quem finem Deus sibi in regendo Universo proposuerit, in Physicis esse ineptum; Nec fingi posse, aliquos Dei fines, magis quam alios, in propatulo esse, cum omnes in imperscrutabili ejus sapientiæ abysso sint eodem modo reconditi.* Quam istæc omnia sint falsa, hoc loco demonstrare nil attinet. Præstitit id fusè Cartesianarum Meditationum Triumphator Gassendus, *Disquisit. sua Metaphys. p.* 201. *& seqq.* At nunc demus ea esse verissima! Si sic, quìd ergò tam audes de te ipso sentire superbè, ut non divinare tantùm præsumas, sed & rotundè pronunciare, Sensuum perceptiones (quæ res procul dubio physica est) *à Natura tantùm datas* esse, hoc fine, ut significent menti, quænam homo ceu com-

compóſito incommoda refugere, ceu commoda proſequi debeat?

Quod niſi nefas quoque ſit inquirere in fines, ob quos, etiam contra regulas quas ipſe ad rectè philoſophandum præſcribit, tam diligenter inculcare voluerit Carteſius, ſic ſolius intellectûs eſſe verum indagare, ut nullo modo pertineat ad Senſum, operæ pretium videtur diligentius eos examinare, cum haud leve id ſit allaturum ad intelligentiam ſequentium momentum. Eſt verò ad Novæ Philoſophiæ tum fundamenta tum methodum penſiculatius attendenti non valdè difficile de aſſertionis hujus ſcopo divinare, conjecturâ etiam plus quam conjecturali. Nempè, ante omnia id ſollicitè agendum erat, ut in tuto foret præcipuus hujus Philoſophiæ theſaurus, innatæ illæ menti, à primo ejus ortu, omnium rerum ideæ. Neque enim abſque earum apparatu ſalvari poteſt Nova Sapientia, imprimis Metaphyſica, ubì omnis ſumma eorum, quæ in ea obſervanda præcipiuntur, hùc unicè redit, ut, depoſitis præjudiciis, ordine attendamus ad notiones quas ipſimet habemus in nobis; ex quibus claris & diſtinctis facile deducemus, citra ulla alia adminicula, exiſtentiam & mentis noſtræ cogitantis, & Dei cæterarum rerum cauſæ, & propoſitionum æternæ veritatis, & naturæ corporeæ, & Senſuum nos afficientium. *Princip.* 1. *Artic. penult.* At verò periculum non leve imminebat iſtis notionibus ingenitis, tanquam ſupellectili otioſæ, ſi ſcientiam rerum etiam per Senſationes acquiri poſſe, admitteretur. Quùm ergò quantum Senſibus eorumque perceptioni in cognitione veri tribuitur, tantum decedat Carteſianis ideis, ad has, & quæ ab his pendet Novam methodum totam ſalvandam, neceſſarium erat prorſus Senſuum in Philoſophando adjumentum removere, nullumque eis alium in homine relinquere Uſum, quam quem habent in brutis, uti ratione, ſic ideis iſtis, deſtitutis.

XIV. *Senſus à philoſophando remoti, ut major ſit idearum innatarum neceſſitas.*

At neque minor neceſſitas erat in Recentiori Phyſica, ob quam mens à Senſibus abducenda videbatur. Ea quippe imprimis in ſummo verſabatur diſcrimine, ſi examini Senſuum ſubjecta fuiſſet. Scilicet, haud erat exiguum quod Carteſius moliebatur opus. Animus erat lectoribus depingere Univerſum, quod ſit infinita ingentium ac innumerabilium vorticum compages; in qua dominentur elementa inviſibilia, materia ſubtilis, particulæ ſtriatæ, globuli

XV. *Quoque amplior eſſet in fingendis vorticoſi mundi elementis libertas.*

globuli ætherei, quæque indè fluunt id genus ſexcenta. Machinam ejuſmodi idealem & in mente confictam pro vero Mundi ſyſtemate difficulter obtrudi poſſe hominibus ſanâ mente per integros ſenſus utentibus, facile ei erat prævidere; ut qui ignorare non poterat, defuturos nequaquam, qui, obſtupeſcentes ad tam longam figmentorum catenam, non ſine cauſa urgerent idem, quod quondam Leucippo objiciebat Lactantius, diſputans contra Epicureos, *Lib. de Ira Dei*, *Cap.* x. *Minuta illa ſemina*, inquit, *quorum concurſu fortuito totum coiiſſe mundum loquuntur, ubi aut unde ſint? quæro. Quis illa vidit unquam? quis ſenſit? quis audivit? An ſolus Leucippus oculos habuit? ſolus mentem? qui profectò ſolus omnium cæcus & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare, nec dormiens poſſit ſomniare. Quatuor elementis conſtare omnia Philoſophi veteres aſſerebant: ille noluit, ne alienis veſtigiis videretur inſiſtere; ſed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſint nec tangi, nec ulla corporis parte ſentiri.* Exauctorandi ergò erant in ipſo Novæ Phyſicæ limine Senſus, eorumque in Philoſophando Uſus: ſic enim difficultates hìc moturis promptum erat os obturare, increpando eos ceu craſſos ac ſenſuales nimium Philoſophos, qui imperiti ſapientiſſimum naturæ ordinem pervertant, dum Senſationes ultra vitæ regimen extendunt ad veritates etiam Philoſophicas, in quibus cognoſcendis ſolo intellectu, non Senſibus ſit utendum. Nempè, facilè nigrum pro albo obtrudes alicui, ſi ſemel id impetraveris, ut oculos ſibi effodi patiatur: neque unquam tutius fingitur, quam cum media, quibus ſolis res detegi poterat, ſurripiuntur. Rurſùs nequeo præterire literatiſſimum, ex quo modò quædam allegavi, Lactantium, in caſu non multùm abſimili, pro Socrate contra Dogmaticos, ſic diſſerentem, *Lib.* II. *De Falſa Sapientia*, *Cap.* III. *Age, opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia? Longum eſt id quoque, dicamus, interpoſito uno pariete quid fiat? Nemo poteſt id ſcire, niſi qui audiverit, aut viderit. Nullus nimirum audet id dicere: quia ſtatim, non verbis, ſed re ipſa præſenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt Philoſophi, qui diſputant in cœlo quid agatur? Sed eo ſe id impune facere arbitrantur, quia nullus exiſtit, qui errores eorum coarguat. Quod ſi exiſtimarent deſcenſurum eſſe aliquem, qui eos delirare ac mentiri doceret,*

ceret, nunquam quicquam de iis rebus, quas ſcire non poſſunt, diſputarent. Nec tamen ideo felicior putanda eſt eorum impudentia & audacia, quia non redarguuntur, &c. Itaquè minime horum ignarus Carteſius (abſolvam hæc verbis doctiſſimi Iſ. Voſſii, diſputantis contra ipſum, *de Natura Lucis*) *in eo præcipuè callidus fuit, quod cum à paucis poſtulatis & communibus valdè notionibus Philoſophiam ſuam auſpicatus ſit, in progreſſu tamen operis nemo plura aſſumſit, & quidem talia, quæ nec ab ipſo demonſtrata ſint, nec demonſtrari à quoquam poſſint, etiamſi vim intellectui inferamus: quodque, cum tam plana & perſpicua præmittat principia, mox tamen iis relictis alia promat, quæ neque viſu neque ſenſu percipi poſſunt, globulos ſcilicet, particulas ſtriatas, & elementa inviſibilia. Illis poſitis, non probatis, incipit Philoſophari; Quia nempe ubi oculi & ſenſus deficiunt, illic fingendi incipit libertas.*

XVI. *Ad ipſam veri cognitionem acquirendam Senſibus uti jubet Senſuum Opifex.*

Intenderit verò quodcunque Carteſius! Nos, an rectè à cognitione veri Senſus ſecluſerit, videamus! Ac primò quidem (quod argumentum unum poteſt eſſe inſtar omnium) ipſe de Senſuum Uſu legitimo pronunciet eorundem Conditor Deus! Aliud quid præter diſcretionem commodi & incommodi in ordine ad totum hominis compoſitum, huic cum brutis communem, ſe hìc intendiſſe tam Is inculcat diſertè in Sacris, ut nequeat magis. Quid illud eſt,* quod jubemur *oculos attollere in altum, ac videre quis creaverit iſta*; ſicut *ex ſenſibilium* creaturarum *exiſtentia*, per Senſum certò cognita, ducendi ſimus ad contemplandam & *agnoſcendam æterni Numinis Divinitatem & potentiam*? An verò & iſta veritas, ope Senſûs ex ſenſibilibus à mente hauſta, ad animalis hujus vitæ regimen, ad diſcernenda noxia à toti compoſito profuturis, *tantùm* pertinet? An verò & hìc *ſolo intellectu*, contradiſtinctè ad Senſus, utendum? Equidem ſi Senſui in inveſtiganda ſcientia veritatis omnium primæ ac maximè fundamentalis ſuus ſit Uſus, & quidem tam neceſſarius, indubitatus, acevidens; ut notitia illa Dei per Senſum ex Senſibilibus hauſta etiam ſufficiens ſit ad Gentium m ἀναπολογησίαν, neſcio, in qua alia veritate cognoſcenda ei concedi non debeat locus? Neſcio, quo colore, Senſuum perceptiones *non alia de cauſa* nobis eſſe conceſſas, quam ut indicarent animo quæ ſint convenientia ac nocitura toti compoſito, affirmetur? Quod ipſum Carteſium & Claubergium rotundè affirmantes audivimus.

Quin,

XVII. *Imò & ad confirmandam Fidei Divinæ certitudinem subjectivam.*

Quin, parùm videbatur Spiritui S. ad veritatem naturalem & Philosophicam cognoscendam Usum Sensuum præscribere; in ipsis etiam rebus Fide Divinâ credendis Sensu, tanquam puræ veritatis magistro, nos uti voluit ad earundem in mente nostra confirmationem. Hinc in fidei vacillantis sæpè nimium indubitatam obsignationem, ac certiorem gratiæ spiritualis insensibilis persuasionem, sensibilia quædam signa ac sigilla, Sacramenta puta, instituit. Hinc Servator D. Jesus ad corporis sui, crucifixi nuper ac mortui, nunc redivivi, contrectationem, tanquam ad testem, qui *immediatè dignoscerè* doceat resurrectionis *veritatem*, incredulum Apostolum invitavit. Hinc & ipsi Apostoli auditores suos ad fidem hortantes, plenissimam iis quæ annunciabant certitudinem conciliaturi, ad Sensus recurrunt, affirmantes se quæ persuasa esse cupiebant illis, auribus audivisse, oculis vidisse, manu contrectasse. *Falsa utiquè*, inquit gravissimus Patrum Tertullianus, disputans contra Academicos, *Lib. de Anima*, *Cap. de Quinque Sensibus*, *testatio, si oculorum & aurium & manuum Sensus natura mentitur.* Perversissima utiquè, dicamus nos (absit blasphemia!) sapientissimi naturæ ordinis perversio, si Sensuum perceptiones *tantùm à natura datæ* sunt ad significanda in vitæ amimalis regimine composito commoda & incommoda, *non* verò ut iis utamur tanquam *puræ veritatis magistris*, *ad aliquid certi concludendum* de rebus extra nos constitutis! Ineptissima methodus demonstrandi certitudinem rei, *si Sensus in certis tenemur ejurare!* Quin, fallacissima fallacia! si *Sensuum natura sit nunquam non fallere*, & *semper errare!*

XVIII. *Unde efficax, pro Sensu ultra animalis vitæ regimen extendendo, argumentum.*

Extra oleas nos hìc vagari & à scopo planè aberrare, regeres procul dubio cum in istis non agatur de veritate quapiam Philosophica per Sensus cognoscenda, de qua hoc loco erat controversia; sed de rebus fide divinâ recipiendis, quæ Sacra naturalibus permiscenda neutiquam sunt. Verùm, præterquam quod jam assignaverim veritatem etiam Philosophicam (naturalem scil. Dei notitiam) secundum methodum Spiritus S. ex sensibilibus beneficio Sensuum certò cognoscendam, etiam cætera firmissimum nobis suppeditant argumentum, ut vocant, à majori ad minus. Nempè, si rebus fide divinâ, omnis falsitatis ac erroris periculi prorsus experte, firmiter credendis earumque indubitatæ certitudini firmandæ impri-

imprimis serviat Sensuum testimonium, multò magis rebus naturalibus, quarum æqua cum istis certitudo neque est, neque esse potest, certò cognoscendis idem potest esse adjumento. Undè invictâ sequelâ fluit, Sensus à natura, i.e. Deo, non *tantum* homini esse *datos*, ad discernendum quid vitæ hominis animali prosit aut noceat, sed & alium esse genuinum eorundem Usum, atque excellentiorem præ illo quem cum brutis habet communem, docere scil. etiam quid re verâ sit in rebus: neque ideò quicquam nos peccaturos, si iis utamur tanquam puræ veritatis magistris, ad judicandum secundum eos de rebus extra nos positis. Nec potuimus istud hoc loco præterire, quandoquidem nemo accuratius operum Dei finem ac usum edocere potest, quam ipse opifex, cujus hìc vox argumentum est quavis ratione efficacius. Nihil verò sic committi Philosopho Christiano indignum, ostendimus alias & alibì in *Exercit. de Auctoritatum in Philosophia Usu & Abusu.*

Et consentit cum isto Dei, de Sensuum Usu etiam latius quam ad vitæ animalis regimen extendendo, testimonio ipsa rerum natura; sive modum cognoscendi à parte mentis, sive veritates cognoscendas à parte rei, sive deniquè ipsum vitæ nostræ regimen, prout id explicat nova hypothesis, spectemus. Naturam & constitutionem Animæ nostræ, quatenus in statu Unionis cum hoc corpore organico in eandem personam juncta est, si attendamus, deprehendimus inter actiones cogitativas illius & sensationes hujus nexum tam arctum & concatenationem tam insolubilem, ut vix ulla in corpore benè disposito fiat organorum Sensui inservientium motio, quin ilicò mens occultâ quâdam quasi vi trahatur ad judicium ferendum de re sensibili, secundum illam Sensûs perceptionem: atque iterùm vicissim vix unquam anima rationalis judicat, quin ne quidem de re quapiam cogitat, nisi conceptui formando facta fuerit per aliquam sensationem occasio. Undè & peculiaris quædam in mente nostra deprehenditur promptitudo & facilitas percipiendi res corporeas præ spiritualibus. Quæ omnia (tam evidens atque explorata existit hæc veritas) ipsemet Cartesius agnoscere cogitur, quandò *Princip.* I. *Art.* LXXIII. fatetur, *Mentem nostram omnium difficillimè ad illa attendere, quæ nec sensibus, nec quidem imaginationi præsentia sunt.* Cujus rei causas ibidem investigans verissimè ait, id contingere, *sive quia mens talem*

XIX. *Modus cognoscendi statum unionis consequens, Sensus ultra vitæ animalis regimen patere, evincit.*

ex eo quod corpori conjuncta sit, habet naturam; sive quia in primis annis, cum tantum circa sensus & imaginationes occuparetur, majorem de ipsis quam de cæteris rebus cogitandi usum & facilitatem acquisivit. Accuratissimè equidem, si ratio utraque non disjuncta ab eo fuisset, sed copulata potius! Priorem enim, unionem puta, posterioris causam esse, arguit evidentissimè experientiâ in phreneticis, infantibus, senibus, aliisque recto rationis usu nullam aliam ob causam destitutis, quam ob denegatum integrum, per vitiata organa, Sensuum tum internorum tum externorum Usum. Accedit ipsa unionis, prout ab his Auctoribus explicatur, natura; quippe quæ, si iis credimus, in nullo alio consistit, quam quod ad varias cogitationes mentis varii sequantur motus in corpore; & reciprocè ad varios corporis motus (qui illis sunt ipsæ Sensationes) variæ cogitationes in mente. Certè, si mens nostra talem, ex eo quod corpori conjuncta sit, habet naturam, ut difficillimè ad illa attendat, quæ sensibus non sunt præsentia, adeò ut propter unionem motus corporis cum cogitationibus animæ & vicissim cogitationes animæ cum motibus corporis firmissimè cohæreant, utiquè manifestum evadit, Sensationes homini concessas esse ad usum longè ampliorem, quam tantùm ad vitæ hujus regimen. Nisi quis statuere malit, ideò Deum mentem cum corpore conjungere voluisse, ut ipsa res difficillimè cognoscat, ac nunquam non erret: quod alienissimum esse à conditoris sapientia & bonitate, nemo negabit, attendens, quam Ipse voluerit, hominem, præ cæteris omnibus creaturis in ipso rationis usu, existere organum pulcherrimum divinæ gloriæ, atque elaboratissimum naturæ opus.

XX. *Maximè, cum in hoc moderando Sensationum cum cogitationibus connexio nullum habeat, juxta novam hypo-*

Imprimis verò efficacissimè hoc argumento evincitur, etiam alium esse Sensuum Usum, præterquam in vitâ hac animali moderandâ, si, secundo loco, expendamus, quid ad vitam hanc, ejusque integritatem, ex sententia Neotericorum requiratur? Ii, postquam jam dudùm bruta, instar machinarum artificialium, non tam agere & movere quam agi potius & moveri statuerunt, motibus purè automaticis, per solam partium idoneam dispositionem, & spirituum animalium per nervos & musculos variam ab extrinseco solùm factam versus hæc & illa objecta determinationem, absque ullo principio substantiali intrinseco movente aut dirigente,

rigente, idem deinceps de homine quoque affirmare cœperunt; ita quidem ut negent, vitam hominis consistere in mentis cum corpore unione, aut mortem in partis utriusque ab invicem separatione: quin contendant, vitæ nostræ animalis actiones tam parùm à mente dependere, ut etiam absque ejus præsentia & adjumento possint peragi in corpore rectè disposito, accuratè non minus, quam cùm anima copori adest præsens. At verò, si humanum corpus, quod ad actiones animales attinet, absque ullo principio substantiali, multò magis absque mente humana, instar bruti, æquè queat discernere objecta corpori commoda ab incommodis, atque adeò vivere possit nihilo infelicius, quam cùm hæc corpori existit copulata, qua ergo de causa asseremus, Sensuum perceptiones propriè *tantùm* à natura datas esse, ad *menti significandum*, quænam composito commoda sint vel incommoda; aut, *non alia de causa* easdem nobis esse concessas, quam ut *indicarent animo*, quænam res conveniant aut noceant toti composito; ità ut Sensuum *genuinus usus* consistat in eo, ut *vitæ* totius animalis *regimen* ab iis pendeat, quod affirmare Cartesium, cum suo Paraphraste Claubergio, audivimus? Profectò, si unicus sit ac genuinus Sensuum Usus, *menti indicare* res in ordine ad vitæ regimen, nullus revera is tandem erit; quoniam, ex hac sententia, nudus motus, absque tali indicio per sensationem menti facto, sufficit ad vitæ regimen. Scire itaquè lubet ex Recentioribus, quamobrem (si Sensibus opus sit neque ad vitæ animalis regimen, neque ad id ut iis mediantibus mens quicquam certò cognoscat) quamobrem, inquam, Deus à sensationum motibus corporeis mentem affici voluerit, & quidem ità, ut inter sensationes nostras in corpore & cogitationes in animâ istam voluerit esse perennem connexionem, quâ fit, ut illæ sine his, vel nunquam, vel valdè raro, habeant locum? Detur huic negotio exitus! Nos, ne sensationis cum cogitatione connexionem frustrà à Deo factam esse concedere cum adversariis cogamur, Sensibus Usum suum tribuimus utrobiquè, & in moderanda vita, & in comtemplatione rerum.

thesin, usum.

XXI. *Rerum materialium existentiam Sceptici ne-*

Quod si, tertiò, res ipsas cognoscendas spectemus, eædem plurimæ naturâ suâ tales existunt, ut absque sensationum ministerio cognosci prorsùs nequeant; quare etiam in philosophando his locum facere omninò est necessarium, nisi multarum veritatum noti-

titiâ

gare coacti, tantùm quod Sensui nullum facerent in philosophando usum.

titiâ nostrâ culpâ ac destinato consilio carere velimus. Non jam ostendam, omnem nostram cognitionem à sensibilibus quodammodo originem primitùs ducere, sic ut animam nostram, uti ante Sensuum, ità & Rationis, Usum, optimè Philosophus comparaverit tabulæ rasæ, cui nil est inscriptum, sed quidvis inscribi potest; asserueritque non immeritò, oportere intelligentem phantasmata speculari. Ista, inquam, non jam ostendam, quod sponte fluant & clarè satis innotescant ex iis quæ de naturali cogitationum nostrarum cum sensationibus connexione dicta sunt ac demonstrata, etiam ex ipso Cartesio, in præcedentibus. Iis in præsentiarum missis, solas nunc res sensibiles hìc attendi velim, quas si cognoscere desideremus, ad Sensus recurrendum est; quoniam, uti benè non-nemo, *Sensibilium alius judex esse nequit, quam Sensus.* Certè, nisi solo Sensuum testimonio stare velimus, de ipsa rerum materialium existentiâ quis nos unquam certò persuasos reddet? Notum, quì Sceptici, postquam de Sensuum fide dubitare cœperunt, eâdem operá etiam res Sensibus perceptas, adeòque corporum imprimis existentiam ac veritatem dubiam & incertam dare debuerint. Neque id mirum est, quoniam de ea convinci nequimus, nisi solâ ac immediatâ Sensationis fide: quam etiam ob causam hæc veritas omni tempore habita fuit res per se ac citra ullum discursum aut ratiocinationem notissima, &, propter sensationis evidentissimam certitudinem, aliis quibusvis veritatibus maximè indubitatis annumeranda. Undè non immeritò prudentiores jam olim judicarunt, Cartesio in congressu cum Scepticis, quandò hyperbolicis suis dubitationibus tantùm indulget ut supponat nullos se sensus habere corporaque esse meras chimæras, nimiâ ac parùm circumspectâ liberalitate necessariò fuisse succumbendum: cum impossibile sit, unquam aliquem convincere de veritate, cujus cognoscendæ adminicula ipsi abjecimus. Neque Sensuum fidei denuò adstruendæ vel minimùm inservit Auctoris methodus, quâ, investigatâ primùm suæ mentis tanquam rei cogitantis, indeque adstructâ, ex clara quadam quam innatam sibi supponit Dei idea, ejusdem existentiâ, per multas demùm ambages rerum materialium certam existentiam probat: Falsas enim in hoc toto processu suppositiones multas, principii petitiones ac circulos frequentes, similiaque argumentandi vitia copiosè jam dudum in eo ostendit

ostendit laudatus suprà Gassendus. Verum non jam id agebam. Si quid sensuum ope tandem de rerum materialium existentia constet, liquet, citò serò in veritatis inquisitione admittendum esse sensum; perperam ergò hinc in totum removeri, & ad solum vitæ animalis regimen restringi: quæ est ipsa conclusio nobis probanda.

XXII. *Citra Sensuum opem de plurimis corporum adjunctis accuratè philosophari non licet.*

Atque utì in rerum materialium existentiæ indubitatam notitiam nemo absque Sensuum ope pervenerit; ità neque naturam earundem neque effecta & adjuncta (quibus tamen indagandis universa occupatur scientia Physiologica) quisquam concipere accuratè, aut certi quid de iis concludere poterit, nisi Sensationibus usus, tanquam *puræ veritatis magistris*. Ad hujus rei confirmationem alio non videor indigere argumento, quam quod validissimum nobis suppeditat quotidiè frequens & obvia cuivis experientia, cum eos, qui nati sunt cœci, surdi, alteriusve Sensûs vel usu omni vel integritate privati, deprehendimus vel nullo modo, vel valdè imperfectè, obscurè, & confusè objecta intelligere, quæ eadem alii sano Sensu utentes concipiunt facillimè ac clarissimè. Quapropter de Anima nostra, dum corpori unita existit, verissimè, saltem quod ad objecta sensibilia, Palingenius, *in Libra*:

Sunt quinque ipsius comites, fidique ministri,
Per quos cognoscit res omnes: queis sine prorsus
Inscia, lethæo torpebit pressa sopore. Et post quædam:
Nam contemplatur mens omnia, & omnia cauto
Judicio expendit, quæcunque à Sensibus hausit.
Mens igitur sol est animæ, sunt sydera Sensus.

Inculces licet homini visu destituto vel millies globulorum tuorum æthereorum, secundum certam proportionem, in motu suo celeritatem ac circumvolutionem, haud tamen unquam id impetrabis, ut clarè & distinctè nobiscum concipiat colorum discrimina: nisi fortè (novo ausu, omnibusque hactenus ità ridiculo, ut in proverbium abierit) etiam cæco committendum sit judicium de coloribus. Idemque in aliis qualitatibus sensibilibus obtinet. Et profectò, quis nostrum plurimarum hujus mundi partium configurationem ac dispositionem; quis motuum cœlestium periodos; quis corporum mixtorum ortum & inte-

 ritum;

ritum; quis admirandas plurimarum rerum vires; quis viventium generationem ac nutritionem; quis sexcenta ejusdem commatis alia, homini Philosopho inquirenda, concipiat clarè ac rebus convenienter, nisi Sensibus usus, tanquam puræ veritatis magistris? Quisve ullus adeò existit rerum imperitus, qui, in re Anatomica & Botanica immediatam Sensationem utramque facere paginam, ac nudam Ἀυτοψίαν quibusvis rationibus potiorem habendam esse, ignoret?

XXIII. *Confirmantibus id suâ praxi ipsis dissentientibus.*

Sed desino accumulare plura, ne nimius videar in confirmanda re tam omnibus evidente ac ingenita quasi, ut neque ipsi adversarii, hypothesium suarum quasi obliti, ad Sensum provocare metuant quoties ità usus exigit. Idque faciunt non tantùm in rebus propinquis, ac Sensu facilè discernendis, verùm in iis quoque, de quibus, ob distantiam nimiam, aliamve ad organum ac vim perceptivam disproportionem, Sensus nihil distinctum dictare queunt. Exemplo sit globus Lunaris! Maculas illas & lucidiores partes, quas, biduo imprimis aut triduo ante plenilunium, sole occidente, in ejus disco observamus, asserunt Recentiores, solâ oculorum tubo speculari adjutorum fide nixi, totidem esse maria, montes ac valles. Quin & eodem stantes argumento visûs, in peculiari Selenographia, tanquam in altera Geographia, omnes illas Lunæ regiones tam delineant accuratè, ut insulas & continentes, promontoria & sinus, maria & freta, certâ figurâ, magnitudine, situ, distantiâ determinata, nominibus quoque Geographicis discreta, in tabella exhibeant non solùm, sed & ulterius provecti eidem etiam, ceu Terræ habitatæ, suas tribuant plantas atque incolas, homines & feras. Fabulas si quis hæc habuerit, confictas, ne quid videatur Nova sapientia concedere Veterum, Orphei, Thaletis, Anaxagoræ, Democriti, de Luna, quæ sit Tellus habitabilis, traditionibus, ad oculorum & optici tubi fidem provocant. Egregium verò! Scilicet, de constitutione corporis à nobis tam remoti, ut Sensum nostrum hebetem & obtusum vix afficiat nisi fallaci instrumento adjutum, aliquid certi concludendum est Philosopho ex solâ Sensûs perceptione; interim tamen, in rebus propinquis ac pluribus Sensibus obviis dijudicandis, iisdem uti tanquam veritatis magistris res erit illicita, quin sapientissimi naturæ ordinis perversio!

Deniquè,

Deniquè, si in indagandis veritatibus Philosophicis *solo intellectu* utendum sit, nec *aliquid certi* ex Sensuum perceptionibus de rebus extra nos constitutis concludendum, citra eorundem abusum & *naturæ ordinis perversionem*, quis in Philosophia restabit Experientiæ locus? Nullus profectò; sed ipsa in totum hinc proscribenda. Quandoquidem enim ea omnis nihil aliud est, quam crebrò repetita rei sensibilis per Sensus facta, & memoriæ ne elabatur firmiter impressa, observatio, eædem omnes rationes, quæ contra sensuum in philosophando Usum militant, eodem jure contra Experientiam militabunt. Verissimè ergò illa amplius erit magistra, non Sapientum ac Philosophorum, sed stultorum; quippe quæ, uti ipsi Sensus, non alium habebit usum, quam ut unicè inserviat stupidis hominibus ex variis vitæ ante-actæ casibus erudiendis, ut discant cautius posthac discernere ea quæ ad vitæ animalis conservationem aut destructionem faciunt; ista appetere prudentius, hæc evitare circumspectius. Mirabuntur procul dubio, quotquot hæc sedulò expendent frequentes Cartesii querelas de experimentorum defectu, in quem Physicæ suæ imperfectæ causas transfert. Quid enim attinet infinita expetere *experimenta, quibus nec manus ejus nec fortunæ, etiamsi millecuplo majores essent, possent sufficere*? Quid necesse est, *majores aut minores in naturæ cognitione progressus suspendere à copia ea plura aut pauciora faciendi*? *siquidem solo intellectu* in Philosophia utendum sit; neque Sensibus, adeòque nec Experientiâ, uti liceat, tanquam *veritatis magistris*, *ad dijudicandum quæ sit rerum extra nos positarum natura ac proprietates*. Nec mirabuntur minus extra partes constituti promissa ingentia quorundam Neotericorum, qui jactant, se brevi per experimenta evidentissima tam clarè ad oculum comprobaturos principiorum Cartesianorum veritatem, & ad solvenda quævis phænomena sufficientiam, ut nemo sit extiturus ista capere idoneus, qui non iis sit acquieturus: undè & spem concipiunt ac gloriantur, jamjam futurum, ut quivis certatim ad disciplinam Cartesii, novi proselyt, sint transituri. Talia promittunt, qui iidem Sensibus tanquam veritatis magistris utendum non esse, sed eos in certis ejurandos, tanquam infidos testes, quorum natura sit nunquam non fallere & semper errare, vociferantur. Certè hisce quamdiu adhærent assertionibus, frustrà planè naturam rerum aperire satagunt

XXIV. *Negato Sensibus usu in philosophando, etiam experientiæ nullus manet locus.*

clave non alium in finem à Deo destinata quam ad reserandam earum rerum bonitatem & malitiam, quarum discretio ad vitæ animalis regimen spectat. Præstiterit itaquè haud profuturo labore, igne, fumo, flatibus, ætatem non absumere; parcere præstiterit operæ, sumptibus, omnique ad experimenta capienda apparatui. Verùm non hæc prosequor latius, quandò jam dudum sufficiunt adductæ rationes, ad conficiendum, tantum abesse, ut prudens Philosophus teneatur in certis Sensus ejurare, tanquam datos unicè ad vitæ animalis regimen, non ad sapiendum, ut contrà possit non solùm non uno in casu, sed & debeat, Sensuum dictamini ità adhærere, ut eos tanquam puræ veritatis magistros, tutò sequatur in dijudicanda rerum extra nos positarum naturâ & proprietatibus, citra ullum eorundem abusum, aut sapientissimi naturæ ordinis perversionem.

XXV. *Non existentia tantùm sed & natura corporum adjumento Sensuum intelligitur.*

Minimè verò omnibus hactenus allatis satisfacit Claubergius hunc in modum differens, *De Cognit. Dei & Nostri*, *Exercit.* LXXXIII. §. 19. 20. *Opponitur* : *Si sensus non haberemus*, *quomodo sciremus esse solem*, *&c. Resp. Non negamus*, *sensus nos docere*, *quod res sint*, *sive existentiam corporum* (*nam hoc requiritur*, *ut composito prodesse aut nocere intelligantur*) : *sed*, *non quid sint*, *sive essentiam & intimam naturam rerum*, *quia hoc non requiritur ad conservationem compositi*, *&c.* Nam primùm, ineptè restringitur *existentiæ rerum cognitio* tantùm ad compositi benè-esse, cum etiàm *quod res sint* scire debeat, quicunque ritè est philosophaturus: nisi frustrà tam anxiè tanto Meditationum & Dubitationum apparatu laboraverit Cartesius in demonstranda rerum existentia; cui Tractatui ipse tribuere non dubitavit, titulum *Primæ Philosophiæ*. Verùm deinceps, falsum quoque est, Sensus tantùm docere *quod res sit*, & non etiam *quid sit*. Exemplo sit cœcus, qui constanti omnium videntium consentiente testimonio persuasus esse poterit & debebit de Solis aut Lucis *existentia*; an autem is, absque Sensuum ope, solo intellectu indagare poterit *essentiam atque intimam naturam* alterutrius ? Utiquè non poterit, si quicquam credendum sit experientiæ. Ipse Cartesius undenàm didicit lucis naturam intelligere, nisi ex hoc, quod observarit ad pressionem in oculo factam ab obvio corpore, scintillas quasi conspici ? Quin hic ipse non uno textu clarè edisserit, sui quasi oblitus, Sensus etiam docere,

docere, *quid* res sint & *quales. Princip.* I. *Artic.* LXIX. *Quamvis enim videntes aliquod corpus, non magis certi∫simus illud exiſtere, quatenus apparet figuratum, quam quatenus apparet coloratum; longè tamen evidentius agnoſcimus, quid ſit in eo eſſe figuratum, quam quid ſit eſſe coloratum.* Et, *Artic. ſeq. Multa alia ſunt, ut Magnitudo, Figura, Numerus, &c. quæ clarè percipimus non aliter à nobis ſentiri vel intelligi, quam ut ſunt, aut ſaltem eſſe poſſunt in objectis, &c.* Iterùm, *Princ.* III. *Art.* VI. *Agnoſcimus etiam viſu ratione adjuto, Mercurium plus ducentis terræ diametris à Sole diſtare, &c.* Rursùs, *Diopt. Cap.* I. *Art.* I. *Miranda illa ſpecilla in cœlo nova ſydera detexere, &c. adeo ut, promota luminis acie ultra terminos, quibus imaginatio majorum ſiſtebatur, viam ſimul nobis videantur aperuiſſe ad majorem & magis abſolutam naturæ cognitionem.* Viderint quibus omnis Philoſophiæ prora & puppis hic Auctor eſt, quì iſta cohæreant cum iis, quæ antè audivimus aſſerere Carteſium, *Solo intellectu utendum eſſe; Senſus autem datos eſſe ad compoſito commoda & incommoda indicanda; nec referri niſi ad corporis cum mente conjunctionem.*

Quæcunque verò de Senſuum in philoſophando uſu hucuſque diſputavimus non ſic accipienda veniunt, ac ſi contendamus, ſenſationem quamvis veritatis eſſe magiſtram, eique omni ſemper & ubiquè ſtare debere Philoſophum. Nequaquam. Ut in re quavis alia ſic & in hac ſunt certi limites, quos ultra citraque rectum non conſiſtit, quoſque ideò hìc aſſignare operæ pretium fuerit, priuſquam ad Objectiones deſcendimus; maximè cum harum ſolutio multo ſit futura & brevior & facilior, ſi hac de re aliquid antè dixerimus. Summa eorum, quæ obſervare neceſſe habet, quiſquis Senſationes duces ſuæ Scientiæ ritè ſumet, iiſque judicium rebus conforme ſuperſtruet, hùc ferè redit. Caveat primo loco philoſophaturus, ne Senſus aſſumat tanquam immediatum atque adæquatum cognitionis ſuæ principium. Id namquè ſi fecerit, vel infeliciter mentis ſuæ vim nimiùm coarctabit, vel Senſationes ultra proprium objectum imprudenter extendet. Utroque modo errabit graviſſimè. Quemadmodum enim multæ veritates Philoſopho occurrunt nullâ aliâ ratione indagandæ quam Senſationum adjumento, ſicuti oſtendimus; ità quoque inficiandum non eſt, res plurimas alias naturali rationis lumine cognoſcendas

XXVI. *Cavendum, ne Senſus ſumatur adæquatum cognitionis Philoſophicæ principium.*

 eſſe,

esse, quæ Sensum directè & per se vel nullo modo vel non nisi valdè debiliter afficiunt, quæque adeò ex immediata ejus perceptione simpliciter metienda nequaquam sunt. In istis uti sæpè solus Sensus sufficit, absque multa rationis indagine, ità in his contrà sola suffecerit ratio, etiam Sensûs testimonio destituta. Putandum semper non est (verbis iterùm utar Lactantii. *Instit. Lib.* VII. *Cap.* XIII.) *omnino non esse, quicquid oculis non apparet; cum mentis acies multo clarior debeat esse quam corporis, ad ea perspicienda, quorum vis ac ratio sentitur potius, quam videtur.* Sensationibus qui ità assuefacit cogitationes suas ut has ab illis nunquam divertere sinat, is parùm idoneus existit Dei rerumque Divinarum; Mentis item ejusque facultatum ac operationum; omniumque demùm veritatum spiritualium ac metaphysicarum contemplator. *Ideoque* (eleganter Baco *Lib.* 1. *de Augm. Scient.*) *scitissimè dixit quidam Platonicus, Sensus humanos solem referre qui quidem revelat terrestrem globum, cœlestem verò & stellas obsignat: Sic Sensus reserant Naturalia, Divina occludunt. Atque hinc evenit, nonnullos è doctiorum manipulo in hæresin lapsos esse, quum ceratis Sensuum alis innixi, ad Divina evolare contenderent.* Quid Antropomorphitis evenerit, notum. Neque alio argumento Democritus, Epicurus, Dicæarchus animam interire dixerunt, quam *quia* (teste Lactantio, *loc. cit.*) *non pervidebant animæ rationem, quæ tam subtilis est, ut oculos effugiat.* Confer. §. 11. Non tamen hæc sic accipienda sunt, quasi iis Philosophum omni Sensationis Usu circa res Divinas & spirituales prohiberemus (nam & in iis ipsis quodammodo Sensus prodesse, jam antè §. XVI. XVII. indicatum fuit) sed id volumus, nemini ità Sensibus adhærendum, ut in nuda eorum perceptione planè subsistat, atque altius non ascendat ratiocinando, quam quo usquè Sensus directè pertingunt.

XXVII. *Discernendæ quoque sensationes veræ à fallacibus, ex debitæ attentionis conscientia.*

Deindè, id Philosopho Sensibus legitimè usuro agendum diligenter, ut cautè Sensationes veras, quas tutò in judicando sequatur, à fallacibus discernere norit. Discernet autem satis feliciter & haud difficili negotio, si in omni Sensûs operatione sedulò rationem habuerit Facultatis, Organi, Objecti, Medii. Neque enim, nisi accuratè expensis istis atque examinatis, nùm undequaquè benè se habeant, ex Sensûs indicio unquam judicabit prudens sa-

sapientiæ studiosus. Facultatem sentiendi, sive, ut clarius dicam, ipsam suam mentem sensu quid percipientem attendet imprimis, an ea intensè satis circa oblatum objectum Sensibile fuerit actuosa, hoc unum agendo? Si non fuerit, ipseque nihilominus negligenti Sensationi stare velit, Sensibus abutetur; quippe qui dati sunt ad indicium veri, tunc tantùm, cùm debitâ diligentiâ & attentione vis sentiendi intenditur. Atque ità nemo prudens, si sibi profundè meditabundo acciderit per Sensum aliqua objecti oblatio, v. c. si campanam aliquoties pulsari audiat, vel nummos alium numerantem videat, quicquam determinati statuet de numero pulsuum aut nummorum, etsi fortè eum determinatum se observasse autumet: facilè enim animadvertit, animam suam seriò duabus diversis rebus accuratè simul observandis intentam esse minimè posse; adeòque neque hoc in casu vim perceptivam, aliis occupatam, idoneam esse ad certò cognoscendum objectum minus attendenti oblatum.

XXVIII. *Nec non, ex explorata recta organorum dispositione.*

Organum quoque observabit, tum internum, puta, & notarum sensibilium commune receptaculum cerebrum], & earundem vehiculum spiritus animales, & meatus per quos spiritus ad cerebrum notas deferunt, nempe nervos; tum externum, unicuique Sensui proprium, oculum, aurem, &c. Id si sentiat compressum, constipatum, convulsum, distortum, disruptum, resolutum, inordinatè motum, aut alio quo modo vitiatum, Sensationi ejusmodi haud confidet; ut qui multâ experientiâ didicit, vitium organi inficere frequenter ipsam sensationem. Ità, ex. gr. Ictericus aut Leucophlegmaticus, quamdiu talis, Visu abutetur, si eum sibi constituat ducem, ad judicandum de colorum discriminibus, dum omnia in oculo, alieno colore suffuso, pinguntur flava, aut pallida & tristiora. Sensu abutetur ebrius aut vertiginosus, si, circulatis in cerebro spiritibus animalibus, ac cum iis imaginibus impressis, pronunciet secundum eum de corporum extra se positorum motu aut quiete. Sensu abutetur strabo, si, dum, ob convulsos & distractos ex spasmo vel paralysi oculos, utramque axim visualem præcisè ad idem objecti punctum dirigere nequit, omniaque adeò apparent gemina, quid certi statuat de corporum numero, secundum visum. Sensu abutetur quicunque perplexis digitis globulum contrectans, dum, ob

præ-

præpoſterum nervorum ſitum perturbatumque ſpirituum fluxum gemina ejus imago ad ſenſorium defertur, ſecundum tactum, eundem eſſe affirmat: &c.

XXIX.
Etiam, ex requiſita objecti ad organum comparati proportione.

A parte Objecti expendendum diligenter, an ſit organo & facultati debitè approportionatum, ratione diſtantiæ, ſitûs, magnitudinis, motûs, numeri, figuræ, aliorumque adjunctorum. Quæ ſi quis attendere negligat, ipſe ſibi erroris per Senſus exiſtet cauſa, quoniam ignorare non poterat, uſu edoctus, Senſum hebetiorem eſſe, quam ut à quovis objecto ſufficienter & diſtinctè poſſit affici, ſuamque idcircò habere activitatis ſphæram, extra quam eum extendere nefas ſit. Sic v. G. Senſu abutetur, quicunque de longinquo videns animal humi reptans, forte hominem, judicat eſſe feram; aut turrim quadrilateram eſſe planam vel rotundam; aut ſolem & ſtellas fixas (forte anguloſas) eſſe præcisè orbiculares, aut non majores, quam apparent: ſcire enim potuiſſet & debuiſſet, nihil determinandum eſſe ex ſolo Viſu de re tam procul à conſpectu remota, ut radiare ſufficienter nequeat, ad afficiendum ſatis diſtinctè oculum per omnes & ſingulos ſui angulos & partes. Simili modo Senſu abutetur, quicunque, viſui fidens circa objecta ſitu ſuo & diſtantiâ in ordine ad oculum diverſiſſima, autumat, ſeries arborum ſecundum parallelas diſtantes, tandem coïre; aut quadratum nec æquilaterum nec æquiangulum eſſe, ſed rhombum aut rhomboidem; aut unum idemque triangulum, nunc orthogonium, nunc oxygonium, nunc amblygonium eſſe; cùm cogitandum fuiſſet mutato ſitu & diſtantiâ mutari angulum viſionis ac apparentem partium corporis figurationem & poſituram. Similiter, ex non obſervata hac conditione à parte Objecti, Senſu abutitur, qui affirmat, titionem flammantem ocyſſimè circumactum integrum circulum ardentem poſt ſe relinquere: cum cogitandum ſit, celerrimam circulationem ardentis puncti non permittere, ut diſtincta ejus per ſingulas ſpatii quod pertranſit partes in oculo fiat impreſſio.

XXX.
Deniquè, ex conſtitutione medii legitima.

Medium denique, per quod ſpecies ſenſibilis ad organum defertur, examinandum, an non id ſit variè tinctum? an non diverſæ raritatis aut denſitatis? an non motu irregulari agitatum? &c. Ex quibus cauſis non rarô evenit, ut res appareant prorsùs aliâ figurâ, magnitudine, loco, colore, numero, motu, &c. quam à parte

te rei existunt. Quod si ejus periculum sit, Sensationi tali fidem non planè adhibebit vir prudens, cum non unâ vice expertus sit, pro diversitate medii etiam diversis modis idem objectum agere in organum. Sensu itaquè abutetur v. c. quisquis viridi perspicillo usus res conspectas judicat esse viridis coloris, aut, quos de longinquo intuetur montes, albos re verâ, esse ceruleos; quùm mutata sit, priusquam radii oculum afficiunt, per intermedii vitri aut aëris dispositionem, luminis cum umbra commixtio, quæ est præcipua colorationis causa. Sensu eâdem ratione abutetur, qui judicat, remum aquæ immissum sub fluctu esse fractum; nummum in urna, aquâ superfusâ, propiorem esse oculo quam idem erat nudus; pisciculos in flumine natantes esse grandiores, quam sunt alii ejusdem magnitudinis hamo ex aqua exstracti; solem ad horizontem majorem esse quam est sub meridiano. In his enim omnibus medium diversum, majori suâ aut minori raritate, faciliorem aut difficiliorem radiis transitum præbens, eosdem etiam variè, modo à perpendiculo, modo ad perpendiculum, reflectit & refringit, consequenter angulum visionis auget vel minuit magis aut minus, pro re nata; sicque res easdem aliter atque aliter spectandas offert. Sensu similiter abutetur, qui per halitum tremulo motu ascendentem, aut per aërem crassiorem vento agitatum intuitus corpora, trepidare eadem putat; quùm non alia quam trepidans species per tremulum medium ad sensorium deferri possit: &c.

XXXI. *Neque difficilius hæc attenduntur, quam regulæ quibus intellectûs perceptiones reguntur.*

At fortasse omnibus hactenus allatis nihil prorsus effecisse videbimur quibusdam, qui regerent: Papæ! Tanto ad Sensibus utendum opus est apparatu! tantâ attentione! Quis demùm, istæc omnia observanda si sint, se quicquam rectè sentire, certus erit? Et cur non potius Sensuum Usus, in veritatibus Philosophicis inquirendis, tam iis redditur onerosus, intricatus, ac periculi plenus, ut eum vel omninò istic negligere præstiterit? Quibus sufficerit respondisse, eâdem difficultate nos absterreri posse ab ipso rationis, judicii, ac discursùs usu. Quis enim existit, cui unquam institutiones Logicæ perlectæ sunt, qui ignoret, plurimis, iisque observatu difficillimis regulis ac legibus ratiocinia nostra adstringi sic, ut eas non ad amussim secuti certi existere nequeamus, nos nostrâ ratione benè usos fuisse. Ne quis verò, dùm præceptorum Logicorum memini, innui tantum hìc à me putet antiquorum Philosopho-

rum Logicam, quam Neoterici per contemptum Vulgarem, Scholasticam, ac Pedanticam (ità loquuntur) appellant, & totam tanquam ineptam, propterea quod innumeris inutilibus præceptis ipsorum judicio abundat, rejiciunt ac traducunt, ad ipsas Recentiorum artes dirigendi cogitationes, Tractatus de Ratiocinatione legitima, vel si quo alio exstent titulo ipsorum rectè ratiocinandi regulæ, ad ipsas illas, inquam, provoco, ne exceptâ quidem Cartesii ipsius quatuor duntaxat canonum Logicâ, quam proponit, *Dissert. de Method. p.* 11. 12. & quidvis ausim deponere, si intelligere ac praxi applicare præcepta in usu rationis legitimo inibi præfixa minus arduum sit, quam est observare in Sensationibus regulas modò à nobis enumeratas. Quum itaquè nulla ratio reddi possit, ob quam difficilius sit Sensu in philosophando legitimè uti, quam ratione, cum utrobiquè cautiones, etsi difficiles satis, necessariò observandæ occurrant, hactenus non est, cur solus intellectus, non etiam Sensus, in Philosophia usurpandus præscribatur.

XXXII. *Ex sensatione repetita de bonæ sensationis requisitis facilius constat.*

Interim nequè adeò existit difficile notare, utrùm conditiones recensitæ adsint in nostra Sensatione, nec ne, quam fortè primâ fronte videtur, dummodò, priusquam de re sensibili ex Sensuum fide pronunciamus, hisce duobus attendendis nosmet assuefecerimus: quibus suâ sponte quasi fallax si quis fuerit nobis detegitur Sensus. Primùm, & antefactas frequenter Sensationes revocabimus in memoriam, ac cum iis præsentes conferemus, & ipsas præsentes variis quibuscunque licuerit modis repetemus. Si contingat prorsùs aliâ ratione objecta Sensibus offerri, neque tamen ulla subitæ mutationis in iis deprehendatur causa; vel etiam, si recordemur in similibus circumstantiis Sensuum testimonio nos aliquandò delusos fuisse, meritò suspicabimur, quin certi satis erimus, aliquid deesse Sensûs perceptioni, vel à parte Facultatis, vel Organi; vel Objecti, vel Medii; nihilque adeò, vel parùm, Sensationi tali fidemus. Videat, ut antè dixi, Ictericus omnia, quæ obversantur Visui, flava; non tamen, si prudens sit, flava esse credet. Dùm enim recordatur, nuper admodum eadem illa corpora, quæ nunc uniformi colore tincta apparent, constanter ac sæpissimè debita cum animi attentione se conspexisse multiplici colorum varietate interstincta, dumque simul circumstantias expendens

pendens nullam invenit à parte rei insoliti coloris causam, olfacit facilè, nisi sit extremè ineptus, non objecta, sed vel Organum, vel Medium Sentiendi, pravam aliquam subiisse mutationem, cujus vitio flava offeruntur visui, quæ talia re verâ non sunt. Turrim quadratam (ut & veterem hanc contra Sensûs certitudinem allatam ab Academicis objectionem verbo tollam) qui de longinquo intuetur rotundam, eam talem esse non affirmabit; quoniam, mente repetitâ objectorum remotorum quæ antehac obtigit visione, meminit, sæpius quam semel aliâ figurâ ea se ingessisse oculis, quam quâ à parte sui existebant: Objectum ergò hoc visui, ratione distantiæ, approportionatum non esse, per se liquet. Idemque similibus in casibus hac methodo explorare unicuique pronum est.

XXXIII. *Item, ex plurium sensuum de eadem re consentiente testimonio.*

Deindè, in subsidium vocandi sunt, quantùm fieri potest, plures Sensus: quippe qui mirum in modum à natura in mutuum auxilium ordinati observantur. Ità ut vel hinc innotescat ac firmiter concludatur, divinitùs sic constitutum esse, ut ad Sensus recurramus etiam in discernendo vero à falso. Nempè plenam fidem & indubitatam persuasionem facit duorum aut trium testium in rem eandem consensus. Jucundissimum foret, providam hanc sapientissimi Dei curam paulò plenius demonstrare in admirandâ Sensuum omnium inter sese concatenatione: at ne sim in hisce prolixior justo, solùm Visum & Tactum ex cæteris obiter attendamus; quique hi sibi mutuo succurrant, ad docendum, quid verum sit quod sentitur, quid apparens, exemplo uno aut altero illustremus! Sit, cui omnia trepidare aut in gyrum agi videntur; manum si admoverit, illicò vitio turbati organi, vel tremuli medii, se errasse deprehendet. Pictum Parrhasii velum removeri jubeat imprudenter Zeuxis; at applicato digito visûs fallaciam nullo negotio castigare poterit. Multiplicet vel millies objectum superficiebus variè distinctis & inclinatis expolitum vitrum; rem unam esse ac simplicem ità manifestè palpabit manus, ut mox appareat perspicilli fraus. Contrà, perplexis digitis pilam quis, oculis clausis, tam distinctè contrectet, ut juret geminam esse; facillimè uno oculi nictu oriundum ex distorto organo errorem corriget visus. Quæ pauca, ex millenis aliis speciminisc ausa allata, docent abundè, quam sit facile, levi labore dignoscere, utrum Orga-

num, Objectum, Medium, se habeant in Sensatione uti decet, nec ne?

XXXIV. *Sensuum fallaciæ nil obstant, quo minus eis mens utatur in cognoscendo vero:* Verùm, missis illis, ratiunculas nunc examinemus, quæ contra Sensuum in philosophando usum proferuntur! Earum primaria, quam ceu formidabile Gorgonis caput objiciunt semper, petita est à fallaciis vulgò Sensibus tribui solitis. Quum enim fundamentum, cui cognitio nostra Philosophica innitetur, certum esse oporteat & errori nequaquam obnoxium, tale verò non sit testimonium Sensuum, perperam hoc inter indubitatæ scientiæ principia numerari concludunt. Scilicet, ut alibi Cicero, ubi quis semel pejerarit, ei credi postea, etiam si per plures Deos juret, non convenit; & secundum Juris regulam, *Qui semel malus deprehenditur, semper malus præsumitur.* Quæ eadem ratio Epicurum movit ad statuendum, *Nunquam Sensus mentiri, sed omnes veros esse, in iisque judicia rerum posita; quorum si unus semel in vita mentitus sit, sublatum esse omne judicium veri & falsi*: teste Cicerone, 1. *de Finib.* Pari acumine ex opposito hìc infertur, Sensus interdum fallere deprehendi, ac prudentiæ esse, nunquam illis planè confidere, qui nos vel semel deceperunt Quasi & ego dicam, eâdem consequentiâ, ac totidem ferè verbis: Ideas nostras interdum fallere deprehendimus, ac prudentiæ est, nunquam illis plane confidere, qui nos vel semel deceperunt. Exulent ergò jam ex Philosophia cum Sensationibus, Antiquæ Philosophiæ inter cætera fulcro non minimo, Ideæ, Novæ Sapientiæ palladium! Quin exulet in inquirenda certa rei veritate omnis in universum Memoriæ, Judicii ac Discursûs Usus! Nemo enim mortalium tantum sibi arrogaverit, ut nunquam ab iis omnibus se deceptum fuisse affirmare ausit.

XXXV. *Haud magis quam errores intellectûs hujus usum in philosophando prohibent.* Quin quanto frequentiores sunt & graviores errores Intellectûs quam Sensûs, tanto quoque major erit causa illi magis quam huic diffidendi in cognoscenda rerum veritate. Nempè id observandum obiter, errorem, propriè loquendo, non nisi ad mentem pertinere; quæ fallitur, quoties copulat aut disjungit notiones prædicatorum, quæ à parte rei copulata aut disjuncta non sunt. Sensus cum errare dicitur, denominatio duntaxat externa est; quatenus per Sensationes menti fiunt occasiones judicium ferendi rebus Sensu perceptis difforme, adeòque erroneum. Errat quapropter

Sensus

Sensus nunquam sine Intellectu; imò errat re verâ solus Intellectus, imprudenti præcipitantia Sensu abutens, eumque ultra limites suos extendens. Quumque propter quod unumquodque est tale id ipsum sit magis tale, evidentissimum erit, in philosophando minus esse tribuendum Intellectui quam Sensui, siquidem verum sit, prudentiæ esse, nunquam illis planè confidere, qui nos vel semel deceperunt. Quis ergò non videat, admittendam neutiquam esse ratiocinationem, quæ, unà cum Sensuum in indagando vero ministerio, evertit alia quævis, quæ homini ad manum esse possunt, philosophandi adminicula; nihilque ei reliquum facit, quam ut in Scepticorum castra aut Fratrum ignorantiæ societatem transeat?

XXXVI. *Sensuum erroribus, non minus quam intellectûs, corrigendis ad manum sunt remedia.*

Inquies, mentis nostræ perceptionibus tutò sæpè credimus, quia de harum veritate certò possumus existere persuasi; cum, *si quæ in iis reperiatur falsitas, aliqua etiam nobis à Deo facultas tributa sit, ad illam emendandam.* Rectè equidem, & opportunè! Non minus scilicet ad manum sunt adminicula, quorum beneficio haud magis difficulter detegatur, quid veri falsive unicuique Sensationi subsit; uti manifestum est ex illis, quæ de Sensuum deceptionibus cavendis retrò disputavimus. Limitandus itaquè canon, de non fidendo ei qui semèl nos decepit; & res omnis salva est. Videlicet, ei qui semel decepit, iisdem in circumstantiis, quarum occasione decepit, quoties in potestate nostra non est explorare verumne testetur an falsum, fidendum planè non est. Sed nil jam ex Sensuum fallaciis conficitur amplius, quam, quemadmodum cuivis promiscuè mentis perceptioni, ità neque omni Sensationi, semper & ubiquè fidendum esse; sed ei tantum, quæ, adhibito tempore & cura, vera esse ac certa deprehenditur. Quibus verò indè elici queat fidiculis, *ex Sensuum perceptionibus de rebus extra nos positis nil certi concludendum esse; neque iis utendum, tanquam veritatis magistris, citra naturæ ordinis perversionem*, quod concludendum erat, audire lubet? Alia, eaque elegantissima notat Gassendus ad hoc argumentum de Sensuum fallaciis, quæ apud ipsum vide, *Instant. p.* 20.

XXXVII. *Fallaciæ Sensuum, si philosophia-*

Mirum verò, ut & hoc addam, si *omninò prudentiæ sit, iis non confidere, qui vel semel deceperunt*, mirum, inquam, quì imprudentiæ notam effugere queat Cartesius, quandò totius vitæ ani-

tioni, etiam vitæ moderamini hos ineptos faciunt.

malis regimini duces præficit Sensus. Certè sæpius quam semel Sensus nos decepisse, etiam in iis quæ ad res hujus vitæ pertinent, experimur quotidiè adeò multoties, ut nec diffiteri videatur ipse Auctor, *Medit.* VI. *Sensus*, ait, *circa ea quæ ad corporis commodum spectant multò frequentius verum indicant, quam falsum.* Nec juvant quæ proxime sequuntur, de homine qui *possit uti fere semper pluribus sensibus ad eandem rem examinandam; & insuper memoriâ, quæ præsentia cum præcedentibus connectit; & intellectu, qui jam omnes errandi causas perspexit; quique ideo non amplius vereri debeat, ne illa, quæ ei quotidie a Sensibus exhibentur, sint falsa.* Non ista juvant, aut si juvant, etiam ab imprudentia & naturæ ordinis perversione excusant Philosophum, quandò Sensibus utitur in inquirenda rerum veritate; cum non minus hic, quam in iis quæ ad corporis commodum spectant, ipse circa eandem rem & sensibus pluribus, & memoriâ insuper & intellectu, uti possit; quare neque hic amplius vereri debebit, si ista cura sufficit, ne illa, quæ ei quotidiè à Sensibus exhibentur *cognoscenda*, sint falsa. Vel ergò æquè fidus sensus est ad promovendas cogitationes philosophicas quam ad vitæ moderamen: vel, si, ob suas fallacias illis juvandis sit impar, etiam hujus imperio parùm idoneus existit.

XXXVIII

Innatæ rerum ideæ, si vel maxime dentur, absque sensibus philosophationi non sufficiunt.

Profligatâ sic primâ acie, quæ instrui solet ex Sensuum erroribus, satis exaggeratis, quo evincatur, eos, ceu errorum matres, atque infantilium præjudiciorum obstetrices, Philosophaturo esse ab indagine veri ceu noxios removendos, alteri nunc est occurrendum, quæ Sensuum perceptiones inutiles eidem reddere allaborat. Non minus autem hæc priore illâ terribilis est & specie & numero; ità benè est coagmentata ex innumerabilium clarissimarum ac distinctissimarum idearum innatarum (quas fatua mens, dum in sinu circumfert, excutere tamen plerumquè ignara est) apparatu absolutissimo. Nimirùm, *cum mens, quæ se ipsam novit, undiquaque circumspicit, ut cognitionem suam ulterius extendat, invenit apud se multarum rerum ideas. Princip.* I. *Art.* XIII. *Itaquè ad seriò philosophandum, veritatemque omnium rerum cognoscibilium indagandam, ordine tantum attendendum ad notiones, quas ipsimet in nobis habemus. Ibid. Art.* LXXV. Atque *ita solo intellectu, ad ideas sibi a natura inditas diligenter attendente, hic utemur. Princip.* II. *Art.* III. Nec lubet, nec opus est, hoc loco anxie inquirere,

quirere, quid iſta ſibi velit innatarum idearum ſupellex, quâ inſtructa mens naſcatur. Eas ſolas (quodcunque tandem earum nomine intellectum velint) rerum cognitioni acquirendæ non ſufficere, infantes & fatui abundè docent; qui, etſi non minus quam alii iis abundent, nihil tamen indè habent, ne micam quidem, intelligentiæ rerum. Nempè ſenſuum legitimo uſu deſtituuntur, qui requiritur, datis etiam innatis ideis, ad excitandas ſaltem illas: adeò, ſine ſenſu ideis uti nulli in hoc ſtatu unionis eſt poſſibile. Scitè quadrat in iſtos, qui ex ſolis ideis, remoto ſenſu, ſapere inſtituunt, quod alibì, quem & ſæpius citavi, Lactantius, *Inſtit. lib.* 3. *Cap.* 3. *Scientia ab ingenio venire non poteſt; nec cogitatione comprehendi: quia in ſe ipſo habere propriam ſcientiam, non hominis, ſed Dei eſt. Mortalis autem natura non capit ſcientiam, niſi quæ venit extrinſecus. Idcirco enim oculos, & aures, & cæteros Senſus patefecit in corpore Divina ſolertia, ut per eos aditus ſcientia perveniret ad mentem.*

Quæ aliæ adferri poſſunt rationes, quibus ſenſus in philoſophando inutiles demonſtrentur, eas accuratè adeò congeſſit Claubergius, citatâ *Exercitat.* LXXXIII. *de Cognit. Dei & Noſtri,* ut vix amplius quid quod alicujus ſit momenti objici poſſe videatur: quapropter breviter examinatis quæ apud hunc occurrunt, meritò finem huic Diſſertationi imponemus. Poſt alia, quæ *loc. cit.* apud eum legi poſſunt, quæque exhibere prolixius foret, ſic arguit: *Quæ ratione corporis & animæ ſimul homini tributa ſunt, illa non niſi ad compoſitum ipſum, qua tale, referenda. Quod cum de fame & ſiti, & talibus, facilè quis dederit, cur non dabit de Senſibus*? Reſp. Nullæ actiones hominis, ne quidem rationales, v. c. judicium, diſcurſus, &c. ità in ſolidum menti, dum & quatenus eſt in ſtatu unionis (caſus extraordinarios, qualis obtinet v. c. in ecſtaſi, &c. excipio) tribuendæ ſunt, ut nullam ſibi in iis partem vendicet corpus; ſuppeditando ſaltem occaſiones, aliiſve modis operationes mentis promovendo. Neque id mirum eſt: cum enim actiones ſuppoſitorum ſint, operandique modus ſequatur modum ſubſiſtendi, mens autem corpori hypoſtaticè exiſtat unita, omninò rationi conſonum eſt, & experientiâ in ſenibus, melancholicis, aliiſque comprobatum, non ſine corpore cogitare mentem, uti non ſine mente movetur corpus. Igitur, cum nullæ ſint actiones ho-

XXXIX. *Quamvis toti compoſito Senſus conveniant, non idcò tamen ad vitæ uſum præcisè ſunt reſtringendi.*

hominis, quæ non aliquatenus & ad mentem ſpectent & ad corpus, ſequetur, vel omnes illas ad compoſitum qua tale eſſe referendas, nullas prorſus ad contemplationem veritatis; vel falſum eſſe, quod aſſerit Claubergius, ea quæ ratione corporis & animæ ſimul homini ſunt tributa, non niſi ad compoſitum qua tale eſſe referenda. Facillimum foret etiam huic dubio occurere ex tribus ſentiendi gradibus, quos ſtatuit Claubergius; ſed iſta nunc miſſa facere cogor, brevitati ſtudens. Famem quantum attinet & ſitim, cum nil pro objecto habeant præter alimenta, præcisè quatenus pertinent ad nutritionem, facilè quis dederit, eas non niſi ad compoſitum, qua tale, eſſe referendas. At Senſuum diſpar longè ratio eſt; quippe qui ad ea quoque ſeſe extendunt, quæ cum vitæ animalis regimine nullam habent connexionem: dùm viam aperiunt, ut loquar cum Carteſio ad magis abſolutam naturæ cognitionem, docentes, quid ſit magnitudo, numerus, figura; quantum Planetæ diſtent à Sole; quæ & quot ſint ſydera Medicæa, &c. Hiſce paria cùm revelaverint menti ſitis & fames, nil repugno, quo minus pari loco habeantur cum Senſibus, cognitioniſque humanæ inſtrumentis annumerentur.

XL. *Senſus ſapiendi adminicula ſunt, etſi ſapientes non ſint qui eos ſemper ſequuntur duces.*

Non ſemel, ait Claubergius, *admiratus fui, tot ac tanta corporeis adſcribi Senſibus, ut Philoſophiæ & humanæ eruditionis omnis primi quaſi magiſtri habeantur. Nam ita mecum ratiocinabar: Si omnis cognitio petitur à Senſibus, &c. mirum eſt, quod non ſapientiſſimi, qui ſuos perpetuò Senſus ſequuntur duces.* Reſp. Si verum ſit, uti eſt veriſſimum, quod alibì Ariſtoteles, *exiſtimandum eſſe ignoraſſe, quicunque miratur*, nil miri eſt, mirari hîc Claubergium; ità ſe in toto hoc ratiocinio ignorare prodit, aut ſaltem ignorare vult videri, quæ ſit mens eorum qui ſtant pro Senſuum in philoſophando Uſu. Ecquis enim unquam extitit, qui quamvis Senſationem veritatis magiſtram dixerit? Si non, quo colore infert Claubergius, ſapientis fore, ex noſtrâ ſententiâ, Senſus *perpetuò* duces ſequi? Sed ſi de iſto Senſu ſit ſermo, qui circa proprium objectum occupatur, atque undiquaquè benè ſe habet (ex conditionum, quas ſuprà recenſuimus, requiſito) immò verò, qui Senſum talem circa rem ſenſibilem perpetuò ſequitur ducem, ſapientior habendus eſt decies & amplius eo, qui imaginarias & in mente fabricatas temerè ideas ſectatur. Atque ità meritò Ariſtoteles

teles VIII. *Phys.* *διανοίας ἀῤῥωστία* laborare pronunciat eos, qui sensum dimittunt in iis, quæ Sensibus manifesta sunt, & rationes quærunt. Quicum eleganter consentit Cicero, *Acad.* II. *Sensuum ita clara judicia & certa sunt, ut si optio naturæ nostræ detur, & ab ea Deus aliquis requirat, contentane sit suis integris incorruptisque Sensibus: an postulet melius aliquid, non videam quid quærat amplius.* Restringebam hanc sensibus haustam sapientiam ad proprium sensuum objectum. Nam & sensationum occasione de insensibilibus quomodo philosophandum sit sapienti, jam plus satis suo loco exposuimus. Undè quo pacto sapiens & idiota aliter & aliter sensus sequatur duces, facile intelligitur: illi sensationes sapientiæ argumentum suppeditant, huic objiciunt impedimentum.

Sed pergit mirari Claubergius. *Imo mirum, quod intellectu & sapientiâ omni carentia animantia facultate sentiendi hominem superent; secundum versus: Nos aper auditu, &c.* Resp. Quasi in nuda Sensatione sapientia consisteret; & non potius ejus acquirendæ medium foret prudens ejusdem usus! Cujus arbitro, mente scil. quoniam destituuntur bruta, nulla quoque, vel propter acutissimos Sensus, iis tribui potest sapientia. Liceat verò & mihi mirari! Mirum, inquam ego, si Sensus tantùm dati sint ad vitæ animalis regimen, cur non illi æquè acuti concessi sint hominibus ac brutis; quasi illi minus necesse habeant commoda hujus vitæ discernere ab incommodis, quam hæc. Mihi si respondeat Claubergius (quemadmodum aliud responderi hic nequit; nisi fortè dicat saginandæ v.c. Sui conducere auditûs acumen) voluisse potentissimum Deum multiplicem suam manifestare sapientiam in tanta constructionis organorum varietate in variis subjectis, hoc idem sibi à me responsum putet. Quin & id mirum, si tantùm ad vitæ animalis regimen dati sint sensus, cur in homine se aliter habeant quam in bruto: in illo scilicet cum cogitatione mentis conjunctæ existunt, in hoc minimè. Atquì, quid ad vitæ animalis regimen cogitatio; citra quam omnem animalem vitam vivunt commodissimè bruta? Sed & hac de re suo loco plura.

XLI. *Acumen Sensuum in brutis, eos homini ad philosophandum esse inutiles, neququam arguit.*

Mirum, ait porrò, *quod qui maximè intellectu & scientiâ pollent, Deus & Angeli, omni Sensu corporeo destituantur.* Resp. Quasi quis unquam asserere somniasset, absolutè semper & ubiquè Sen-

XLII. *Cùm non Deo & Angelis, cur*

 satio-

tamen homini ad intelligendum Sensu opus sit?

sationem requiri, ad quemvis intellectum & scientiam. De homine id tantùm affirmatur, in quo intellectus à Sensu dependet; *sive*, ut Cartesium rectè philosophari audivimus; *quod mens talem, ex eo quod corpori conjuncta sit, habet naturam, sive, quia in primis annis majorem de sensibilibus cogitandi usum & facilitatem sibi acquisivit.* Hic ergò cum sermo omnis sit de cognitione spiritûs cum corpore in eandem personam uniti, qua talis, quæ inscitia est, adducere exempla suppositorum merè spiritualium, Dei, Angeli? Vin, æquam ego faciam comparationem, & mirer? Mirum, si solo intellectu utendum sit, Sensus nil nisi obscurè & confusè menti offerant, mirum, inquam, quod qui Sensuum usu destituuntur homines, quales sunt, infantes, apoplectici, &c. non maximè intellectu & scientiâ polleant, ac subtilissimi sint Philosophi.

XLIII. *Quæcunque Sensui clara sunt, eadem qua talia menti existunt evidentia.*

Mirum, addit, *quod quæ clarissimè sentimus, ex. gr. lucem & colorem, obscurissimè tamen intelligamus.* Resp. Mirum, non occurrisse hìc Auctori distinctionem, quâ ipse paulò pòst utitur inter rei τὸ ὅτι & τὸ διότι. Certè ut lucem clarè sentimus, ita & clarè eandem intelligimus; nempe τὸ ὅτι. Quòd vero τὸ διότι ejus tam obscurè intelligimus, non aliundè fit, quam quia ipsum τὸ διότι Sensum non afficit. Si enim adeò clarè visu perciperemus, quid sit lux aut color, quam quidem eo percipimus, quid sit magnitudo, figura, motus, situs, non minus etiam clarè, illa quid sint, intelligerêmus, quam hæc. Atque hoc ipsum Cartesius quoque asserit, & prolixè satis prosequitur, *Princip.* I. *Art.* LXIX. LXX. Adeò ut, quod argumentum Claubergius contra Sensus militare autumat, ipsum multo magis eorundem confirmet necessitatem. Accedit hisce, nos, si quid nobis de luce aut coloribus innotescat, quid sint, etiam id omninò sensationibus debere, quandoquidem ex earum observationibus de lucis proprietatibus & effectis hausta sunt quæ in Dioptrica de illis tradit ipse Cartesius: qui si illum tractatum scribere potuisset, nisi visu adjutus, mirum foret omnium maximum, & res solùm non prodigiosa.

XLIV. *Contrà, quæ nullo modo sentimus omnium*

Ultimum miratur Claubergius: *Mirum, quod quæ nullo modo sentimus, optimè tamen & facillimè intelligamus, uti cogitationes quisque suas, quas habet in animo, dum affirmat, negat, vult, nonvult, licet nullis interim verbis externis utatur, neque audiat, aut*

legat

legat quicquam. Resp. Nescio, quâ confidentiâ tam rotundè pronunciet Claubergius, optimè & facillimè intelligi cogitationes, etiam ab eo, qui nec audivit nec legit quicquam. Falsitatis hanc thesin convincunt quotquot unquam extiterunt deliri, apoplectici, lethargici, infantes, aliique, quia Sensuum, ideò & rationis usu, consequenter & suæ cogitationis intelligentiâ, destituti. Neque longùm abeamus. Mirum, si quis unquam expertus fuerit, hominem idiotam & rusticum melius & facilius intelligere, *quid sint* (nam de eo *quod sint* non est quæstio) cogitationes suæ mentis, affirmatio, negatio, volitio, nolitio, de quibus rectè concipiendis ipsi inter sese digladiantur eruditissimi quique, quam quid sit magnitudo, situs, aut figura corporis. Sed cum ista pertineant ad aliam controversiam, de spiritualibus utrùm ea nobis in hoc rerum statu facilius cognoscantur quam res corporeæ, hìc subsisto. Ostendisse nunc suffecerit, nullas fuisse Claubergio rationes, ob quas necesse habuerit mirari, tantum corporeis adscribi Sensibus, ut Philosophiæ & humanæ eruditionis magistri habeantur. Concludo tandem: *Sensus non tantum datos esse ad vitæ animalis regimen, verum etiam ad dijudicandum, quæ sit rerum extra nos positarum natura, & inhærentes proprietates*; per consequens: *In vero indagando non solo intellectu, sed & Sensibus utendum esse, tanquam veritatis magistris, citra ullam naturæ ordinis perversionem.* Quod ipsum demonstrandum erat. *difficillimè intelligimus.*

XLV. *Intellectûs humani à Sensu dependentis explicatio & demonstratio paucis theorematibus comprehensa.*

Cæterùm, quandoquidem ad manum hoc loco erant positiones quædam, quibus intellectûs nostri à Sensu dependentiam breviter aliquandò explicabam, easque jam dictis confirmandis atque illustrandis conducere nonnihil judicabam, visum est hanc de Sensuum in philosophando Usu Dissertationem eisdem claudere. Atque hunc quidem in modum istic philosophabar:

I. Quotquot aut explosa Platonicorum deliria, aut damnatam Epicureorum impietatem instaurare nolunt, eis certum esse debet, neque mente solâ constare hominem, neque solo corpore; sed utroque illo hypostaticâ unione in eandem personam conjuncto. Quumque actiones non partis alicujus sint, sed totius suppositi, etiam non mens sola cognoscit, non corpus solum, sed homo ex utroque compositus; conferente unaquâque parte quod suum est. Quid verò, tanquam suum, quælibet pars hùc conferat? videndum est propius.

II. Pro-

II. Proprium intelligendi principium corpus nec esse, nec esse posse, evincit abundè illa sui quæ in omni intelligente est conscientia; cujus rem extensam atque impenetrabilem minimè esse capacem facilè est demonstrare. Imò, ex eodem fonte deducitur nullo negotio, quodcunque corporeum ex se & sua natura nullam habere cognationem aut affinitatem cum actu intelligendi spirituali.

III. Non itaquè ex ipsa mentis intrinseca essentia, in quantum purus spiritus est, id fluit, quod actiones ejus comitetur aliquod corporeum (uti neque in rebus merè spiritualibus, Angelis nimirùm, & Animabus separatis, tale quid obtinet) sed ex mera ordinatione primæ causæ; quæ, utì mentem in hoc statu unionis non subsistere absque corpore, ità neque eandem sine corporis societate operari, voluit: quatenus modus operandi eum qui est subsistendi sequitur.

IV. Quoties ergò quicquam intelligit homo, hominis ea actio est, non solius mentis: concurrente videlicet ad eam etiam suo modo corpore. Non quòd hoc ipsas rerum notiones formet (id enim jam à corpore removimus, & mentis opus esse diximus) sed quod harum istarumve idearum formandarum idoneam saltem ansam suppeditet: idque adeò semper & ubiquè, ut nullam planè putemus esse in homine actualem perceptionem, cui excitandæ non aliquam; seu proximam seu remotam, sensus fecerit occasionem.

V. Dico, omnibus nostris cogitationibus per sensus aliquam saltem præberi occasionem; quatenus scilicet sensibilia rei adjuncta, causæ, effecta, opposita, similiaque, mentem cogitare faciunt de re ipsa cujus sunt affectiones. Quod diligenter notandum; ne quis istam nos insanire insaniam autumet, ut contendamus, omnes, quæ ab intellectu nostro producuntur, cogitandi formas expressa ectypa esse aliquorum phantasmatum.

VI. Remotissimum id est à mente quemadmodum nostra, sic & antiquorum Philosophorum: quippe qui eodem spiritu, &, *Nihil esse in intellectu quod non antè fuerit in sensu*, dixerunt, & simul tanquam axioma celebrarunt istud, *Substantia non incurrit in sensus.* Neque millena esse diffitemur, quorum omni notitia mens nostra haud caret, etsi phantasmata eorum nec sint, nec esse possint. Ut qui

qui hoc ſenſu Veterum ſententiam impugnant cum umbra ſua luctentur.

VII. Summa ergò rei hæc eſt. Quemadmodum Geometra ex paucis quibuſdam principiis elicit mirandam ſeriem demonſtrationum, in principiis iſtis fundatarum quidem, plurimum tamen ab iiſdem diſtantium; ità intellectus hominis ex occaſionibus quibuſdam cogitandi à ſenſu ſuppeditatis, ratiocinando (ſcil. diſcurrendo, abſtrahendo, &c.) notiones format omnes, etiam rerum à ſenſu remotiſſimarum. Id nùm ità ſe habeat? videamus per partes.

VIII. Si quid à ſenſibus abſit, abſunt omnium longiſſimè Metaphyſicæ veritates; quales ſunt Deus, Anima rationalis, Principia prima, ſimiliaque. Verùm, ne illa quidem ſine ſenſuum auxilio actu ſciri, aſſerimus. De quo qui dubitat, ablegandus tantùm videtur ad cunas infantium, & gyrgathos mente emotorum; quales nullam actualem habere harum rerum notitiam, ex hoc ſolo quod vel ipsâ ſenſuum activitate, vel eorundem in rectè ratiocinando legitimo uſu deſtituuntur, clarum eſt.

IX. Quantum juvent in acquirenda notitia dianoëtica & exiſtentiæ & attributorum Dei ſenſus noſtri, ut alia ſileam, omnium optimè docet Doctor Gentium Paulus, aſſertor ille Naturalis Theologiæ egregius, quando Ethnicos in hoc inexcuſabiles pronunciat, quod animum non ritè adjecerint ad τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, quod ipſis manifeſtaverat Deus. Sed quo pacto? Quatenus puta inviſibilia ſua, æternam potentiam ac divinitatem, conſpicienda dedit & intelligenda ex creati mundi ſtructura.

X. Neque alia Animæ humanæ ratio eſt. Non enim ejus notitiam haberi per directum aliquem ſui ipſius intuitum, evincit ipſa ſuæ mentis in hominibus pleriſque, etiam non indoctis, ignorantia. Hanc eo magis tolli in nobis experimur, quo diligentius ad operationes attendimus quibus ipſa ſeſe manifeſtat; quas inter primæ nobis obſervabiles ſunt riſus, loquela, & ſi quæ tales plures in ſenſum incurrant: hæ enim primùm de rationali principio nós cogitare faciunt.

XI. Quod ad Principia Metaphyſica, quorum nobis innata dicitur veritas, qualia ſunt, v. c. *Nihili nulla ſunt affectiones*; *&c.* etiam experientia dictat, nullam actualem eorum haberi in-

 telli-

telligentiam à quoquam, cui non per sensus factæ fuerint occasiones res quasdam cogitandi, quibus ista principia applicantur, quorumque occursu ipsa quasi in intellectu nostro excitantur. Quæ eadem intellecta velim de veritatibus quibusvis aliis, tum Metaphysicis, tum etiam Moralibus.

XII. Circa Mathematica alicui hìc dubium esse posse, oppidò mirum est. Etenim neminem in iis percipiendis excellere, qui non plurimum polleat viribus imaginationis, notissimum est. Et quis in triangulo rectilineo tres angulos internos duobus rectis æquales esse percipiat, cui non per sensum nota sit trianguli configuratio? Quamobrem etiam sensibus, visu imprimis, destitutis perceptu difficillimæ sunt hæ disciplinæ.

XIII. Omnium maximè dominantur Sensus in Physica, quippe quæ objectum proprium habet res materiales, suis se qualitatibus, tum etiam causis atque effectis, in sensum immediatè ut plurimùm ingerentes. Adde Botanicam atque Anatomen, in quibus omne punctum fert, omnique ratione potior est, nuda autopsia. Ut mirandum meritò videatur, si cui haberi queat pulchrior imago coloris, quam ex sola innata idea, scilicet! haurit cœcus, quam quæ se offert oculis alicujus benè videntis.

XIV. Neque obstat, quod Sensus rerum existentiam & effecta tantum docere videantur, non causas, non effectorum cum causis connexionem; in quo tamen philosophica rei notitia propriè consistit. Præterquam enim quod sensibus manifestari etiam causas cum effectis connexas pluribus instantiis, à Meteoris, &c. desumptis, demonstretur facilè; etiam qui Sensuum tuentur necessitatem, hoc ipso contenti sunt, si agnoscantur tanquam requisitæ philosophandi occasiones; quales agnoscuntur, cum per oblata effecta mentem moveri, ad ratiocinandum de eorundem causis, admittitur.

XV. Ipse profectò Cartesius ex principiis suis de Mundo hoc aspectabili philosophari minimè fuit ausus, nisi enarratâ primum phœnomenôn sensibilium historiâ. Hanc nisi normam sumsisset suarum idearum, ex hypothesibus istis suis mundum ei qui de facto datur similem cudisset nequaquam; adeò mens ejus in vorticibus oberrans, absque sensuum auxilio determinata nunquam fuisset, ad exitum ex iis inveniendum effectibus rerum respon-

respondentem. Vide hæc fatentem *Princip. Part.* III. §. IV.

XVI. Quandoquidem itaquè eo quo explicuimus modo universa hominis cognitio in hoc nostræ mentis statu à sensibilium rerum perceptione ducit originem, verissimè intellectum nostrum ab ortu suo similem dixit Philosophus tabulæ rasæ, cui actu inscribatur nihil, donec crescente ætate, phantasmata speculando idoneas nanciscatur anima humana notiones quaslibet formandi occasiones. Quo sensu, etiam vulgò recepto, quam trita tam certa existit regula, *Nihil est in intellectu quod non antè fuerit in sensu.*

EXERCITATIO

Expendens

Confectaria Ideæ, quâ absolvitur MENS HUMANA SOLA COGITATIONE.

SUMMARIUM.

I. *Nullum prudenti Philosopho recipiendum dogma novum, cujus non cautè animo prospexerit consequentias.* II. *Consectariorum quæ post se trahit novella idea de humana mente, quæ mera cogitatio sit, syllabus.* III. *Assertionis, Dei omnem essentiam in cogitatione constituentis, cum ea quæ mentem humanam solâ cogitatione absolvit, demonstrata connexio: Ejusdemque paucis detecta falsitas.* IV. *Sententiæ, non nisi duo in Deo attributa admittentis, cum eadem hypothesi ostensus nexus:* *Ejus-*

Ejusdemque patefacta breviter absurditas. V. *Deum ratione essentiæ nuspiam esse, eadem hypothesis necessariò infert: Dogmatis hujus addita confutatio.* VI. *Definitio Divinæ Immensitatis, tantùm per denominationem externam ab operatione desumptam, ex eadem hypothesi fluit: Ejus notata periculosa absurditas.* VII. *Utriusque Naturæ in Christo unionem solâ operatione absolvere jubet eadem hypothesis: Reclamante orthodoxâ Christianorum fide.* VIII. *Angelos esse nuspiam docere cogit eadem hypothesis: Dogmatis hujus Weigeliani confutatio.* IX. *Angelos de spatio in spatium non moveri, eadem hypothesis infert: Ejus assertionis ostensa paucis falsitas.*

I. *Nullum prudenti Philosopho recipiendum dogma novum, cujus non cautè animo prospexerit consequentias.*



Armen nullum edendum præcipit Poëta, quod non *nonum prematur in annum*, quodque non ad unguem sæpius fuerit castigatum; ne scil. auctorem fortè suum, si minus limatum prodeat, det in ruborem. Saluberrimi moniti ante alios probè memores esse oportet, quibus volupe est ad nova dogmata fabricanda ac divulganda animum adjicere: adeo, si quæ, hæc certè plena periculi res est. Etenim, quemadmodum rerum, ità conceptuum quoque, mira longissimaque est concatenatio; cujus principium facilè finem vix reperias. Nec falsarum opinionum minor est fertilitas quam ipsarum veritatum: ut fieri non possit, quin, juxta illud πολυθρύλλητον Philosophi, *Uno absurdo posito sequantur plura.* Hanc itaquè vir prudens immotam sibi rectè figat legem, ne ullas unquam novellas admittat ideas, multo minus tanquam certas propugnet, quarum consequentias non animo prospexerit ac probè probequè secum examinaverit. Id si observatum fuisset ab omni ævo, nunquam eruditorum orbis tot laborasset controversiis; quippe quæ maximâ sui parte non tam sunt destinato consilio excogitatæ theses, quam consectaria potius quarundam hypothe-

pothesium, quibus tuendis dùm plus justo studuerunt earundem auctores, salvandæ præconceptæ opinionis amore in istas, sæpè fortuitò magis quam consulto, inciderunt. Quumque & attentissimi quique non rarò sese hìc deceptos deprehendant, dùm primo intuitu elegantissimâ specie multi sese novi conceptus commendant, qui tamen penitius introspecti post se trahunt immanium absurdorum syrma longissimum, merito quicquid novum est, tanquam nondum satis exploratum, suspectum habetur, & jure creditur via antiqua tanto tutior, quanto est magis trita. Atque utinam nostris quoque temporibus non reperiantur, qui, ne Cartesii sui ideis vel hilum decedat, quæ ipsi horruissent antè consectaria, quandò jacta est alea, propugnant pertinacissimè, & quicquid ex iisdem nascitur monstri, quamtumvis id & horrendum & informe & ingens fuerit, ceu pulcrum sapientiæ fœtum sinu excipiunt avidissimè, fovent tenerrimè.

II. *Consectariorum quæ post se trahit novella idea de humana mente, quæ mera cogitatio sit, syllabus.*

Ex pluribus unum idque luculentissimum hujus rei specimen exhibet nupera mentis humanæ, quæ nihil aliud sit quam mera cogitatio, idea: ex qua quæ sequuntur porismata tam latè patent, ut nullum fermè receptæ Theologiæ & Philosophiæ caput relinquant intactum; adeò utriusque per ea immutatur, etiam in rebus gravissimis, facies. Dogmatis ipsius falsitatem detectam dedimus abundè peculiari Tractatu, qui prodiit Titulo *Narratoris Confutati*; sive, *Animadversionum in Narrationem de Controversiis nuperius in Academia Ultrajectina motis*; invitante ad plenissimum rei examen Celeberrimo Antagonista. Inter cætera *Tract. cit. pag.* 186. 187. texebam brevem syllabum præcipuarum quarundam consequentiarum, ex nova de mente humana sententia fluentium, & præ aliis tunc temporis fortè occurrentium. Nimirum: I. Essentiam Dei in cogitatione consistere. II. Duo propriè loquendo tantum dari Dei attributa interna, Intellectum & Voluntatem. III. Deum ratione essentiæ nullibi esse. IV. Omnipræsentiam ergò Ejusdem nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam, natam ex operatione in rebus corporeis. V. Quin & naturam divinam in Christo mediatore aliter humanæ naturæ uniri non potuisse, quam per operationes. VI. Angelos bonos aut malos ratione essentiæ nuspiam esse. VII. Neque moveri de spatio in spatium. VIII. Posse nihilominus unum eorum in duobus dis-

sitis spatiis plures operationes ad extra simul producere. IX. Ità tamen ut nullam veram exerceat causalitatem, sed Deus efficiat aliquid in creaturis, ad nudàm angeli voluntatem. X. Animam humanam non esse hominis formam. XI. Corpori unitam esse non ratione essentiæ, sed duntaxat ratione operationum. XII. Sic tamen ut tanquam caussa propriè dicta nullas actiones transeuntes in corpore producat. XIII. Verum motus hujus ab influxu mentis non pendeant. XIV. Quin & corpus humanum vivere possit & moveri citra ejus præsentiam. XV. Animam rationalem in morte hominis non mutare suum ubi. XVI. Neque ullam post mortem ratione τȢ ubi posse illi tribui differentiam. XVII. Sed cœlum & infernum nihil aliud notare quam mutationem cogitationum. XVIII. Cæterùm, Animæ actionem potentià agendi esse priorem, atque hanc ab illa fluere. XIX. Habitum mentis sine actu concipi non posse. XX. Nec ullum omninò habitum dari, etiam infusum aut innatum, qui non actibus comparetur. XXI. Talem consequenter quoque esse habitum congenitæ vitiositatis; sicque hominem prius actu quam habitu peccatorem esse. XXII. Infantem ergò in matris utero actu peccare. XXIII. Ex adverso, embryonem regenitum credere fide actuali. XXIV. Quin, Spiritum S. in regeneratione nullam bonam inclinationem menti implantare posse, absque actu nostræ voluntatis. XXV. Itaquè & regenitum prius actu quam habitu credentem fieri. Obtestabar istic unumquemque partem in his dissidiis nondum facientem, judicaret, tantine fieri debeat novella humanæ mentis, ceu meræ cogitationis idea, ut cum illa in orbem Reformatum intromittenda putet hæc quæ exhibuimus inaudita pleraque in hunc usque diem Ἑυρήματα; quæ ipsa singula suas iterum habent sequelas extendentes sese latissimè. Etsi verò tum in illo nostro Tractatu tum passim in hisce Exercitationibus docuerim abundè, has omnes assertiones, & connexas esse suâ naturâ cum novo dogmate, & simul falsitatis atque periculi esse plenissimas, nequis tamen maneat calumniæ locus, pressius nonnihil agere visum fuit, hujusque rei in prioribus saltem quibusdam eo quo sequuntur se ordine breve dare experimentum. Cæterùm, ex ungue Leonem! Ajebam itaquè ex opinione, quæ mentis humanæ essentiam solo cogitandi actu absolvit, sequi:

I.

Ipſam totam Dei eſſentiam in hoc uno conſiſtere, quod ſit cogitatio. III. *Aſſertionis, Dei omnem eſſentiam in cogitatione conſtituentis, cum ea quæ mentem humanam ſolâ cogitatione abſolvit, demonſtrata connexio;*

Nimirùm, quandoquidem ex novella hypotheſi conceptus cogitationis intimam naturam noſtræ animæ ſpiritualem ſecundum ſe exhibet; & quoniam illis auctoribus Deus eandem eſſentiam ſpiritualem cum mente humana habet communem (reclamante licet alibì D. Coccejo, cujus judicio *ſpiritualitas animæ & Dei non magis conveniunt, quam eſſentia animæ & corporis, Summ. Theol. Cap.* XVII. §. 12.) non poteſt non hac parte de Deo ſtatui idem, quod affirmatur de humano ſpiritu. Diſertè Poiretus, *Cogit. Rat. Lib.* III. *Cap.* III. §. 3. *In Deo, cum ad illum attendo ex hac occaſione* (ſcil. quod *completa notio rei quæ cogitatione abſolvitur ſpiritualitas dicenda ſit, ob quam aſſero mentem meam ſpiritum eſſe*, §. 1.) *ita etiam cogitationem eſſe animadverto, ut tota ejus natura in illa ſola conſiſtat, excluſis cæteris omnibus, quæ præter cogitationem poſſunt concipi .... Notetur idcirco, omnia quæ in ſequentibus Deo attribuentur, nil eſſe præter meram cogitationem. Ibid.* § 4. *Ex hiſce facile eſt concipere, quid ſit Dei ſpiritualitas, nimirum quod non tantum cogitet Deus, ſed quod omnia quæ in ejus natura ſunt, cogitatio mera ſint.*

Crudum profectò hoc dogma eſt non minus quam novum. Carteſius ipſe, *Medit.* III. contentus fuit Deum deſcribere, *Ens ſummè perfectum & infinitum*; ut *Dei nomine intelligat ſubſtantiam quandam infinitam, independentem, ſummè intelligentem, ſummè potentem, &c.* Mirum certè, de cogitatione, *præter quam meram nil in Deo ſit*, verbum facere planè nullum; qùum illud prædicatum, quo *tota Dei natura abſolvitur*, minimè fuerit prætereundum iſtic loci, ubì tanto conatu clariſſimam ac diſtinctiſſimam Dei ideam urget. Sed lambendo hic fœtus, uti plures, perficiendus erat paulatim. Rem ipſam quod attinet, plurima in Deo eſſe, *quæ præter cogitationem poſſunt concipi*, docebunt evidenter ea, quæ de Æternitate, Simplicitate, &c. adferemus ſequenti proximè Theſi. Nunc, quid cauſæ ſit, ſcire velim, cur Deus ipſe in Sacris, propius ſeſe manifeſtaturus Moſi aliiſque, Juſtitiæ quidem ſuæ, Longanimitatis, ſimiliumque prædicatorum ſæpius meminerit, nunquam cogitationis? quam, ſi *tota Dei natura in illa ſola conſiſtat*, alto adeò ſilentio involvere minimè omnium convenit. Fri- *Ejuſdemque paucis detecta falſitas.*

volum est quod regerunt, præteriri cogitationem, quod supponatur ejus idea naturâ nota: nam etiam plurima illic recensentur passim attributa, quæ ex naturâ sunt maximè obvia, ac longè notiora quam conceptus cogitationis, *in qua sola tota Dei natura consistat*: quem istius temporis hominibus receptum fuisse & familiarem, miror si quis ausit asserere. Id saltem non dederit Cartesius, qui hanc sibi laudem vendicat, quod *sit primus, qui cogitationem tanquam præcipuum attributum substantiæ incorporeæ* (qualis quoque Deus est) *consideravit. Not. ad Progr. Artic. Secund.* Primus ergò quoque Cartesius erit, qui quod in Deo præcipuum est attributum ritè concipere docuerit? O pectora ante hanc lucem exortam in re tanti momenti nimiùm cœca! Et quid nì jam olim Deus ipse, si tantæ perfectionis prædicatum sit cogitatio, ut *in illa sola, exclusis cæteris omnibus, tota Dei natura consistat*, nomen suum memoriale, quod voluit esse יהוה, sumserit convenientius (absit blasphemia!) à cogitando, quippe quod unum, si Nostris credimus, omnia quæ in ejus natura sunt comprehendisset? Ista similiaque si cogitemus, nemini non nota esse poterit conceptus hujus absurditas. Nullum verò opinioni novæ præsidium est in Simplicitate Divina. Ea enim evincit solummodò, uti à parte rei quæcunque in Deo sunt sunt ipse Deus, ità quoque cogitationem in sensu identico, uti loquuntur, cum Dei essentia esse eandem: haud aliter ac Justitia, Misericordia, &c. re verâ cum natura divina identificantur; etiamsi, pro nostra cogitandi ratione, primum ac radicale essentiæ divinæ prædicatum non sint. Atque hoc sensu Amesius, aliique nostri cum ipso Theologi passim docent, *Actionem vitalem Dei esse ejusdem essentiam.* At quemadmodum ex Simplicitate Dei non licet inferre, Ens primum nihil aliud esse in sensu formali, quam meram Justitiam, aut solam Misericordiam, &c. ità quoque minime ex eadem conficitur, primum ac quidditativum Dei conceptum notione cogitationis eo usquè absolvi, ut nihil in ipso præter eam concipi possit. Certè D. Amesius (cui cum plurimis nostris accedit ipse D. Coccejus *Summ. Cap.* x. §. 5.) *Vitam* Dei annumerat Divinis *Attributis*, contradistinctè ad Essentiam consideratis. Confer. §. 35. cum §. 19. 31. *Cap.* IV. *Lib.* I *Medull.* Tantùm verò abest, ut Attributum, in sensu formali spectatum, idem planè illi dicat cum Essentia Dei, ut expressè doceat, *Attri-*

buta

buta divina Deo inesse quasi in esse secundo, quia non sunt de formali ratione essentiæ divinæ; sed *ab essentia distinguuntur ratione ra iocinatâ. Ibid.* §. 27. 28. Ut mirer nonnunquam hùc adduci Amesium, qui adeò è diametro novo Philosophemati adversatur. Sed de hoc, pro instituta brevitate, jam satis.

I I.

Duo propriè loquendo esse duntaxat Dei attributa, Intellectum & Voluntatem. IV. *Sententiæ non nisi duo in Deo attributa admittentis, cum eadem hypothesi ostensus nexus:*

Nempè, in Mente Humana nihil agnoscit Cartesius præter ipsam cogitationem, & varios cogitationis modos. *Omnes* verò *cogitandi modos ad duos generales referri posse*, ait: *quorum unus est perceptio sive operatio intellectûs*; *alius vero volitio sive operatio voluntatis. Princ.* 1. §. 32. Quicunque ergò, uti mentis nostræ, ità quoque *Dei naturam totam in sola cogitatione consistere* autumat cum Poirceto, *exclusis cæteris omnibus, quæ præter cogitationem possunt concipi*, is necesse habet pariter, uti in mente, ità in Deo, nihil admittere præter puræ putæ cogitationis attributa, qualia tantùm sunt Intellectus & Voluntas.

Ejusdemque patefacta breviter absurditas.

Si paulò diligentius hæc introspiciamus, deprehendemus, re verâ omnia omninò Dei Attributa per hunc conceptum è medio tolli. Quandoquidem enim qui Deum nil nisi cogitationem esse volunt, cum Amesio aliisque nostris Theologis ac Philosophis, Intellectum & Voluntatem Divinam sub ratione Facultatum concipere neque volunt, neque per suas hypotheses possunt, id unum restat, ut per modum actionum ea concipiant; scilicet, tanquam cogitationis illius quæ Dei essentiam constituit certam terminationem, ut ità loquar, in hanc vel istam rem intellectam aut volitam. Jam verò actionem quampiam nemo propriè loquendo dixerit attributum illius cujus est actio: actio enim principium respicit, attributum autem subjectum. Atque hinc nullis unquam Philosophis aut Theologis actiones Dei annumeratæ fuerunt strictè dictis Attributis. Itaquè, si secundum rei naturam loqui velimus, desinunt ex hac hypothesi ipse quoque Intellectus & Voluntas esse attributa Dei, cujus potius sint actiones. Quumquè in mera cogitatione, qualis his auctoribus Deus est, nulla alia attributa præter hæc duo iisdem sint conceptibilia, utiquè accuratè loquendo

Dei attributa superērunt penitus nulla : quod quam sit absonum, nemo non intelligit. Confirmantur hæc non parùm ex eo, quod solà efficaci Dei *Voluntate* definiant hi Philosophi Creationem, Conservationem, Concursum, &c. Nisi fortè & hæc dicenda hodiè sint, novâ nomenclaturâ, Attributa Dei. Quin, ut & hoc verbo moneam, quum Recentioribus spiritus tantùm agant volendo, ità quidem ut Intellectus sit potentia passiva, non video, cur non tandèm una & sola Voluntas supersit, quam Deo tanquam unicum ejus Attributum (si ullum tale restet) propriè loquendo tribuere ipsi duntaxat possint. Ad rem ipsam ut redeam, si vel leviter attendamus ad illa quæ in perfectissimo Numine concipiendo menti nostræ sese offerunt, alia certè præter hæc duo deprehendemus. Videlicet, Independentia, Æternitas, Simplicitas, Immutabilitas, similiaque per se & in conceptu suo formali nullam includunt operandi actuositatem, sed simpliciter notant tantummodò modum existendi. Quumque hæc non minus Deo conveniant quam duo illa de quibus lis est, manifestum existit, quædam Dei attributa posse concipi, præcisâ etiam omni cogitatione : consequenter falsum non minus esse, duo tantum esse propriè loquendo Dei attributa, Intellectum & Voluntatem; quam, totam Dei naturam solâ cogitatione absolvi. Neque moramur, quod objicitur à Poireto, *alioqui dari in Deo res perceptione destitutas, quas Deus cogitatione ab illis diversa perciperet, res brutas igitur & incogitantes*; *quod blasphemum* esse ait, *& non Deo, sed imperfecto idolo dignum conceptum*. Hæc enim demùm vera forent, si ista supponeremus realiter & ante mentis operam à Deo cogitante esse distincta, ac non potius abstractè à nobis duntaxat concipi. Nec stringit, si instes : Saltem ergò res brutæ & incogitantes in Deo concipiuntur. Id namque ambiguè dictum est. Vel enim significat, aliquid hoc pacto à nobis in Deo concipi, quod à parte Dei brutum sit & incogitans; quod est falsissimum, cum noster modus concipiendi nihil omninò detrahat divinæ Simplicitati, per quam, ut antè monui, in sensu identico & à parte rei, vita Dei cum omnibus ejusdem attributis identificatur. Vel notat, aliquod prædicatum in Deo à nobis concipi, quod, prout conceptu nostro substat, notionem cogitationis præcisè non includit: atque hoc ipsum verissimum est, ut jam ostendimus. Sed non

rectè

rectè quod ità à nobis concipitur, dicetur concipi *incogitans*, quatenus vox hæc idem sonat quod *brutum*: id enim demum dixeris *brutum*, quod omnem cogitationem tanquam subjectum incapax negat & excludit, qualia sunt v. c. lapis, horologium, sol, &c. non id, cujus aliquod prædicatum abstractè saltem potest concipi absque expressa cogitationis idea. Omnipotentia v. c. (ut rem simili illustrem) in conceptu cujusvis Attributi divini, ex. gr. Æternitatis, aut Simplicitatis, nequaquam includitur; at non ideò qui abstractè concipit Æternitatem, non cogitando tunc temporis de Omnipotentia, concipit in Deo rem aliquam *impotentem*, cujus nomine blasphema dicatur hæc idea, atque idolo digna, non Deo. Quin, an non ipsis sibi hìc os batuant, qui talia effutiunt, viderint. Agnoscunt enim Novatores, Voluntatem saltem Dei ab ejusdem Intellectu distinctum attributum. Dic nunc, age! qui sic illam concipiunt, an & hi formant notionem rei in Deo *non-intelligentis*, adeoque *brutæ*. Si sic, etiam conceptus adversariorum, distinguentium Intellectum inter & Voluntatem, tanquam duo propriè dicta attributa, *blasphemus* erit, & *non Deo*, *sed idolo dignus*. Sin minus, utiquè licet citra ullam in Deum injuriam, aliquid in eo concipere, quod in conceptu suo formali, quatenus is in mente est, intellectum præcisè non simul offert. Deniquè, cùm plerique omnes ante nostram ætatem Theologi & Philosophi, ipso ne quidem excepto Cl. Coccejo, jam olim communi consensu dividant Dei attributa in primi generis, quæ sint *essentiæ*, atque incommunicabilia, & secundi generis, quæ sint *vitæ* (ità hanc ab essentia solent distinguere) & communicabilia; quis ferat, omnem eorum cœtum ita apertè insimulari *blasphemiæ*, quasi, quamdiu radiis Cartesianæ Philosophiæ non fuerunt collustrati, pro Deo *imperfectum idolon conceperint*. Paria, si luberet, facile esset retorquere majori jure in Novatores; qui quam dignum Deo cudant conceptum, per suam cogitationem, præter quam in Deo concipi possit nihil, nunc aliis instantiis ostendere pergimus.

III.

Deum ratione essentiæ suæ planè nullibì esse.

Hoc necesse habent tueri, qui totam Dei essentiam sola cogitatione

V. *Deum ratione essen-*

tiæ nuſpiam eſſe, eadem hypotheſis neceſſariò infert; tione conſiſtere aſſerunt. Etenim iiſdem Cogitatio & Extenſiò duas conſtituunt rerum ſpecies ſic oppoſitas, ut quæ attributa huic tribui poſſunt eadem illi conveniant nulla. Jam verò aliud Ubi hi non agnoſcunt, quam quod idem omninò ſit cum loco phyſico, ſive ſpatio corporeo quod vocant circumſcriptivum; atque hoc ipſum ab extenſione ſive intima corporis natura nullâ parte diſtinguunt. Quibus convenienter rei intellectuali, ab omni extenſione remotæ, qualis eſt Deus, nullum ratione eſſentiæ, quæ his eſt mera cogitatio, adſcribi poteſt alicubì. Audiamus, ſi lubet, Claubergium, *De Cognit. Dei & Noſtri*, *Exercit.* LXVI. Is ad quæſtionem, *An omne quod eſt, alicubi ſit, adeo ut hoc axioma à Deo & Creatura ſit abſtractum*? Reſpondet, §. 1. 2. *Ut intelligatur quo ſenſu verum ſit præſcriptum effatum, quamque latè ſe extendat, explicandum eſt ejus tum ſubjectum, tum prædicatum. Subjectum de quo dicitur quod ſit alicubi, non eſt res intellectualis ſeu incorporea, ſed corporea tantum ſive materialis, quæ in longum, latum & profundum eſt extenſa.* Adde Poiretum, *Cogit. Rat. Lib.* I. *Cap.* VI. §. 4. *Si quis quærat, ubi ſit Deus.... quæſtio perabſurda eſt. Cum idem ſit ac ſi quæreretur ... an ſpatium ſit ipſa Divina eſſentia. Abſurdè quæritur de ſubjecto quæſtionis prædicatum toto genere diverſum. Perinde quæras de mente, in qua ſit figura, vel in quo ſapore*?

Dogmatis hujus addita confutatio. Non ero operoſus in confutanda theſi, quæ ſtare nequit, convulſo jam ejus præcipuo fulcro, quod eſt conceptus Eſſentiæ divinæ, tanquam puræ cogitationis. Sed & aliud ei ſubſternitur præjudicium circa conceptum ꝑ Alicubi, quod extenſionem præciſè involvere opinantur. At perperam, quum re verâ aliud nihil notet quam relationem præſentiæ, ſive coexiſtentiæ, vel actualis ad rem actu exiſtentem, vel poſſibilis ad rem poſſibilem. Iſta autem præſentia vel coexiſtentia quòd concipiatur involvere partium diffuſionem, à mero infantiæ præjudicio eſt, quò ita à teneris aſſueti ſumus corporum duntaxat præſentiam & ubì concipere, ut mens non niſi ſumma cum attentione & difficillimè notionem ꝑ *Alicubi* ab idea corporis divellere queat: quod non hìc tantùm ſed & in aliis noſtræ menti in hoc unionis ſtatu verſanti accidit frequentiſſimum. Rem ipſam quantum attinet, quid, obſecrò, vetat, eſſentiam corporis ſuo quidem modo, per partium ſcil. extenſionem ac diviſibiliter alicubì eſſe; Deum verò modo ſibi convenien-

te,

te, coëxistendo alicui spatio per essentiam suam indivisim & citra ullam extensionis diffusionem? Adeò hæc sunt evidentia, ut si lubeat seponere aliquantisper disputationis fervorem, ausim hic obtestari unumquemque, an, uti rem singularem quamcunque, ità quoque Deum, ratione essentiæ concipere queat, ut non concipiat esse, utì loquuntur, & *Hic* & *Nunc*? Experiatur quilibet, & deprehendet non magis se hìc præscindere posse notionem τ̃ *Alicubi*, quam eam quæ est τ̃ *Aliquando*. Ut meritò quotquot hactenus ex Cartesio philosophati non fuerunt, quemadmodum τὸ *Aliquando*, ità quoque τὸ *Alicubi*, agnoverint Entis, non qua corporei, sed qua entis, affectionem; quam & ideò admiserunt Deo non minus quam creaturis convenire. Neque melius, quo nexu indiviso ista duo cohæreant, intelligimus, quam si vel solùm attendamus, Vorstium, Socinianos, aliosque qui errarunt in conceptu Divinæ Æternitatis, errasse pariter in doctrina de Immensitate; & contrà. Uti ergò Deus negari nequit ratione essentiæ esse Aliquando, ita neque negari potest ratione essentiæ esse Alicubi. Rationes alias, easque invictissimas, hìc suppeditat, & Omnipræsentia divina, & unio naturæ Divinæ hypostatica in Christo mediatore; quæ neutra orthodoxè explicari & defendi potest, si ratione essentiæ neges Deum Alicubì esse. Verum de iis mox agendum erit verbo. Nihil verò dictis obstat, quòd ab æterno Dei essentia fuerit, etiam quùm nulla essent spatia: non enim pugnat essentiam divinam relationem dixisse ad spatia possibilia, quibus, si aliquandò dentur, verè foret præsens. Neque enim ab æterno temporalia quoque spatia fuerunt; nostris nihilominus quæ jam sunt, essentia divina (modo perfectissimo licet ac se digno; videlicet absque existentiæ suæ successione aut mutatione) coëxistit præsens. Ex quibus simul liquet, per creationem ex nostra sententia Deo ratione essentiæ nihil hac parte accidisse novi; cum & ante Mundum conditum fuerit Alicubì, licet non præsens, si strictè loquaris. Plura qui cupit conferat & hìc & in sequentibus *Disquisitionem* nostram *de Nullibitate Spirituum*. Fateor, errori de Deo qui ratione essentiæ nullibì sit prætexuntur quandoque magnorum Virorum nomina, sed non absque ingenti in eos injuria. Etenim quoties Deo Ubi denegant, nullo Eum contineri loco, illocalem eum esse, &c. asserunt, Ubi removent,

vent, non omne penitus, sed prædicamentale duntaxat & finitum, quod circumscriptivum corporum aut definitivum spirituum creatorum vocant. Ità Augustinus *Lib.* VII. *Confess. Cap.* I. totus est in deplorando errore juventutis, quo ità conceperat Deum Alicubi, ut *major pars terræ majorem ejus partem haberet, & minorem minor, atque ita eo plena essent omnia, ut frustatim partibus mundi, magnis magnas, brevibus breves partes sui faceret præsentes.* Merito hunc conceptum deindè damnat; at non ideò essentiam Dei alicubì esse negat. *Non sic Deus dicitur complere mundum, velut aqua, velut aer, velut ipsa lux, ut minore sui parte minorem impleat mundi partem & majore majorem. Novit ubique totus esse, & nullo contineri loco. Epist.* III. Occurrunt quæ hùc pertinent valdè præclara in celebri illa *ad Dardanum Epistola*, quæ ordine est LVII. verùm per ea jam vagari studio brevitatis non licet. Doctissimum Bisterfeldium præterire hìc nequeo, cùm is omnium clarissimè explicet, quo sensu Deus dici possit illocalis, & tamen verè alicubi existere. Sic ille *Philosoph. Prim. Cap.* XII. *Hinc jam oritur quarta entis divisio: nempe, quod sit, vel* illocale, *vel* locale. *Illud dicitur*, cujus Ubietas est Infinita; *hoc*, cujus est finita. Egregiè verò de Ubì Dei disserit *Ibid. Reg.* VI. hunc in modum. *Alicubi esse, est universale omnium entium existentium attributum. Quod nusquam est non est. Hic autem, ut ubique in hac disciplina, magna vocum penuria laboramus. Itaque cogimur eas à rebus corporeis mutuari; & quasi sublimare. Quia nihil sensibus percipimus, quin id in certo loco nobis occurrat, ideo ipsimet Deo, Scripturam praeuntem imitati, locum & locorum differentias adscribimus. Secus, nec ejus præsentiam, nec efficientiam, nec eminentiam, exprimere possumus. Interim hinc claret, Deum, nec localiter moveri, nec ullo modo aliquam mutationem in se admittere posse. Alias entis infiniti ubietas foret finita. Etsi vero nos hanc Dei excellentiam ne concipere quidem queamus sine spatiis, tamen ideo Deum nulli spatio includimus. At per omnia spatia, inquis, non solum realia, sed etiam imaginaria intelligis. Omnino, sed merito: id ni faceremus, Deum, contra rectam rationem & Scripturam, huic mundo includeremus. Suprà magnus fuit usus successionis imaginariæ, nunc par, si non major, est spatiorum imaginariorum. Hæc qui exagitant vel infirmam vel confusam habent imaginationem: siquidem ipsa Scriptura doceat Deum ne à cœlo quidem cœlorum*

lorum capi, &c. Ecce! *Illocalem* Deum statuit vir doctus; quatenus *nullis spatio includimus* : at simul ejusdem agnoscit *Ubietatem infinitam*; sine qua *nec ejus præsentiam*, *nec efficientiam*, *nec eminentiam exprimere possumus*; quâque est Alicubì ratione *spatiorum non solum realium*, *sed etiam imaginariorum*. Neque ullus qui aliter hìc sentiat alicujus notæ scriptor, quantum opinor, adducetur. Ut Recentiores, qui novum hoc suum dogma suffragiis magnorum Virorum, Augustini nominatim & Bisterfeldii, stabilire laborant, hac in re prodant vel negligentiam in expendenda Auctorum mente supinissimam, vel sophisticen in citandis eorum verbis nimiùm crassam.

IV.

Immensitatem Divinam esse nihil aliud, quam denominationem extrinsecam, natam ex operatione in rebus corporeis.

VI. Definitio Divinæ Immensitatis, tantum per denominationem externam ab operatione desumptam, fluit ex eadem hypothesi;

Eruditissimi Viri hunc in modum ex novis principiis de Dei Omnipræsentia disserentis verba alibì exhibuimus. Neque aliter possunt quicunque essentiam Divinam solâ cogitatione definiunt, eamque planè nullibì esse contendunt. Hoc enim posito, nihil restat quam ut omne Dei Ubi, si quod omninò ex hac sententia ei tribuendum sit, restringatur ad puram denominationem desumtam ab operationibus ejus in rebus corporeis, quæ ex nova hypothesi cum ipso Ubi sunt idem. Cartesius quidem expresse instanti Moro, *Qui autem Deum positivè infinitum agnoscit, i.e. ubique existentem, quod tu merito facis, &c.* regerit, *Epist.* LXIX. *Lib.* I. *Hoc* ubique *non admitto. Videris enim hic infinitatem Dei in eo ponere, quod ubique existat; cui opinioni non assentior: sed puto Deum ratione suæ potentiæ ubique esse, ratione autem suæ essentiæ nullam planè habere relationem ad locum.* Omnium verò, uti clarissimè, ita candidissimè secundum nova principia absolventia Divinam naturam purâ cogitatione, de hisce ratiocinatur Poiretus, qui hìc *Cartesium rectè philosophantem se sequi profitetur.* Plurima notatu digna quæ hujus loci sunt occurrunt, *Cogit. Rat. Lib.* I. *Cap.* VI. Adscribam pauca ex §. 6. *At quid argumento*, ait, *suprà allato respondendum est, Cum Deus potentia sua Creaturis sit præsens, sequi & proprie essentia, quæ ipsa potentia est, præsentem eis esse dicen-*

 dum?

dum? Negandum est, exactè dici, Deum esse creatis præsentem ratione essentialis potentiæ; sive, quod idem est, essentialem Dei potentiam in creaturis esse, &c. Adest Deus, sed effectu & operatione potentiæ illius, quæ in ipso solo est, & cujus nomen si ipsis operationibus detur, ad rhetoricum tropum satius est recurrere, quam concludere, præsentiam operationis, quæ est in creatura, esse ipsam Dei potentiam, &c. Imo, quod verbo sit dictum, quæcunque de pluribus modis præsentiæ divinæ dicuntur, ea in operationem ejus debent resolvi, &c. Quin pergit, §. 4. *Ergo abeant dicta de præsentia Dei ratione essentiæ totius in toto mundo, & totius in qualibet parte, & similes perabsurdæ voces, &c. Credibile est homines, si quid Deus sit rectè nossent, non ausuros, ne Deum dedecore afficerent, talia proponere: at illi in cognoscendo numine summo ita sunt securi & supini, ut eis nosse suffecerit ipsum esse id (ut cum Philosopho loquar) qui Latinis* Deus, *Gallice* Dieu *dicitur, & ab hominibus colitur: nil multum curantes, an quæ ejus summam deceant majestatem ipsi attribuantur.*

Ejus notata periculosa absurditas. Ità non satis erat renovare lites, jam olim orthodoxis à Vorstio & Sociis motas, de essentiali Dei Omnipræsentia, nisi quoque sententia recepta non Reformatis duntaxat, sed quibusvis Christianis, si sectæ Polonicæ fratres excipias, traducatur, tanquam *Deum dedecore afficiens, nec multum curans, an quæ Dei summam decent Majestatem ipsi attribuantur.* Audiat ista Christianus orbis! Audiat, inquam, & evigilet tandem! Quò non zelus pro Cartesii dogmatibus abducit hodiè viros? Ne quem autem malè urat, Vorstii mentionem me fecisse hoc loco; quasi nimiùm id ad invidiam comparatum sit. Fateor, nec corporeum Deum, nec cœlo inclusum, cum Vorstio, statuunt Novatores; at non istis capitibus absolvitur quicquid hac parte Catholicis cum Vorstio intercessit litium. Quamvis & id nesciam, an multo tolerabilius sit, Deum planè nullibi ponere, quam cœlo cum includere. Missis autem hisce in præsens, fuit nostris cum Vorstio gravis imprimis controversia de vera Dei πανταχουσία in omnibus partibus hujus Universi: atque hanc negant Cartesiani perindè ac Vorstius; licet ex alia & alia hypothesi. Nullas quapropter causas habent querendi de injuria quæ sibi hac in parte fiat. Quin potius vel errorem agnoscant ingenuè, linguam simul cum mente corrigentes, vel prostratas dudùm Vorstii copias instaurent tandem generosè. Nobis

bis placet istud Walæi : *Omnes orthodoxi, Deum ubique per essentiam, tam in cælo quam in terra, præsentem esse, rectè contendunt; & contrariam sententiam blasphemiæ condemnant.* Non est hujus loci urgere efficacissima Scripturæ loca, à Theologis nostris pro Essentiali Dei Omnipræsentia adducta, quæ *novis & violentis ac plusquam Vorstianis interpretamentis eludere Novatores*, conqueritur Cl. Marcsius, *Systém. Noviss. Loc.* 11. §. 32. *Lit. b.* Ista sileo. Tantùm, si Immensitas sit nihil aliud, quam denominatio extrinseca ab operationibus transeuntibus sumta, quæ tandem restat distinctio Immensitatem Divinam inter & Providentiam? quæ tamen duo distinxerunt ab omni ævo Philosophi & Theologi. Quin, si attendas, ne ullâ quidem ratione illis Deus alicubì erit, sed ejus duntaxat effecta; quæ à Deo totâ essentiâ distinctâ esse notum est. Dei enim operatio, cujus ratione ipse alicubì diceretur, vel activè spectatur à parte Dei operantis, vel passivè a parte rei productæ; tertium non datur. A parte Dei si spectetur, nihil est, si Recentioribus credas, præter ipsam cogitationem, quæ essentiam Dei absolvit, quamque nullam planè relationem ad locum dicere, exertim pronunciant. A parte rei productæ, est ipsa hæc res; quæ etsi alicubì sit, non ideò Deus producens alicubi est, cum toto cœlo hæc duo sint diversa. Ad metonymicam ergò locutionem claris his & distinctis Philosophis confugiendum fuit, ut ejus involucris sententiam quam profiteri pudet palliarent atque ità orbi imponerent. Optimè hæc omnia observavit ipse Poiretus, cujus & hìc laudandus est candor, quandò *loc. cit.* ingenuè fatetur, Cartesium, Forgeum, Wittichium, cùm dixerunt, *Deum essentiâ, essentialiter, ratione essentiæ omnibus esse præsentem, difficultatum quarundam causa, usos fuisse vocibus maximè impropriis & deceptricibus; quæ aliud ex instituto communi significant, adeoque obscuritatem conceptuum fovent; quibus, si ex ordinario usu interpretentur, non significatur verum; quarumque sensus quem substituunt, ipsi verborum significationi reluctetur.* Egregie! Credant *vocibus deceptricibus*, qui, quid monstri ea alant, ignorant. Non sibi iis imponi unquam patientur qui intelligunt, quam sit meritò suspectum, quam veritati exitiale, quam viro bono & candido indignum, *deceptricibus vocibus* & *non significantibus verum* ludere in re adeò seria, de qua & vera dicere periculosum est.

Certè nec Vorstio in eadem materia *deceptrices voces* defuere. Terrent vestigia. Et quis obsecro, licet vel vim intellectui inferat, conceperit, Deum hìc vel istìc *per essentiam operari* (talis enim operandi modus, utpote absolutissimus & ente perfectissimo dignissimus, Deo est tribuendus) neque tamen per essentiam hìc vel istìc existere. Utiquè, si verum sit, *Agere* supponit *esse*, etiam *hìc agere per essentiam*, supponit (remotis *vocibus* omnibus *impropriis & deceptricibus*) *hìc esse per essentiam.* Ut re verâ conceptus Dei per operationem præsentis formari, queat nullus qui non supponat conceptum Dei per essentiam præsentis. Absolvam verbis Claubergii, quæ occurrunt *Exercit.* LXVI. §. 15. *Ut unumquodque est, ita & alicubi est; sive, qualis existentia rei, talis etiam ejus est præsentia. Ratio est, quoniam per entitatem suam alicubi est, sive præsens est per suam existentiam.* Sit ista major. Subsumo nunc ego: Atquì verè & propriè, *remotis vocibus impropriis & deceptricibus*, per essentiam suam Deus est. Ergò & verè ac propriè, remotis *vocibus impropriis ac deceptricibus*, per essentiam suam Deus alicubì est. Consequenter falsa & periculosa est Immensitatis explicatio per nihil aliud, quam denominationem externam ab operatione Dei in re corporea desumptam. Atquì hoc ipsum demonstrandum erat. Est autem refutatione indignum quod urgetur, per receptam Reformatis opinionem extensionem Dei tribui. Scilicet eum à Deo removendam esse ex Cartesio discere debebat orbis Christianus, qui jam olìm cum Augustino intellexit, Deum esse *magnum sine quantitate & ideò Immensum.* Neque potui sæpius mirari satis, toties à Novatoribus hìc vapulasse Cel. Maresium, quòd dixerit, Omnipræsentiam Deí *extendi* ad omne ubi. Quicunque enim inspicere voluerit quæ hac de re tradit, *System. Noviss. Loc.* 11. §. 32. *lit. a.* clarè is videbit, nihil aliud contendisse Virum, quam in conceptu Omnipræsentiæ divinæ extensionem involvi; non à parte Dei, quam vocat *extensionem subjectivam*, Deoque expresè denegat; sed à parte rei cui Deus coëxistit, quam vocat *extensionem objectivam*, quamque tribuit Deo *inextenso & indivisibili.* Quod totum adeò verum est & accuratum, ut ne quidem *extensionis objectivæ*, uti vocat D. Maresius, conceptum ipsi Novatores hìc excludere queant, dùm contendunt, concipiendam esse Immensitatem per denominationem ab operatione *in*

rebus

rebus corporeis : quæ profectò absque extensione concipi non possunt.

V.

Naturam Divinam in Christo Mediatore naturæ humanæ uniri aliter non potuisse, quam per operationes. VII. *Utriusque naturæ in Christo unionem solâ operatione absolvere jubet eadem hypothesis.*

Theologici propriè fori est plena hujus propositionis discussio : quapropter, ne falcem in alienam messem mittam, duntaxat monstrabo dogma hoc reverâ connexum esse cum opinione asserente, uti mentis humanæ, ità Spirituum quorumvis essentiam in mera cogitatione consistere ; verboque, quid de eo statuant Theologi, tantùm narrabo. Audivimus thesi præcedente exertim pronunciare Cartesium, ex hypothesi quâ Deus est nil nisi cogitatio, eundem *ratione potentiæ ubiquè esse, ratione autem suæ essentiæ nullam planè habere relationem ad locum*; id est, ad rem quampiam corpoream, quæ Cartesio cum loco eadem est. Huic consonum habuimus Poiretum profitentem, *vocibus, maximè impropriis ac deceptricibus, nec significantibus verum, uti* Cartesianos, *qui Deum essentiâ, essentialiter, ratione essentiæ esse præsentem alicubi dixerunt*. Jam verò, non aliâ ratione spiritum cum re quapiam uniri posse, quam quâ ei est præsens, per sese clarissimum est. Ex quibus sponte suâ sequitur, naturam Divinam, utpote spiritualem, id est, juxta illos, meram cogitationem, cum nulla re alia, adeoque nec cum humana natura Christi Domini, aliter conjungi potuisse, quam per operationes, & ratione effectuum; omnesque, qui aliter loquuntur Cartesiani, *difficultatum quarundam causâ, uti vocibus maximè deceptricibus & ex ordinario usu non significantibus verum*. Et quamvis hactenùs ferè metuant, liberè profiteri genuinam hac de re animi sententiam, non tamen abstinent ea tradere de unione personali duarum naturarum in Christo Mediatore, quæ quid sentiant, satis produnt. Hùc nimirum aurigantur quæ docent de Personalitate in divinis, quæ sit mera negatio; de hac ipsa unione, quæ tantùm sit relatio quædam conjunctionis; ut nulla sit, qualis Theologis passim traditur, sustentatio personalis; &c. Ad quæ omnia jam sæpius à Clarissimis Theologis objecta vel silent, vel frigidè satis respondent. Certè in universum Poiretus; *Quæcunque de pluribus modis præsentia divinæ dicuntur, ea in operationem ejus debent resolvi. Cogit. Rat.*

Rat. Lib. I. *Cap.* VI. §. 6. Et ſpeciatim de unione cujuſvis mentis cum corpore, Forgæus: *Oportet ergo unionem in omnibus quæ uniuntur, quærere in attributis relativis; nulla autem alia invenio, ... quam primo & in genere actionem & paſſionem, &c. Præterea invenio.. voluntatem pro unione quæ inter mentem eſt & corpus, quatenus hæc voluntas extra ſuum ſubjectum procedit per ſuas operationes. Neque puto quemquam alia poſſe invenire attributa, quam hæc, quæ duas ſubſtantias ſimul unire poſſent. Tract. de Ment. Cap.* XIII. §. 8.

Reclamante orthodoxâ Chriſtianorum fide.

Scholaſticos paſſim perſtringunt noſtri, & merito, quòd myſteriorum profunditatem rationis acumine perveſtigare laborarint, indèque tantis rebus minus opportunâ philoſophatione tenebras intulerint. Quis verò neget imitari re verâ eorum mores, quorum vel nomen tantopere horrent, qui in arduo negotio ex idea Dei tanquam meræ cogitationis, adeò periculosè hìc ſapere non verentur? Periculosè, inquam; quatenus ſic omnis Ἕνωσις ὑποστατικὴ duarum naturarum in Chriſto Θεανθρώπῳ in ἐνέργειαν meram κατὰ παράστασιν reſolvitur. Quod qui ſentiunt, an non, contra adverbia Epheſina ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, ſalivam Neſtorii lambant? viderint Theologi. Certè, qui jam dudum ante novam ſapientiam docuerunt (quorum, tanquam extra partes conſtitutorum, efficax imprimis eſt hìc teſtimonium) contra eandem exertim pronunciant. *Neſtoriani veteres ſtatuebant, has duas naturas non aliter fuiſſe unitas, quam quia Divina natura humanæ* adſiſtebat in *omnibus ſuis* Operibus, *& favore ſuo ſingulari eam amplecteretur. Sed hæc ſententia hæretica judicata fuit in concilio Epheſino. Walæus in Enchirid. p.* 177. *Modus hujus unionis non explicandus eſt* κατὰ παράστασιν, *aut ſimplicem inhabitationem, ſicut nauta eſt in navi; vel* κατὰ σχέσιν, *qualis eſt unio conjunctioque amicorum, &c. vel* κατὰ ταυτοβουλίαν, *ſive, ut alii vocant,* καθ' ἁρμονίαν, reſpectu conſenſionis *inter voluntatem humanam & divinam in Chriſto, &c. Atque hæc erant Neſtorii* σοφὰ φάρμακα. *Tilen. Syntagm. Part.* 2. *Diſp.* 1. Definiverat nimirùm vetus Eccleſia: *Si quis dicit, ſecundum gratiam, vel* ſecundum operationem; *vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum honoris æqualitatem, aut* relationem, *aut affectum, aut* virtutem, *&c. & non ſecundum compoſitionem, id eſt ſecundum ſubſiſtentiam, unitionem Verbi ad Carnem ſactam eſſe, anathema ſit.* Sed nos manum de hac tabula;

queis

queis sufficit observasse, quæ orthodoxorum hac parte sit sententia? quod novæ assertionis ab ea divortium? Ei an mitioribus quibusdam phraseologiis satisfiat, viderint Theologi! Sed viderint pariter, ne sibi & causæ fraus fiat *vocibus deceptricibus, nec significantibus verum*; quibus *difficultatum quarundem causa uti* suos socios in ejuscemodi rebus, apertè monentem audivimus Poiretum.

V I.

Angelos, sive bonos sive malos, ratione essentiæ nuspiam esse.

VIII. *Angelos esse nuspiam, docere cogit hypothesis eadem:*

Cohæret necessariò hæc assertio cum dogmate principali, unicam cogitationem agnoscente prædicatum essentiale quorumvis spirituum; adeòque Mentium Angelicarum non minus, quam humanarum. Philosophis eisdem, ut jam diximus, omne ubi sive spatium cum re corporea planè idem est. Res verò corporea eorundem judicio Spirituali non opponitur, nisi quatenus hæc cogitatio est, non illa. Ergò superest, ut à cogitatione mera, qualis etiam eis Angelus, omne ubi longissimè removeatur. Videlicet, *Omnia verè perfecta & realia (etiam mentes omnes, quæ spatio non egent) in spatiis ponere, quærere, nec ultra spaciosa omnia scandere, quasi nil præterea esset, mentis est in materia demersæ, diviniorisque mundi multum nesciæ. Poiret. Cogit. Rat. lib.* I. *Cap.* V. §. 8. *Nam extra statum unionis* (extra quem subsistunt Angelicæ mentes) *sive corpora sint in rerum natura, sive non sint, concipi nequit substantiam aliquam, cujus tota essentia consistit in cogitando, esse posse in loco, sive definitivè, sive circumscriptivè, cogitationemque ejus posse facere, ut spatium aliquod repleat, aut situm aliquem habeat. Forgaus Tract. de Ment. Cap.* XII. §. 4. Nominatim de Angelis alius haud indoctus horum mysteriorum explanator sic alibì: *Angelorum tota natura consistit in cogitatione, unumquodque autem est præsens per id quod possidet, non autem per id quod non habet: cogitatione autem non potest esse præsens, nisi quando per cogitationem suam aliquid efficit.* Item: *Angeli in loco quandoque operantur, suntque in loco respectu istius operationis; sed quando non operantur, sed tantum cogitant intra se, opus non habent loco.*

Exercitatione *de Spirituum Nullibitate* docebamus, hoc idem dogma *Dogmatis*

hujus Weigeliani confutatio.

dogma unum esse ex sublimibus sapientiæ Weigelianæ capitibus. Dedimus istìc ipsa fanatici hominis verba, Crocio in Anti-weigelio citata, à nobis ex Germanicis latina facta. Videri inibì merentur; digna enim sunt, quæ cum exhibitis jam novorum Philosophorum verbis conferantur; adeò non ovum ovo existit magis simile. Clarissimum ea dant experimentum, quam parum, an cum Weigelio sentiant, an cum Catholicis orthodoxis, attendant, qui Cartesii ideas normam suæ sapientiæ sumserunt? Rem quod attinet, tam manifestæ veritatis est axioma, *Agere supponit esse*, quam est illud Neotericorum, *Cogito, ergò sum.* Indè, uti nemo concipiat, etsi vel sibi cerebrum excutiat, quicquam agere, nec tamen esse; ità pariter nemo cogitet, Angelum hìc agere, nec tamen hìc esse. Quapropter, quemadmodum actio ordine naturæ essentiâ posterior est, sic præsentia ratione actionis naturâ suâ posterior est præsentiâ essentiæ; atque adeò hæc ad illam necessariò supponitur. Et si Angelus alicubì non sit, nisi ibidem extra se operetur, quid erit dicendum de Angelorum beatorum Cœlo, de damnatorum Inferno; quæ in Sacris tanquam propria loca eisdem passim tribuuntur? An verò Nullibisticum hoc utrumque erit, unà cum suis incolis? Sic exigit nova thesis. Imprimis, quum excogitare non detur opus quod actione transeunte istìc locorum hi spiritus producant: neque enim inibì vel Ægyptiorum primogeniti suffocandi occurrunt, vel Assyriorum exercitus mactandus, vel præcipitandi in mare porci, vel corpora energumenôn exagitanda. Ubì, ubì ergò ab opere externo quiescentes exercitus cœlestes? Ubi diabolorum legiones? Nuspiam; si his credimus philosophis. Quid? quod nec ipsæ actiones transeuntes ad definiendum ubì Angelorum quicquam juvare possint eos, qui nullam eis relinquunt activitatem, præter puram cogitationem: non enim illis qui in hac totam Spiritûs essentiam consistere ajunt Angelus creditur verè id agere quod extra sese agere dicitur, sed ipse potius Deus. Si quæ ergò ex operatione concludenda erit præsentia, hujus cujus est actio, non illius inferri debebit. Absurdissimum verò fuerit existimare, aliquid corporeitas sibi contrahere à sua in rebus materialibus præsentia essentiali, quam nos eis asserimus, Angelicas mentes: non enim hæc magis indè metuenda contagio, quam quòd in corporeis rebus operari saltem dicantur. Quid ergò

ergò vetat concipere relationem præsentiæ Angelo competere in ordine ad spatium, etsi nihil in eo operetur? Præjudicium infantile, arbitror, quo connectere solent pueri conceptum præsentiæ cum conceptu extensionis; quia scilicet sensu observarunt corpora suis extendi spatiis, eorumque præsentiam mutuam dicere & vicinam coëxtensionem. Atquì eorum quæ corpori conveniunt modo corporeo, spiritui adscribi posse nihil nisi ratione prorsus eâdem, quis unquam dedit probatum? Si quæ hac in re difficultas, non ea rei impossibilitatem arguit, sed mentis potius nostræ, materialia concipere à teneris nimiùm assuetæ, imbecillitatem.

VII.

Angelos ratione essentiæ non moveri de spatio in spatium. IX. *Angelos de spatio in spatium non moveri, eadem hypothesis infert:*

Ita sentire debent, qui Angelicos spiritus ratione essentiæ, quæ nihil sit nisi mera cogitatio, nuspiam esse contendunt. Quæ enim res capax non est alicujus Ubi, eandem neque Ubi suum mutare posse, per sese clarum atque evidens est. Et sic Cartesio non minus absurdè videtur Spiritibus tribui motus localis quam figura aut extensio. *Perspicuè videmus, nullam extensionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid simile, quod corpori sit tribuendum, ad naturam nostram* (quatenus scil. mentes sumus) *pertinere, sed cogitationem solam, Princip. Part.* 1. §. 8. Ut ergò locum, non ratione essentiæ, sed tantùm respectu operationum, Angelis adscribunt, ità quoque motum. Quam in rem disertè vir doctus: *Sicut locus non competit propriè Angelis, ita nec motus; neque dici potest aliter Angelus moveri, quam quatenus ibi desinit operari, hic verò operari incipit.*

Brevis hìc ero. Neque enim ut multa congeram necesse est, ad diruendam thesin, quæ quemadmodum est dogmatis præcedentis indivisum consectarium, ità suffossis illius fundamentis ipsa ruit suâ sponte. Notavimus jam, uniuscujusque rei actionem tam esse ejusdem conditionis cum suo principio à quo fluit, ut quæ causa ratione essentiæ nuspiam est aut esse potest, eadem quoque sese tanquam actionis principium nusquam manifestare possit. Quæcunque ergò res modò in hac modò in alia mundi parte suis sese operationibus præsentem prodit, illa vel statuenda est in omnibus istis *Ejus assertionis ostensa paucis falsitas.*

EXERCITATIO

DE

OPERATIONIBUS BRUTORUM.

SUMMARIUM.

I. *Occasio Exercitationis hujus Apologeticæ de operationum in brutis principio substantiali.* II. *Controversiæ totius summa brevi compendio exposita.* III. *Præjudicium de mechanica mundi structura animæ substantialis brutis negatæ causa præcipua.* IV. *Veræ cognitionis brutorum tot existunt testimonia, quot ferè eorundem obviæ sunt operationes.* V. *Substantialis operationum in brutis principii admittendi propter non unam rationem necessitas.* VI. *Illi cedere coäctus Cartesius ipse controversiam hanc in medio ferè relinquit.* VII. *Sectatorum ejus alii ad animam mundi Platonicam confugiunt, alii etiam hominum animas substantiales expungunt.* VIII. *Consentit Auctoritas Sacra cum assertione de veræ vitæ & cognitionis in brutis principio substantiali.* IX. *Bruta in mera Automata convertit quæ nostræ assertioni opposita est thesis.* X. *Asserta brutis vera cognitio nihil eisdem tribuit Rationalitatis:* XI. *Cum non omnis cognitio necessariò existat ejusdem ordinis & speciei:* XII. *Docente id passim Scholâ Peripateticâ, nec ipsô diffitente Car-*

 tesiano

tesiano Forgæo. XIII. *Quæ brutis substantiale veræ cognitionis principium tribuit opinio, Vetus est & maximè trita.*

I. *Occasio Exercitationis hujus Apologeticæ de operationum in brutis principio substantiali.*



Mnium ad Brutorum tum Animam tum Activitatem pertinentium justam pertractationem ne hìc exspectet, monendus est in ipso limine quisquis Exercitatiunculam hanc legere parat. Latioris indaginis est hoc nobilissimum thema, quam ut paucis adeò pagellis absolvi aut debeat aut possit. In præsens brevem tantùm Apologiam dare animus est, quam parare coäctus fui Thesi cuidam meæ Philosophicæ, quam olim Lugduni-Batavorum in Illustr. ac Præpotent. DD. Ordinum Hollandiæ West-Frisiæque Collegio Theologico, cujus tunc temporis eram Pro-Regens, ventilandam publicè proposui. Ea tota de verbo ad verbum ità sonat: „Datur in Brutis aliquod „substantiale vitæ, sensationis, ac veræ cognitionis principium; „sive Formæ substantialis, sive Animæ sensitivæ, sive Modi cu„jusdam substantialis, sive quocunque alio id appelletur nomine. „Atque id non ità dudum, sub nostro præsidio, ab Ornatiss. „quodam D. Defendente solidè ac benè demonstratum est ex eo, „quod istud Neotericorum ergastulum quinque modorum, Men„suræ, Quietis, Motûs, Posituræ, Figuræ, operationum „principium nec sit nec esse possit. Quum enim uti res existit ità „quoque eadem operetur; modi verò illi non sint, nisi beneficio „substantiæ cui insunt, etiam iidem operari non poterunt, nisi „vi alicujus principii substantialis: quod cum non sit materia, „utpote purè passiva, restat, ut sit quod aliud in corpore substan„tiale operationum principium. Cui accedit, quod modos istos „omnes vel non-entia esse, vel tantum conditiones ad operandum „prærequisitas, non autem causas, sigillatim facilè probari possit, „ac jam probatum sit. Nullo autem modo hisce adversantur au„tomata, v. c. Horologia, &c. multo minus instrumenta fabrilia, „Serra, Securis, &c. quum in iis ullam operationem, sume mo„tum vel minimum, ab istis modis partiumque dispositione, tan„quam à principio sui, profluere, quin profluere posse, perne„gemus;

„ gemus; atque id cuivis attendenti certiſſimum eſt; ſi cui non, „ petenti tale faciemus. Neque ſpeciatim brutorum cognitioni „ obſtat, quod omnis cognitio dicatur involvere cogitationem, „ adeoque & rationalitatem: id enim falſiſſimum eſt, neque hacte- „ nus probatum ullâ ſpeciê rationis, quæ non principium pete- „ ret. Demonſtrandum ergò adverſariis, activam oblatæ rei ſen- „ ſibilis perceptionem, dirigentem ex inſtinctu naturæ omnes bruti „ operationes, inferre neceſſariò conſcientiam, utì vocant; adeò- „ que eam fieri debere mediantibus notionibus ſpiritualibus; ac „ porrò ponere facultatem judicandi, diſcurrendi, &c. Quæ omnia „ poſteriora uti bruto deneganda cenſemus, ità & prius eidem dene- „ gabimus, ſimulac audiverimus vel unicum argumentum, quod „ ullâ ratione id evincere poterit. Quod dum fiat (fiet autem „ ad Kalendas Græcas) nos acquieſcimus in rationibus allatis, ob „ quas, ſuffragante evidente experientiâ ac auctoritate Sacrâ, bru- „ tis & cognitionem & cognitionis principium adſcribendum eſſe, „ ſentimus.

II. Controverſiæ totius ſumma brevi compendio expoſita.

Etſi verò minimè ignorarem, aliter planè hic inſtituere eos qui Carteſianis ideis dixerunt ſacramentum, quibuſque oppoſita erat noſtra hæc theſis, non tamen vel ſomniabam extiturum mortalium quemquam, cui inſolens videri poſſet aſſertio, quâ per ſecula multa continua in medio orbe Chriſtiano, à quo in eo viguit Peripatetica Philoſophia, nulla unquam audita fuit frequentior. Præter omnem interim meam opinionem accidit, ut ejus nomine impetum in me fecerint, non unus, non alter, non tertius, verùm, inito quaſi tacito contractu, omnes propemodum quotquot per iſta tempora pro aſſerendo Carteſianiſmo calamum exercebant in noſtra patria Viri; ubiquè gentium tanquam *periculosè novam* circumferentes à cætero corpore avulſam atque uncialibus typis expreſſam noſtram theſin: Datur In Brutis Aliquod Substantiale Vitæ, Sensationis, Ac Veræ Cognitionis Principium. Ità ſcilicet qui innovare hodiè ſacra quælibet ac profana unicè laborant, hoc ipſum objicientes talione repercuſſuri, eo utuntur artificio, ut antiquiſſimas antiquitates novitates audacter dicere auſint. Quo agendi modo etſi facilè imponant eis qui extra Carteſium nihil ſapere didicerunt, quique ut plurimùm quid vel antiquum vel novum ſit æquè ignorant, detectâ

tectâ tamen fraude, id lucrabuntur tandem, ut eis, qui æqui existunt & idonei rerum judices, rei habeantur inexcusabilis prorsus vel imperitiæ vel calumniæ. Placuit nihilominus etiam Celeberrimo Viro publico libro, ob eandem hanc de substantiali Brutorum Anima opinionem, objicere mihi *Novitatem maximam, monstrificam, periculosam, portentosam, ab omnibus retrò seculis inauditam, bonis omnibus abominabilem, execrabili* denique *Spinosismo proximam*. Et huic quidem satisfecimus abundè *Narratoris* nostri *Confutati* §. LI. *& seqq.* quem locum cum eis, quæ jam hac de re in medium sumus allaturi, conferri cupio. Omnem nunc controversiam, nisi fallor, satis plenè comprehendam hac Quæstione: Num *Falsa* sit, aut *Periculosa*, aut *Nova*, hæc positio, *Datur in brutis aliquod substantiale vitæ, sensationis, ac veræ cognitionis principium*? Ad quam respondemus, Negando: siquidem hac assertione Brutis non tribuitur Anima quæ sit ordinis ac speciei ejusdem cum ea quæ hominis est, substantia nimirum rationis particeps, atque omni modo à corpore independens: sed principium duntaxat quoddam eatenus huic analogum, ut sufficiat ad vendicandam Brutis suam quoque activitatem; neque qualemcunque, verum talem quæ dirigatur à rei oblatæ prævia perceptione, non rationali quidem (quæ notionum immaterialium formationem cum conscientia, itemque actus judicandi ac discurrendi involvit) attamen vera, in quantum non impropriè aut metaphoricè dicta est hæc cognitio, sed ea cui accuratè loquendo & ex vero generalis veræ cognitionis descriptio convenit, quæ scilicet sit activa objecti obvii perceptio.

III. *Præjudicium de mechanica mundi structura animæ substantialis brutis negatæ causa præcipua.*

Tantam inesse arbitror huic Thesi *Veritatis* certitudinem atque evidentiam, ut eam latere posse putem neminem, quicunque in philosophando uni Rationi & Experientiæ cedere paratus est. Conqueruntur, fateor, Cartesii nepotes, rem hanc fugere claras suas ac distinctas ideas; at id sibi imputent oportet, qui mordicus adeò adhærere amant præconceptis opinionibus, ut neque velint neque possint, valere jussis præjudiciis, quid sentire oporteat, liberâ mente ac certâ Ratione, Sensuum testimonio & sacrâ Auctoritate suffultâ, ritè expendere. Ejusmodi ingenia quid mirum, si, ut alia quæcunque in hoc Universo obvia, ità quoque Brutorum operationes reducere nitantur ad imaginaria sua principia;

pia; ſecundum quæ univerſa rerum natura, ſtupendumque hoc Divinæ providentiæ ſacrarium, in vilem officinam fabrilem convertitur, in qua occurrat nil præter automata quædam, omni vero propriæ activitatis principio deſtituta, externoque duntaxat atque ab occurrentibus forte fortuna corpuſculis impreſſo motu impulſa. Et quid de Brutis ſolliciti ſint, eorumque Anima, qui ne ſibi quidem hìc parcunt, contendentes, præeunte ſic Carteſio, & ipſum hominis corpus parili modo vivere poſſe & moveri abſque ullo Mentis præſidio; quin qui affirmant, eſſe *majori admiratione dignum, quod mens aliqua reperiatur in unoquoque humano corpore, quam quod nulla ſit in ullis brutis* : *Part.* I. *Epiſt.* LXVII. Minus mirabimur eos qui talia tuentur paradoxa tantùm tumultuari ob noſtram hanc aſſertionem, *Datur in Brutis aliquod ſubſtantiale vitæ, ſenſationis ac veræ cognitionis principium* : quod quale intellectum voluerim, verbis immediatè ſequentibus indicabam ſatis : *ſive Formæ ſubſtantialis, ſive Animæ ſenſitivæ, ſive Modi cujuſdam ſubſtantialis, ſive quocunque alio id appelletur nomine.*

Equidem pro *Veræ Cognitionis*, qualem jam deſcripſimus, in Brutis demonſtratione, nullo alio indigemus argumento, quam quod invictum ſuppeditant ſtupendæ eorundem operationes, ob hoc ſolum neglectæ, atque ad veritatem hanc adſtruendam apud multos minus efficaces, quod ſint quotidiè obviæ. At qui diligens rerum ſcrutator animum adjicit ad eaſdem penitius examinandas, iſtud in iis deprehendit rationis quaſi veſtigium & quandam ejus veluti imitationem, ut vix, imò vix, in ipſa ſenſitiva cognitione acquiſcere poſſit: adeò beſtiarum actiones in miraculum uſque variæ ſunt, adeo ipſi humani operandi modi æmulæ. Ex millenis unum aut alterum verbo tangemus tantùm. Quanta eſt v. c. in prole educandâ Brutorum ſollicitudo, illa etiam refundentium, proprio ſtomacho fraudato, quæ jam devorarant? Quanta in eâdem adverſus hoſtem tuendâ fortitudo & induſtria? Conſpecto illo erigunt ſeſe, corpus interponunt, intumeſcunt, horrent pilis plumiſque, ad terrorem arma expediunt, roſtrum, dentes, ungues, cornua, calces hoſti opponunt : quin &, ſi vis major ingruat, dolis haud raró utuntur, ad avertendum à præda vel hac ratione inſidiatorem. Surreptâ verò ſobole, quanta in multis comploratio, quantis aerem implent queſtibus, quam in-

IV. *Veræ cognitionis brutorum tot exiſtunt teſtimonia, quot ferè eorundem obviæ ſunt operationes.*

insolabilis mœror? Quam provida omnium cura in sese vel vi vel dolo conservandis, in pabulis noxiis ab innoxiis discernendis, in morborum vulnerumque suorum remediis indagandis? Istæc omnia qui absque vera cognitione fieri queant? explicari velim. Non hic seriem attexam eorum quæ narrantur de Apum industria, Formicarum disciplina, Canum sagacitate, Vulpium astutia, Cornicum solertia, Elephantis docilitate, Equi generositate, Ciconiæ pietate, &c. quæ veram cognitionem sensitivam Brutorum tam abundè evincunt, ut eâ quoque datâ, illorum plurima nihilominus vel subtilissimum ingenium haud parùm vexare possint. Copiosam historiolarum hùc pertinentium congeriem habet *Rorarius*, *in Exercitatione Paradoxa*, *Quod animalia bruta ratione utantur melius homine*: quæ sola sufficit abundè confutandis iis, quæ *De Carentia Sensus & Cognitionis in Brutis*, nuper scripsére quidam, non absque multa sui in re hac tractanda contradictione. Missis nunc aliis unum sumamus notum atque obvium, in quo explicando vires experiantur velim quotquot Brutis veram cognitionem denegant: Cur scil. canis, cum famelicus furtim quid abstulit, clam se surripiat, & diffidenter adeò incedat ut nemini occursanti gratuletur, sed meticulosè sibi à pœnis cavens, rostro prono & averso suam pergat viam? En Rhodus, en saltus!

V.
Substantialis operationum in brutis principii admittendi propter non unam rationem necessitas.

Quum itaquè per ista constet satis de *Vera Cognitione* Brutorum, facilè indè conficitur, necessariò in iis admitti debere *Substantiale* aliquod ejusdem *Principium*. Præterquam enim, quod nobiliores sint istæ operationes, quam ut à sola accidentali materiæ dispositione oriri queant, etiam sic inferebam istoc loco, undè petita est controversa assertio. *Solidè demonstrari potest, istud Neotericorum ergastulum quinque Modorum, Mensuræ, Quietis, Motus, Positura, Figura, operationum principium nec esse, nec esse posse. Quum enim uti res existit, ita quoque eadem operetur; Modi verò illi non sint, nisi beneficio substantiæ cui insunt, etiam iidem operari non poterunt, nisi vi alicujus principii substantialis: quod cum non sit materia, utpote pure passiva, restat ut sit aliquod aliud in corpore substantiale operationum principium. Cui accedit, quod omnes istos modos vel non-entia esse, vel tantum conditiones ad operandum prærequisitas, non autem causas, sigillatim facilè probari possit.* Ad ista dum planè silent Censores, manet immota vis hujus ratiocinii. Nunc addo

Cu

Cur obsecrò sensuum organa Brutis concessa, nostris per omnia similia, nisi eorundem similis sit ei qui est nostrorum usus? Atquì instrumentorum sensationi destinatorum & inservientium nullus hic existit in nobis absque Animæ nostræ attentione & præsidio. Hoc vel indè liquet, quòd, quoties mens hærens in profunda meditatione aliud agit, nullatenus corpus afficiatur ab oblatis per organa, cæterùm omni ex parte benè constituta, rebus externis, etiam maximè terribilibus ac perniciosis; sed immotum adeò maneat, ac si eæ neutiquam sensorio objicerentur. Nemo est qui non id experiatur in se sæpius; fidemque ejus facit plenissimam nota cœdes Archimedis Syracusani, à milite, dum stricti gladii imago à mente, speculationibus mathematicis nimiùm immersa, non percipitur, infeliciter jugulati. Undè sequitur quam evidentissimè, ad operationes istiusmodi producendas, quales & nobis & brutis communes esse observamus, passivam receptionem externi motûs in solo corpore minimè sufficere, sed prorsùs requiri Animæ, tanquam *Principii Substantialis*, activam objecti perceptionem, & in spiritus per nervos mittendos imperium. Ut longè sit falsissimum quod asserit Cartesius, *Part.* II. *Epist.* VIII. *Bruta tantummodo videre sic nos, dum mente alio avocata, licet objectorum externorum imagines in retina nostra pingantur, & forte etiam illorum impressiones in nervis opticis facta ad diversos motus membra nostra determinent, nihil tamen prorsus eorum sentimus.* Quin, ut & hoc addam, nisi ex effectis istis in Brutis conspicuis valeat argumentatio ad evincendam alicujus in iisdem *Principii substantialis* existentiam, velim equidem mihi à Cartesiano homine demonstrari, inesse re verâ Animam substantialem infantibus aliisque usu rationis destitutis hominibus; etenim in hisce alię nullæ obviæ sunt actiones, quam quæ eadem deprehenduntur in Brutis.

VI. *Illi cedere coactus Cartesius ipse controversiam hanc in medio se rè relinquit.*

Efficacissimum hujus ratiocinationis robur nec ipse ignoravit Cartesius, dum planè se hìc irretitum ostendit; eo usque, ut non tam difficultates illas tollere nitatur, quam urgere alias, quas ipse (licet perperam) ex opposita sententia fluere autumat: quem clarum & distinctum philosophandi modum minimè esse, sed ejus potius qui ad incitas est redactus, norunt quotquot ex Logicis intelligunt, quantum valeat indirecta ejusmodi responsio, scindit nimirùm sic nodum, cui solvendo se quis imparem experitur.

Sed volupe fuerit Viri, cæterùm animi confidentissimi, ac mirè crepantis ubiquè claras & distinctas ideas, hac in parte observasse hæsitationes. Sic ipse, *Part.* 1. *Epist.* LV. „Hoc ergo solum dici „possit, quod licet bruta nihil agant, quod probet illa cogitare (notandum *Cogitare* Cartesio idem esse quod *Cognoscere*; tametsi nobis ista duo distent tanquam species & genus) tamen quia cor- „poris illorum organa à nostris valdè diversa non sunt, *conjicere* „*licet, aliquam esse cogitationem hisce organis adjunctam, quemad-* „*modum in nobis experimur*, licet ipsorum cogitatio sit imperfectior „nostrâ. Ad quod *nihil est quod respondeam*, nisi quod si illa co- „gitarent, ut nos, animam etiam, ut & nos, immortalem ha- „berent; quod non est verosimile, &c. Iterùm, *Epist.* LXVII. „Quamvis autem pro demonstrato habeam, probari non posse, „aliquam esse in brutis cogitationem; *non ideo puto posse demonstra-* „*ri nullam esse*: quia mens humana eorum corda non pervadit. „Sed examinando, quidnam sit hac de re *maximè probabile*, nul- „lam video rationem pro brutorum cogitatione militare, præter „hanc unam, quod cum habeant oculos, aures, linguam, & „reliqua sensuum organa sicut nos, verisimile sit, illa sentire sicut „nos; & quia in nostro sentiendi modo cogitatio includitur, si- „milem etiam illis cogitationem tribuendam, &c. Rursùs, „*Epist.* CV. „Quantum ad animalia bruta, videmus quidem in „illis motus quosdam eorum similes, qui imaginationes nostras „sive sensus consequuntur; *imaginationes verò aut sensus utrum illa* „*habeant ignoramus*. E contra vero, cum isti iidem motus possint „absque imaginatione fieri, non sine causa *suspicari possu-* „*mus*, illos in iis ita produci, quemadmodum spero me osten- „surum, &c.

VII. *Sectatorum ejus alii ad animam mundi Platonicam confugiunt, alii etiam hominum animas sub-*

Videmus totum hìc trepidantem Cartesium, *nihil habentem quod respondeat, putantem, probabile ducentem, ignorantem, suspicantem*; quæ quousque satisfaciant rationibus antè à nobis allatis, judicium sit penes quemvis extra partes constitutum Philosophum! Uti verò ipse dubitanti hìc propior est quam quid certi determinanti, ita inter asseclas ejus non desunt viri eruditi, qui quamvis cæterùm cum eo faciant, atque etiam præ se ferant, explicari satis posse bestiarum actiones per solum motum partiumque dispositionem, & in hoc demonstrando multùm sint operosi,

tandem

tandem tamen re omni accuratius perpensâ, adeò parum sibi in solis accidentibus & modis possunt satisfacere, ut non obscurè indicent, minimè se alienos esse, pro salvandis brutorum operationibus, ab opinione Platonica, quâ asseritur totam Universi materiam singulasque ejus partes mente instructas esse, eamque mentem pro diversitate dispositionis in materia diversimodè agere; ut sit *stantiales expungunt.*

Inde hominum pecudumque genus animæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Ex quibus elucet clarissimè vis nostræ veritatis, de Substantiali veræ cognitionis in Brutis principio, quippe quæ etiam pervicacissimos fateri,

Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus Æthereos,

sicque in anilia Platonis figmenta de anima mundi concedere cogit potius, quam omne substantiale cognitionis & activitatis principium bestiis denegare. Atque utinam neque hodiè existeret numerosa illorum cohors, qui ex denegata brutis substantiali anima, vitæ ac cognitionis veræ principio, occasionem sumsissent paria philosophandi de mente humana, atque tandem in non-entium classem compingendi pariter pecudumque hominumque animas. Tales nati sunt ex hac Spina flosculi.

Et ista quidem pro assertionis nostræ *Veritate* confirmanda, tum ex ipsa rei natura, tum ex varia adversariorum philosophatione, paucis adducta sufficiant. Per omnia nunc ire non sinit instituti ratio, quæ intra brevitatis terminos hac vice nos cogit. Quamobrem neque operosus ero in urgenda Auctoritate Sacra, pluribus locis bestiis exertissimè tribuente *Vitam* & *Cognitionem*, istudque *Spiraculum halitus vitæ*, quod, à corpore distinctum, in morte ab eo separetur, &c. Miror autem hoc loco vehementer Censorum meorum vel ignorantiam vel impudentiam, dum inquiunt, Verbum Dei etiam sic loqui de rebus inanimatis, quibus tamen ideo substantiale principium cognitionis non convenit. Ubi verò sic loquitur Spiritus S.? Non ignoro, *Vitæ*, itemque *Animæ*, vocabulum impropriè nonnunquam usurpari, & per catachresin, ut cùm *Aqua* v. c. dicitur *Viva*; *Cadaver* vocatur *Anima*; &c. At ubi locorum rei vitâ destitutæ conjunctim tribuitur נפש חיה, רוח חיים, נשמת־רוח חיים, *Anima vivens*, *Spiritus vitæ*, *Flatus spiritûs vitæ*?

VIII. *Consentit Auctoritas Sacra cum assertione de veræ vitæ & cognitionis in brutis principio substantiali.*

vitæ? Nuſpiam certè. Tantum quandò vel de homine, vel de beſtia ſermo eſt, vel de utroque, promiſcuè occurrunt iſtæ voces; claro indicio, aliquid Beſtiis ineſſe Animæ humanæ analogum, quod idem rebus cæteris non competat. Prætereo, ne prolixior ſim in hiſce, efficaciſſimas phraſes, quibus brutis tribuitur *Cognitio*, *Mors eadem cum hominibus*, *&c.* Ad quæ ſi ſufficiat ſimpliciter ex Philoſophiæ Carteſianæ principiis reſpondere, ea improprię debere accipi, viderint Theologi, an non hac ratione Philoſophia re ipsâ ſtatuatur S. Scripturæ interpres? Viderint ſimul, ne tandem eâdem viâ enerventur Scripturæ dicta, quæ Animam humanam eſſe principium ſubſtantiale poſt fata ſuperſtes, demonſtrant.

IX. *Bruta in mera Automata convertit quæ noſtræ aſſertioni oppoſita eſt theſis.*

Quorſum vero, inquiunt, hujuſmodi aſſertio abit? Eo abit, dicam, ut ne bruta convertantur in horologia & lapides, in quæ illa convertunt re verâ Carteſiani, quandò cognitionem eis denegant, & ſenſum, & vitam, & animam, & omnia. Hìc autem ſeſe prodit audacia hominum incredibilis. Quis Carteſianorum, regerunt, quando, ubì id aſſeruit? Nullus. Quid? Non credo ignorare viros Carteſii *Tractatum de Homine*, in quo totus id agit, ut oſtendat, Corpus animalis inſtar machinæ automaticæ moveri. Sed os obſtruat Viris ipſe Carteſius, qui ſic expreſsè, *Part.* I. *Epiſt.* LV. „Bruta per organa agunt, *haud ſecus quam horologium*, quod horam longè melius indicat, quam poſſumus „judicio aſſequi. Et ſine dubio, quando hirundines verno tem„pore adveniunt, eatenus *agunt horologiorum inſtar*. Quicquid „etiam agunt apes, ejuſdem eſt naturæ, &c. Iterùm, *Part.* II. *Epiſt.* XLIV. *Quicquid in irrationalibus animalibus appetitus aut propenſiones vocamus, per ſolas Mechanicæ regulas explico.* Et, *Ibid. Epiſt.* XL. „Quod ad bruta, adeo aſſueti ſumus credere quod „illa, non ſecus quam homines, ſentiant, ut facile non ſit opi„nionem hanc deponere. Sed, ſi æque aſſueti eſſemus videre au„tomata, quæ actiones noſtras omnes imitarentur, quas quidem „imitari poſſunt, atque illa pro automatis habere, *neutiquam du„bitaremus quin animalia ratione deſtituta forent quoque automata.* „Quippe *inter nos & illa eandem differentiam* adverteremus, quam „*inter nos & automata*; ſicuti ſcripſi pag. 56. methodi meæ. In „mundo autem meo accuratiſſimè recenſui quo modo *organa*

„*omnia*

„ *omnia ad has in automatis actiones exercendas* requiſita *in anima-* „ *lium corporibus reperiantur.* Ecce, & quando, & ubi hæc aſſeruerit ipſe Carteſius! Quibus convenienter non ſemel à Carteſianis Philoſophis publicè defenſum: *Bruta nec cognoſcunt, nec ſentiunt, ſed omnia automaticè agunt.* Item: *Eodem ritu, quo artefacta ſuas producunt operationes, eaſdem producunt naturalia, cum inter hac & illa nulla niſi forte graduum ſit diſtinctio.* Atquì hæc non mutat ſpeciem, uti ſcimus. Abſolvam H. Mori verbis, quibus aſſertionis hujus noſtræ ſcopus lepidè comprehenditur, ſimul & Carteſiani dogmatis abſurditas facetè perſtringitur. Is ad Carteſium, *Part.* I. *Epiſt.* LXVI. hac de re hunc in modum: „ Cæte- „ rum à nulla tuarum opinionum animus meus, pro ea qua eſt mol- „ litie ac teneritudine, æque abhorret, ac ab internecina illa jugu- „ latrice ſententia, quam in Methodo tuliſti, brutis omnibus vi- „ tam ſenſumque eripiens, dicam, an potius præripiens? neque „ enim vixiſſe unquam pateris. Hic non tam ſuſpicio rutilantem „ tui ingenii aciem, quam reformido, utpote de animantium fato „ ſollicitus, acumenque tuum non ſubtile ſolum agnoſco, ſed „ chalybis inſtar rigidum ac crudele, quod uno quaſi ictu univer- „ ſum ferme animantium genus vita auſit ſenſuque ſpoliare, in mar- „ mora & machinas vertendo.

X. *Aſſerta Brutis vera cognitio nihil eiſdem tribuit Rationalitatis.*

Ità de aſſertionis noſtræ *Falſitate* vidimus. Inquirendum reſtat, an non ſaltem *Periculoſa* ſit, aut *Nova*? Equidem, ex opinione Carteſiana, derogante Brutis omnem propriè dictam vitam, ſenſum, ac cognitionem, quæ ſequuntur abſurda, ſi cum iis conferantur, quæ urgeri ſolent à Recentioribus contra Brutorum cognitionem, adeò iſta præ hiſce multa & gravia deprehendentur, ut meritò hæc nulla præ illis haberi debeant. Quædam eorum jam tetigi, adderemque plura; ſed, quod antè monui, conſtitutum mihi eſt, non tam rem hanc omnem hìc pertractare, quam excutere potius, quæ adferunt hùc mei Cenſores. Demonſtrant illi aſſertionis noſtræ periculum. Habent ergò, inquiunt, bruta animam rationalem. Itane! Quamobrem obſecro? Illa enim, pergunt, unica eſt Subſtantiale Principium, fons, & fundamentum Veræ Cognitionis. En argumentum, quod aliud nihil eſt quam futilis petitio principii. Nempè controvertitur, An, non in homine tantùm, ſed & in brutis, detur *Subſtantiale Veræ Cognitionis*

tionis Principium? Negant hi; idque quia *sola* anima rationalis est Veræ Cognitionis Principium. Atqui hoc ipsum erat τὸ κρινόμενον: quod cum nullâ ratione demonstrent, satis hîc causam tradunt; imprimis cum jam dudum Adversarios ad id agendum invitaverim eo ipso in loco, undè hanc Thesin sibi exagitandam sumpsêre. Dabam ibidem discrimen satis ingens & manifestum inter Cognitionem Veram *Sensitivam* brutorum, & *Rationalem* spirituum ac hominum; ut mirer, eos petere, assignari sibi essentialem differentiam, quæ hominis inter brutique cognitionem intercedat. Quod si non ista sufficiant, addam quæ in *meis ad Physiologiam. Dan. Voet Notis* sic alibi: „Ex quo videre licet longum „discrimen inter Sensationem Hominis & Bruti. Hujus animæ „directò tantùm imago rei sensibilis imprimitur: illa notionem „spiritualem ipsa format. Consequenter, hæc suæ sensationis sibi „non est conscia: illa se sentire intelligit. Hæc imagines sensibi„les conjungere ipsa non potest; multo minus per consequentiam „unam ex alia formare: illa notiones judicando copulat aut divi„dit; quin & sensatione utitur tanquam occasione proferendi per „discursum cognitionem suam etiam ad non-sensibilia. Hæc ex „mero naturæ instinctu ad actiones secundum sensationem insti„tuendas impellitur; illa, intercedente judicio, secundum sen„sum vivit. Facessant itaquè, qui Bruta in Horologia conver„tunt, omnique sensu exuunt, inani metu, ne si sensus conce„datur iisdem, simul concedenda sit cogitatio & rationalitas. Quod si neque illa capere queant quæ clarissima & distinctissima sunt, condonandum veniet animulis altùm adeò meditationibus de Deo & Mente humana sepultis, ut desueverint jam dudùm concipere quicquam, quod non ad sublimes Cartesii speculationes de Dubitatione, de Mente quæ nil sit nisi Cogitatio, de Ideis innatis claris & distinctis, &c. pertineat.

XI. *Cum non omnis Cognitio necessariò existat ejusdem ordinis & speciei:*

Instant tamen, Si habeant bruta Substantiale Principium Veræ Cognitionis, nec tamen animâ rationali gaudeant, etiam concludi nequit, hanc in homine dari. Quod totum concedendum est illis, quibus inter Cognitionem & Cogitationem nihil intercedit differentiæ: non iis, qui alteram ab altera distinctam asserunt, eo quo explicui modo. Itaquè ex mera & nuda Cognitione, per se spectatâ, nemo unquam solidè adstruxerit animæ quæ in homine

es

est rationalitatem: nihil enim rationalitatis in notione *Veræ Cognitionis* involvi, jam docuimus. Meritò tamen atque efficacissimè infertur animæ humanæ rationalitas, ex hominis Cognitione; non, uti dixi, quatenus simpliciter est *Vera cognitio*, sed in quantum ea involvit, quibus salvandis qualiscunque Vera cognitio non sufficit, sed ea præcisè rationalis requiritur. Sic passim Philosophi Animæ Humanæ, ut Spiritualitatem & Rationalitatem, ita Immortalitatem, demonstrare solent, & rectè quidem, ex eo quòd ipsa percipiat cum conscientia, etiam res spirituales, quæque directè sensum non afficiunt; quòd judicio spirituales notiones connectat, & secundum illud omnes cæteras actiones dirigat; quòd ex cognita veritate una aliam hactenùs ignotam vel dubiam concludat, &c. Neminem verò unquam videre contigit, Cartesii asseclas si excipias, qui ex qualicunque *Vera Cognitione* mox principii cognoscentis rationalitatem inferat; cum nihil magis tritum sit auctoribus, quam dividere *Veram Cognitionem* in *Sensitivam* & *Rationalem*. Adstrui igitur validè potest, animam humanam rationalem esse, etiamsi non id concludatur ex ipsa cognitione, quatenus ea simpliciter est verè talis.

Frustrà eris, si urgeas, tametsi major sit cognitio in homine, id rei essentiam minimè mutare; juxta effatum Philosophorum, Magis & minus non variant speciem. Nunquam enim quisquam corum, quod sciam, qui *Veram Cognitionem* brutis tribuunt, asseruit, cognitionem bruti majorem tantùm esse eâ quæ est hominum, sic ut duntaxat per gradus, qui rei essentiam non mutant, distinguantur. Nemo certè existit vel tyro in Philosophicis, qui nesciat Peripateticis dividi *Cognitionem*, tanquam genus, *in Sensitivam* & *Rationalem*, ceu duas oppositas species; uti iisdem ipsum quoque Animal, Anima, Vita sic dispescitur? *Facultatum prima* (nimirùm animæ Sensitivæ in omni animali) *est Cognoscitiva, quam Sensum vocamus.* COGNOSCERE *vox est* GENERALIS, *& significat* QUAMCUNQUE *cujuscunque rei* PERCEPTIONEM, *sive fiat mediis & organis corporis, qualis est Sensus, sive fiat absque adminiculo corporis, qualis est Intellectus.* Ità hac de re disserit, ex mente Peripateticorum, *Colleg. Phys. Disp.* XI. §. 8. ipse Hereboordius. Pudeat homines impugnare quæ non intelligunt; traducere opiniones receptas quas ignorant! Sed Doctrinæ

XII. *Docente id passim Scholâ Peripateticâ, nec ipso diffitente Cartesiano Forgæo.*

Peripateticæ seu Aristotelicæ mentionem perperam coram illis facio, quibus ipsum hoc nomen vel febrim suo horrore inducat. Potius amandabo ad Philosophum Cartesianum doctissimum De la Forge, longè accuratius, quam hi, hac de re hunc in modum Philosophantem, *Tract. de Mente Hum. Cap.* IV. „Dico, si verum sit, bruta habere aliquem Sensum, aut ali-„quam perceptionem interiorem, ab actione objectorum exte-„riorum super organa sensuum eorum excitatam, & si omnes „suas actiones instituant hactenus cum animo ita faciendi; ratio-„nes hactenus allatæ, & quæ posthac adferuntur, demonstrant „necesse esse, *ut principium istius perceptionis* ac propositi *sit spiri-„tuale*; id autem si ita esset (quod nos non credimus) [*quin nec nos id credimus*] *minimè foret injuriosum homini*: *nullam* enim „*video necessitatem* statuendi, omne id quod esset spirituale esse „EJUSDEM SPECIEI, & habere easdem perfectiones & præ-„rogativas, quas Spiritus humanus. De cognitione quidem hæc rectè dicuntur: quæ verò de Spiritualitate admiscet, ea suo linquimus loco ac pretio. Arrigant interim ad ista Socii sui verba aures nostri isti blaterones, & discant ex iis sui hujus ratiocinii imperitiam. Si enim judice Forgæo, ne omnis quidem natura Spiritualis necessario ejusdem sit speciei & perfectionis, quanto minus omnem cognitionem ejusdem speciei & perfectionis esse existit necessarium?

XIII. *Quæ brutis substantiale veræ cognitionis principium tribuit opinio, Vetus est & maximè trita,*

Vidimus Menti humanæ nihil imminere *periculi* à *Vera Cognitione* brutorum, ejusdemque in his *Principio Substantiali.* Unum superest, ut nec *Novam* esse hanc assertionem nostram demonstremus. Et quid multis inhæream probandæ rei quæ adeò nota, ut nulla magis? Universa schola Peripatetica Sensitivam Cognitionem (quam, uti audivimus, faciunt *Veræ Cognitionis* speciem, æque ac Rationalem) ut & Appetitum Sensitivum, non minus quam Facultatem Loco-motivam Brutis perindè tribuit ac hominibus. Speciatim communi omnium consensu, docet hæc eadem, Cognitionem Sensitivam non tantum Externos Sensus involvere, sed & Internos; quos numerant, præter Sensum Communem, Phantasiam, Memoriam, nominatim quoque *Æstimativam.* Quid verò Æstimativa his Auctoribus significet, explicantes audiamus non ex Monasteriis protra-

ctes

ctos Scholasticos, sed duos in orbe Reformato, ipsaque nostra patria, illustres nostri seculi Philosophos, Burgersdicium & Senguerdium seniorem, illum in inclyta Lugduno-Batava, hunc in nostra Rheno-Trajectina Academia, Philosophiæ Professores Clarissimos. Ille sic, *Colleg. Phys. Disp.* XXVII. *Thes.* 6. *Æstimativæ munus est de rebus, quæ externis sensibus perceptæ, aut phantasmatibus repræsentatæ fuere*, FORMARE NOTIONES BONI AUT MALI. *Sic cum ovis videt lupum, &c. format istarum rerum primum phantasmata, & EX IIS statim* COLLIGIT SPECIEM MALI. Et hæc *Æstimatio*, ait post pauca, *in omnibus reperitur animantibus.* Alter ità, *Introduct. ad Physic. Lib.* VI. *Cap.* V. *Æstimativæ munus est, æstimare, hoc est, de rebus quæ externis sensibus vel phantasiâ perceptæ fuerant*, FORMARE NOTIONES BONI ET MALI, JUDICARE QUASI, *an objecta convenientia, an verò adversa sint, & media hac æstimatione affectus movere; &c. Hinc à nonnullis dicitur*, ÆSTIMATIVAM ID ESSE IN BESTIIS, QUOD IN HOMINE RATIO EST. *Ex dictis apparet, Æstimativam circa ea quæ in sensibus externis fuerant*, FORMARE *etiam* NOTIONES, QUÆ IN EXTERNIS SENSORIIS NON FUERANT; *rationes enim illæ boni & mali ab Æstimativa formantur, quæ sensibus externis non erant apprehensæ.* Ego, ut ingenuè dicam, quamvis omninò stem pro *Vera Cognitione* Brutorum quam antè delineavi, non tamen ausim Brutis tribuere, qualem iis tribuunt hi Auctores, cum omnibus ferè Antiquioribus Philosophis. Verùm, quid si vel huc usque extendissem notionem *veræ cognitionis* (quod non feci) nihil utiquè asseruissem, quod non in utraque Academia ante me defenderunt magni doctissimique Viri. Pudeat itaquè vel ipsam calumniam, tritam assertionem, ubiquè ac semper receptam, *Novam* dicere. De *Substantiali Principio* non est quod laboremus. Asserunt id quotquot asserunt Formas Substantiales, quas asserere Peripateticos omnes, notum est unicuique. Absolvam verbis Doctissimi Hereboordii, qui *Vol.* I. *Disp.* XXXIV. controversiam de Formis hùc redire ait, *An Forma in rebus naturalibus sit* SUBSTANTIA, *eaque* DIVERSA, AB *altero rei naturalis principio*, MATERIA? *Atque hac* DE OMNIBUS, PRÆTER RATIONA-

LEM ANIMAM, FORMIS *instituitur quæstio, &c.* Mox subjungit: *Fateor equidem* AB ALIQUOT JAM SECULIS AFFIRMANTIUM OPINIONEM INVALUISSE, *atque illas egisse radices in multorum animis, ut, qui contrà sentiunt,* IN IPSA CENSEANTUR PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA IMPINGERE, *omnisque veritatis fundamenta subruere, &c.* Lubentius Viri hujus hùc adduxi textum, tum quod in eodem Collegio Theologico, in quo ego hæc ventilanda proposui, meus fuerit in ejusdem Pro-Regimine Prædecessor, tum imprimis quod ipse hanc sententiam quam hìc proponit acerrimè impugnaverit; ut minus suspectum esse debeat hoc testimonium. Eant nunc, qui nostram assertionem innoxiam, *Datur in Brutis aliquod substantiale vitæ, sensationis, ac veræ cognitionis principium*, *accusare audent Novitatis periculosæ*; ac nisi pudorem omnem exuerint, discant posthac intelligere prius, quæ Veteres opiniones sint quæ Novæ, quam suum de eo quod ignorant interponant judicium, uti temerarium ità viro prudente planè indignum.



EXER-



EXERCITATIONUM RATIONALIUM DE DEO INDEX.

EXERCITAT. I.

De Theologia Naturali.

EXERCITAT. II.

De Dei Existentia, ejusque cognoscendæ modis.

EXERCITAT. III.

De Atheiſmo Speculativo.

EXERCITAT. IV.

De Deo Independente.

EXERCITAT. V.

De Dei Attributis, in commun

EXERCITAT. VI.

De Deo Infinitè Perfecto.

EXERCITAT. VII.

De Deo Necessario existente.

EXERCITAT. VIII.

De Deo Æterno.

EXER-

EXERCITAT. IX.

De Deo Immenso.

EXERCITAT. X.

De Deo Uno.

EXERCITAT. XI.

De Deo Simplici.

EXERCITAT XII.

De Deo Immutabili.

EXERCITAT. XIII.

De Deo Omnisufficiente.

EXERCITAT. XIV.

De Deo Incomprehensibili.

III. *Etia*

EXERCITAT. XV.

De Deo Admirabili & Amabili.

EXERCITAT. XVI.

De Deo Adorabili.

EXERCITAT. XVII.

De Deo Vivente.

EXERCITAT. XVIII.

De Deo Intelligente.

EXERCITAT. XIX.

De Deo Volente.

EXERCITAT. XX.

De Deo Sancto.

EXERCITAT. XXI.

De Deo Potente.

EXERCITAT. XXII.

De Dei Majestate & Beatitudine.

EXERCITAT. XXIII.

De Deo Creante.

EXERCITAT. XXIV.

De Deo Providente per Conservationem.

EXERCITAT. XXV.

De Deo Providente per Gubernationem.

X. *Præ-

EXERCITATIO
De Lege Naturæ.





PHILOSOPHEMATUM MISCELLANEORUM

I N D E X.

DISSERTATIO De Infinito.

SECTIO PRIOR, De Conceptu Infiniti.

SECTIO POSTERIOR,

De Extensione Infinita.

XXIX. *Di-*

DISQUISITIO
De Nullibitate Spirituum.

EXERCITATIO

De Homine Automatico.

DISQUISITIO

De Contradictoriis Deo Possibilibus.

DISSERTATIO

De Sensuum Usu in Philosophando.

 ptio-

EXERCITATIO

De Homine Automatico.

DISQUISITIO

De Contradictoriis Deo Possibilibus.

qui

DISSERTATIO

De Sensuum Usu in Philosophando.

EXERCITATIO

Expendens Consectaria Ideæ, quâ absolvitur Mens Humana solà Cogitatione.

EXERCITATIO

De Operationibus Brutorum.

FINIS.

Ex Typographiâ Academicâ, Anno 1685.

